
This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

http://books.google.com



Digitized by Google

831

Digitized by Google

271
Ar 4 m

FCC
14 570

~~23 – 6~~

~~47 – 9 . . 12831~~

Digitized by Google

Digitized by Google

SPECVLVM ORDINANDORVM

14570

CVILIBET MINORVM AEQVE AC MAIORVM promotionem Ordinum exoptanti apprimè vtile:

Episcopis autem Locorumq; Ordinarijs quibus huiusmodi Initiandos interrogandi, examinandiq; munus incumbit, quammaximè opportunum:

Sacerdotibus verò ad extremum omnibus, & ijs potissimùm qui animarum curis præesse dignoscuntur, summè necessarium.

OPVS NOVVM *planè, cuicunque etiam Orthodoxo Officij totius Ecclesiastici ac Sacrosancti pariter Missæ Sacrificij germinos ritus, profunda mysteria, veteres Ceremonias, mysticiq; eorundem intellectus solidam scire anhelanti interpretationem, vnicè exoptandum.*

MICHAELE TIMOTHEO ARIMINENSE, I. V. D. AVTHORE.

Cum Indice Vocum, Sententiarum, Rerumq; maximè insignium ac notabilium, vt locupletissimo, ita & miro Ordine digesto.

Accessere insuper suæ cuique Capiti Summaria & Rubricæ, non minori cura quàm studio & diligentia concinnata.

Cum Priuilegio Summi Pontificis, Regis Catholici, ac Senatus Veneti.



VENETIIS, M D XCII.

Apud Baretium de Baretijs.

Digitized by Google

Digitized by Google



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISS. D.
D. M. ANTONIO COLVMNAE,
EPISCOPO PRAENESTINO,
S. R. E. Cardinali Amplissimo.



Michael Timotheus V. I. D. ac seruus humilis,
S. P. D.



STATVERAM, Princeps Illustrissime, post labores aliquot scribendi superioribus à me annis susceptos, ac superatos, aliquando stylum deponere: satis videlicet ratus consilio, ac desiderio meo factum, omnibus iam enunciatis Christiani sacri mysterijs, iam Horis, quas Canonicas vocant, Hymnisque sacris qualicunque diligentia explicatis, iam denique templorum frequentandorum vel religione vel ratione, pro virium mearum facultate pro-

Digitized by Google

posita. Et fecissem profecto, non tam inertiæ, atque otij studio, quàm huius ipsius tenuitatis meæ conscientia. Nam rerum ipsarum magnitudinem animo reputanti occurrebat illud, vereri ne non & pro dignitate disputatum esse videretur, & hominum, quibus laborauerant, expectationi, ac voluntati, responsum. Verum assiduæ me amicorum cohortationes dicam, an preces? repugnantem initio, nouis lucubrationum grauiorum negotijs occuparunt; suscepi, parui, periculoso profecto obsequio, sed propemodum necessario: vt meum, si quid videbitur audaciæ crimen, excusatum iri sperem ab ijs, qui pernegandi verecundiam agnouerunt. Et verberabant me voces illæ cum primis: tu sacrorum ritus compendio perscecutus; tu supplicationum, ac precationum religionem commodè complexus, tu consecratos Numini mortales iuuare, ac de suis oficijs, & cæremonijs docere aggressus; quod primo effectum oportuerat negliges? Informandi tibi sunt vel serius, qui ad eorundem sacrorum potestatem accipiendam se comparant, nè cætera edocti Christiani Sacerdotis munera, suis sibi fraudati initijs videantur. Itaque his adductus, perfeci M. Antoni Amplissime hoc; Ordinandorum examen (sic enim vocari placuit, vel communem vulgi appellationem secuto, vel ordinum diuersorum, & quasi graduum habita ratione) tibique, quod incredibili mea voluptate facio, non iniuria dicandum putaui. Nam præter quam quod summo es Antistiti sacrorum dignitate proximus, tibi ego à me nihil non debitum puto: quippè in aula tua iam tot annos versatus, præsidio mu-

nitus

Digitized by Google

nitus tuo, ac beneficijs à te affectus quamplurimis, quàm non tibi à me gratiam, si non pro meritis, certè pro conditione mea relatam velim? Exiguum est sanè, leuissimumque, quod refero, nullius fermè, non dico ponderis, sed momenti: sed quicquid est, domo hac tua profectum, huc redit tibi: atque incipiet fortasse aliquid videri, si abs te, qua soles benignitate exceptum, pondus acceperit. Ipsa præterea incredibilis humanitas tua, cum studiosissima in pios hominum conatus voluntate coniuncta; & sapientia, religio, virtutumque omnium admirabilis in te conspiratio, atque societas, cum ab alijs quamplurimis, tum à me omnia postulat suo iure; singularia, inquam, & longe humilitate communi superiora. Vt quicquid à nobis humi quodamodo stratis profectum fuerit, quàm tibi debitum ratione officij, tàm indignum te, maiestate tuæ amplitudinis esse videatur. Sed vti dicebam, si munusculum hoc humilitatis nostrę non dedignabere, illud te ipse dignum efficies; eritque vbi beneficium longè maximum agnoscamus, tibique nouæ liberalitatis tuæ nexibus obstrictos nos esse intelligamus.

TYPO-

Digitized by Google

TYPOGRAPHVS
BENIGNO LECTORI S. D.





PLATONICVM illud vulgatis passim populi vocibus decantatum, Benigne Lector, & mihi in mentem veniens, non nobis solum nos natos, sed ortus nostri partem sibi patriam, partem parentes vendicare & amicos, id effecit, vt quod ab eo quo aliquid sapere cœpi temporis tractu, ad publicæ vtilitatis & eorum quos natura amoris quasi quodam indissolubili nexu mihi coniunxit commodum conferre possem, incessanter studioseque præstare semper fuerim conatus, optimorum, selectique ingenij ac commendatæ passim industriæ authorum pretiosa posteritati in omne æuum successuræ consecrata sapientiæ studia elegantibus typorum formis publica faciendo, doctorum omnium & Philomuson votis, conatibus, studijs, communique hominum vtilitati, commodo, profectui, quantum per me fieri liceret ingenuè inseruiendo operam omnem impendendam putarim, non contemnendo sanè vt reor vel aspernando conatu: quippe cum litterarum continua semper exercitatione antiquitatis remotissimæ omnis reminiscentia ad humanos passim animos reuocata, typographica hac artium bonarum laudatissimæque multiplicis scientiæ euulgatione indies rediuiua nobis memoria tanquam diuinitatis singulari quodam munere communicetur. Id quod constanter iam antea à me factitatum & sedulo lustris aliquot cum fuerit, in præsens exequi pari voluntate paratus & successu, nunc nouum hunc animi in te mei testem propensi tibi Lector candide Reuerendi, non minus quam Clari Legumque consultissimi viri D. Michaelis Timothei Ariminensis Speculum vocitatum Ordinandorum sisto libellum, sic non incommodè profectò inscriptum, cum & Tyrocinia Ecclesiasticæ facientes militiæ Clerici, & cœtus iam emeritorum sacratæ sortis veteranorum omnis, totos sese in hoc & ex integro contemplari non incommodè queant. Quod quidem opusculum reipsa verius (cum iuxta vulgatè notam omnibus paræmiam vino vendibili suspensa neutiquam opus sit hedera) quam nostra tibi fore probatum commendatione indubitanter habuimus iampridem nobis & vnicè persuasum. Siue enim materiam tibi ipsam

operis

operis spectandam proponas, nil sacrorum haberi misteriorum facili & genuina enodatione excellentius citra controuersiam sanè vel vllam ingenuè vt arbitror es fassurus. Si compendiosam methodum, reconditamque requiras doctrinam, nil vnquam (pace multorum id dictum velim) ordine commodiori, verborum delectu appropriato magis, sententiarum pondere grauiori, rerum varietate præstantiaque delectabiliori, dispositione elegantiori, scientia ad extremum profundiore, tuis hactenus oblatum, oculis confitebere lubens. Hoc tuis auidè cupiens inseruire commodis, tibi Christiane Lector Timotheus Author labore concinnatum diutino, compendiosum licet verbis, graue tamen sententijs, misterijs profundum, re tandem penitus Sacrosanctum opus, amica fautricis contestatione voluntatis oblatum donat: nos pari animo, impari licèt effectu, elegantibus hisce nostris vt vides typis euulgatum dicamus, dedicamusque, alia in rem tuam facientia & profectum selecta doctorum ingenij documenta virorum, propitia nobis annuente numinis aura, non minus hilarij fronte quam sincero solitoque mentis affectu nullis parcendo laboribus vel impendijs in futurum tibi frequenter vberi cum fænore literario exhibituros pollicentes. Vale & plaude.

Digitized by Google



AD LECTOREM.





ANCTA Cohors: gens lecta; genus regale; Sacerdos
Quisquis es, hoc auctus nomine quisquis eris:
Pellege; nosse voles: non hic Cerealia Mystę;
Orgia, non Thyas, non Corybantes habent.
Non Salij; nullus petit hinc sua iura Lupercus.
Nullus ab insano cognitus orbe Deus.
Tu Christo sacer arcanos hic discis honores,
Te docet hęc munus pagina lecta tuum.
Pellege. si veri quicquam mens conijcit augur,
Non semel hęc, dices, ter didicisse iuuat.



Digitized by Google

INDEX TAM VOCVM QVAM SENTENTIARVM RERVMQ. MAXIME NOTABILIVM,


QVAE IN HOC SPECVLO ORDINANDORVM REVER. AEQVI AC CLARISSIMI VIRI

MICHAELIS TIMOTHEI ARIMINENSIS I. V. D.

passim legentibus occurrere possent,

Alphabetica serie & ordinata admodum Methodo Digestus.

A



b *Adiura-*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B

Digitized by Google

C

Digitized by Google

Canonica

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D

Decalogi

Digitized by Google

Deum

Digi-

Digitized by Google

Domini-

Digitized by Google

Ecclesiæ

Digitized by Google

Extrema

Digitized by Google

Digitized by Google

Forma

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

K

L

Lecto-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Memo-

Digitized by Google

Missa

Digitized by Google

N

O

Digitized by Google

Ostia-

Digitized by Google

Pascha-

Digitized by Google

Digitized by Google

pra-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Q

Quin-

Digitized by Google

R

Digitized by Google

Sacer-

Sacer-

Digitized by Google

Sanctos

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Spes

Digitized by Google

Digitized by Google

Thuri-

V

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FINIS.

Digitized by Google



SVMMARIA

SINGVLORVM CAPITVLORVM PRIMI TRACTATVS.

1 INITIANDVS prima tonsura, quæ scire debeat.
2 Quid sit fides.
3 Quotuplex sit fides.
4 Quomodo vna sit fides.
5 Fides Catholica quid sit.
6 Initiãdus prima tonsurã quid per fidei rudimẽta intelligere debeat.
7 Signum Crucis ad quid faciendum.
8 Dominicam orationem cur teneamur scire.
9 Spes quid sit.
10 Verba prima dictæ orationis Dominicæ, scilicet, Pater noster; quì intelligere debeat prædictus tondendus.
11 Quid per adueniat regnum tuum debeat dictus tõdendus intelligere.
12 Quid per Panem nostrum.
13 Quid per Ne nos inducas in tentationem.
14 Quorum præceptis moniti, ac informati, dicamus Aue Maria, idest, Salutationem Angelicam.
15 Quæ sit fidei regula.
16 Articulus fidei quid sit, & vnde dicatur articulus.
17 Quinam sint Articuli sanctificationis, qui redemptionis, & qui creationis.
18 Verbi, Credo, in materia fidei Euangelicæ acceptio, & professio quæ sit.
19 Quomodo differant Credere in Deum, credere Deũ, & credere Deo.
20 Primi articuli verba, scilicet: Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli, & terræ, quì intelligere debeamus.
21 Articuli secundi verba, scilicet, Et in Iesum Christum filium Dei vnicum Dominum nostrum. quì intelligi debeant.

Digitized by Google

22 Tertij articuli verba, scilicet, Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritusancto ex Maria Virgine, & homo factus est.
23 Quarti articuli verba, scilicet, Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, qui intelligenda sint.
24 Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. Verba hæc quid sibi velint.
25 Sextus articulus, scilicet: Ascendit ad cęlos: sedet ad dexteram patris omnipotentis. quid credendum proponat.
26 Septimi articuli verba; scilicet: Et iterum venturus est iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis; vti accipienda sint.
27 Articulus octauus, scilicet: Credo in Spiritumsanctum dominum, & viuificantem, qui ex patre filioque procedit: qui cum patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas; quem sensum habeat.
28 Nonus articulus, scilicet; Credo in unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, Sanctorum communionem; quid nobis præcipiat credendum.
29 Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.
30 Et expecto resurrectionem mortuorum.
31 Et vitam venturi sæculi. Amen.
32 Apostoli cur Symbolũ claudi, et terminari articulo æternæ vitæ voluerunt.
33 Charitas quid sit.
34 Quę sit differentia inter charitatem, & alios amores.
35 Diligere Deum, & diligere proximum quid sit.
36 Decem decalogi præcepta quomodo contineantur in duobus mandatis charitatis.
37 Quæ sint præcepta decalogi.
38 Prædicta legis scriptæ pręcepta quomodo distinguantur.
39 Præceptum quid sit.
40 Primum decalogi præceptum quid nobis probibeat.
41 Quid probibeat secundum præceptum.
42 Tertium primæ tabulæ præceptum, quæ nobis imperet.
43 Quartum præceptum quid nobis faciendum proponat.
44 Quintum præceptum quid probibeat.
45 Sextum præceptum, quod est non Mæchaberis: quanam probibere nobis intendat.
46 Septimum præceptũ, quod est, Non furtum facies, quę nobis vetet.
47 Octauum pręceptum, quod est, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium; quęnam probibeat.
48 Nonum pręceptum, quomodo sit intelligendum.

49 Decimum

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google



SPECVLVM PROMOVENDORVM AD ORDINES MINORES, ATQVE MAIORES,

MICHAELIS TIMOTHEI V. I. D.

De ſcientia, quam habere debet initiandus Prima tonſura.



Initiandus prima tonſura, quæ ſcire debeat. Cap. I.



ACCEDENTEM ad Deum; inquit Apoſtolus; credere oportet: Quicunque ergo vult clericali inſigniri tonſura, ac domini partem, ſeu ſortem habere; ante omnia opus eſt, vt teneat catholicam fidem; hoc eſt; vt fidei rudimenta edoctus ſit; eaque ſciat explicitè; aut ſaltem implicitè: vtque competenter legere, accentuareque congruenter, ac ſaltem lecta grammaticaliter intelligere, ac ſcribere probè ſciat: vtque etiam non ſæcularis iudicij fugiendi fraude; ſed vt Deo fidelem cultum præſtet, hoc vitæ genus ſibi elegiſſe. Quid ergo in primis ſit fides; & quotuplex ſit fides: & cur vna ſit fides: & quid demum ſit fides catholica, diuino præuio auxilio diſſeramus: Poſtmodum de ſingulis hic ſupra enarratis fidei rudimentis ſubijciemus, ac dicemus.

Hebr. 11.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. ca. 12. & ſeſſ. 23. c. 4.

Digitized by Google

Quid igitur est fides. Cap. II.

De fide Magist Sententiarum. *Fides quid est.* *Author alibi.* *Hebra. 11.*

FIdes ergo; secundum Magistrum Sententiarum; est virtus, qua creduntur quæ non uidentur: quod tamen non de omnibus (sicut aliàs obseruauimus; versiculum illum hymni, qui incipit; Æterna Christi gloria; scilicet, quæsita iam primum fides; exponentes) quæ non videntur, accipiendùm est; sed de his tantum, quę credere ad religionem pertinent. Multa enim sunt, quæ si Christianus ignorat, nihil metuendum est, quia non ideo à religione deuiat. Vel fides; secundùm Apostolum; est substantia rerùm sperandarum, argumentum non apparentium: substantia inquam, rerum sperandarum, idest, quasi certa possessio quędam earum rerum, quas speramus: eo quod mentis nostræ oculis eas sic repræsentet, ac sistat; vt ijs iam quodammodo frui uideamur: & argumentum non apparentiùm, idest, perspicua ostensio, & certa demostratio rerum non uehientiùm in conspectum; vt de eis ita persuasi simus, ac si oculis corporalibus peruiderentur.

Fides quotuplex sit. Cap. III.

FIdes autem nostra est duplex, scilicet, infusa, & acquisita: Infusa est, quæ à Deo infunditur homini ad assentiendum his, quæ credenda sunt. Acquisita autem est, quæ post iustificationem, uel per auditum verbi, uel per uisa miracula augescit. Item duplex est fides; Actualis; quæ, scilicet se exerit, & exercet, uel ostendit. Habitualis, quę non se exerit, nisi pro loco, & tempore: ut in dormiente est fides habitualis, sed non actualis. Item duplex est fides, secundum Glos. in titulo de summa Trinitate, & fide catholica, scilicet, formata, quæ annexam habet charitatē, & quasi amictu bonorum operum vestita; & informis, quæ bonis operibus destituta est. Vel fides est mortua, seu historia, quæ tantum assentit historiæ sine omni affectu pio in Deum; vel est uiua, seu viuificans, quæ sic assentit historiæ, quod omni fiducia fertur in Deum; & insuper charitatem operatur.

Glos. *Galat.*

Fides quomodo una sit. Cap. IIII.

Fides quomodo sit una.

LIcet autem fides diuersis dicatur modis, nempè, pro eo, quo creditur, animo, scilicet, & intellectu, quo casu fides est uirtus, & pro eo quod creditur, & non est virtus: quod enim creditur, id in rebus est, quæ vel esse, vel fuisse, vel futura esse creduntur: nihilominus tamen fatendū est, vnam, scilicet, quod creditur, & id, quo creditur, esse fidem, & communem esse omnibus fidelibus; sicut pluribus hominibus una facies cōmunis esse dicitur: cum tamen singuli suas habeant. non enim fides numero est vna, sed genere; quæ cum sit in uno, & in alijs, non ipsa, sed similis, & propter similitudinem magis unam dicimus esse, quàm multas. sicut idem uolentium dicitur una uoluntas, cum tamen cuique sit una uoluntas, & duorum simillimorum dicitur facies vna.

Fides

Digitized by Google

Fides Catholica quid est. Cap. V.

DIximus supra, quòd nomine fidei utrumque, scilicet, & illud, quod creditur, & id, quo creditur, censetur: & illud, quod creditur, dicitur una fides; quia idem iubemur credere, & unum idem, quæ fides est creditur à cunctis fidelibus; unde fides catholica dicitur, id est vniuersalis; de qua fatur Athanasius, dicens: Hæc est fides catholica, quam nisi quisque firmiter, fideliterque crediderit, hic saluus esse non poterit. Huius ergo sacræ fidei dono, ac lumine illustratus homo, firmiter, & fideliter, assentit his, quæ vt credantur, sunt diuinitus reuelata, & ab Ecclesia nobis proposita: cuiusmodi sunt Deum Trinum esse; ut idem fatur Athanasius in principio eiusdem Symboli; & unum; nō in unius singularitate personæ, sed in unius trinitate substantiæ. Item è nihilo creatum mundum. Deum factum esse hominem, & pro hominibus mortem sustinuisse. Mariam, & Virginem, & Dei matrem existere. mortuos omnes ad uitam excitandos esse. hominem ex aqua & Spiritusancto regenerari. totum Christum in Eucharistia contineri. & id genus religionis nostræ ueneranda mysteria, quæ diuinitus reuelata, non humani sensus captu comprehendi, sed fide duntaxat percipi possunt. Athan.

Initiandus prima tonsura, quid per fidei rudimenta intelligere debeat. Cap. VI.

PRæmisimus iam supra, quòd quicunque vult clericali insigniri tonsura, tenere debeat catholicam fidem, & edoctus esse fidei rudimenta: iam igitur de fide aliquā disseruimus; reliquum est, ut modo subodoremus ea, quæ ad fidei rudimenta necessaria esse uidentur tractanda. Intelligere ergo debet initiandus prima tonsura, per fidei rudimenta in primis sacratissimum sanctæ Crucis signum; deinde Dominicam orationē, ac Salutationē Angelicam: tertio illam fidei regulam, quam duodecim Apostoli suo Symbolo tradiderunt, hoc est Symbolum Apostolorum. Quarto decem decalogi præcepta: Quinto septem Ecclesiæ catholicæ Sacramenta; ac demum cætera, quæ ad institutionem christianam non minus utilia, quàm necessaria uidentur; qualia sunt virtutes & theologales, & cardinales, necnon & dona Spiritussancti, fructusque eiusdem; præcepta item ipsius charitatis, ac etiam Ecclesiæ, misericordiæque tum spiritualia, tum temporalia opera, Beatitudines etiam, sensus quinque corporis, capitalia demū peccata, ac nouissimo loco nouissima memoranda.

Rudimentorum fidei nōie quid intelligendum.

Nota quæ scire dēat initiandus prima tonsura.

Signum Crucis ad quid faciendum. Cap. VII.

SAnè per illud profectò nos sancta Dei Mater Ecclesia in vtero eius ideo suscipit: quoniam & per illud ipsum signum sanctissimam Trinitatem, Incarnationem etiam Domini nostri Iesu Christi, ac eius passionē manifestè declaramus. Nam mittendo manum ad caput, dicendo; In nomine

De signo Crucis.

Signū Crucis quid sibi velit.

Digitized by Google

mine Patris; filium à Patre uenisse indicamus. at deducendo manum ad ventrem, dicendo: & filij, significamus filium assumpsisse carnem humanam in Mariç Virginis aluo. Producendo manum à tergo sinistro ad dextrum, dicendo: Et Spiritussancti, significamus, illum factum hominē in uentre Matris, & amore uenisse ad crucem, à tergo si quidem sinistro, idest, à passione trāsijt Christus ad dexteram Patris: & Spiritumsanctum esse, ac procedere à Patre, item & à filio, demonstramus.

De Dominica oratione.

Dominicam orationem cur teneamur scire. Cap. VIII.

Oratio Dominica cur debeat sciri à fidelib.
Matth. 6.

NVnc ad alterum fidei nostræ rudimentum transcendentes dicimus; quod prima tondendus tonsura, ideo Dominicam orationem scire tenetur, quoniam illam Christus dominus noster ore sacro prodidit, & prçcipisit omnibus, qui spem suam, ac vota, oratione cupiunt Deo explicare, cum dixit; Sic ergo orabitis, scilicet, Pater noster, qui es in cçlis: sanctificetur nomen tuum. Adueniat Regnum tuum. Fiat uoluntas tua, sicut in cçlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo, Amen.

De Spe.

Spes quid est. Cap. IX.

Spes quid sit.
Differētia inter fidē, & spem.

QVoniam autem spes sedes est earum septem petitionum, quæ continētur in oratione Dominica: ideo ea prius diffinita, postmodum ad expositionem dictæ Orationis Dominicç accedemus. Spes ergo, secundum Theologos, est certa expectatio futuræ beatitudinis ex gratia Dei, & promeritis proueniens. Vel spes est uirtus diuinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis, & æternæ vitæ bona expectantur. Distinguitur tamen spes a fide: quia fides est malarum rerum, & bonarum rerum, item & præteritarum, præsentium, & futurarum, quia credimus mortem Christi, quæ præterijt; credimus sessionem Christi ad dexteram Patris, quæ nunc est: credimus Christum uenturum ad iudicandum, quod futùrum est. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum.

Verba prima dicta orationis Dominicæ, scilicet, Pater noster: qui intelligere debeat prædictus tondendus. Cap. X.

Ioan. 1.
Pater quis dicatur.
Deus cur dicatur Pater noster.

SCiat igitur prædictus tonsura prima tondendus; ꝙ illa verba quæ in oratione iam ennarrata, præmittuntur, videlicet: Pater noster, potest ita enodare, nempe; quòd Pater dicitur grçce, genitor vero latine, at hebraice Abba: & quod Deus dicitur Pater à patrando, seu perficiendo: quia per eum omnia facta sunt: & quod Deus generaliter, & specialiter, & singulariter dicitur Pater; generaliter, quia uniuersitatis Deum, ac Dominum Patrem esse voce propria confitetur, nempe per creationem omnium: specialiter, quia de conditione seruili in adoptionem filiorum

Dei,

Dei, & iustorum profitetur ipsum esse ascitum: singulariter dicitur Pater per generationem Christi; vnde propter hoc nos miseri filij adoptiui dicimus: Pater noster: quia Deus solius est Christi Pater per naturam, cui soli competit dicere; Pater mi, fidelium autẽ est Pater per gratiã.

Quid per adueniat regnum tuum debeat dictus tondendus intelligere. Cap. XI.

SAnè hac quidem Regni Dei petitione comprahensa sunt omnia, quibuscunque in hac peregrinatione, vel exilio indigemus. Primum enim petimus ut per gratiam, & iustitiam regnet in ecclesia Deus; imo & in toto mundo eiectis hinc aduersarijs potestatibus, ac cupiditatibus malis omnibus è medio profligatis secundum Cassianum. Secundo petimus à Deo, vt ad Regnũ Christi Domini, & ad accipiendam veri Dei cognitionẽ infideles, Iudęi, schismatici, ac hęretici conuertant, vt ad sanitatem redeant, & ad ecclesiæ Dei communionem, à qua desciuerunt, reuertantur. Tertio petimus, vt ad eos veniat regnum, quo illi peccatorum discussa caligine, & radijs diuinæ lucis illustrati, in filiorum Dei pristinam dignitatem restituantur. Quarto petimus, vt ex hoc mundo, veluti graui peregrinatione, ac militia vocati, quamprimum transferamur ad regnum gloriæ & fęlicitatis, vt cum Christo, & sanctis eius in sempiternum regnemus.

Romanus Cathechismus.

Cassianus eremita collat. 9. cap. 19.

Quid per panem nostrum. Cap. XII.

PEr Panem nostrum, intelligimus quicquid in victu, cæterisq; rebus ad corpus, vitamque tuẽdam adhibemus: Deinde quidquid nobis ad spiritus, & animæ vitam, ac salutem Dei munere tributum est exposcimus. Petimus item Panem quotidianum, id est victui necessaria. Vnde Panis nomine vestes ad tegendum, cibum ad uescendum, siue panis, siue caro, siue piscis sit, intelligimus. Et huic voci quotidianum, subiecta est ea notio frugalitatis ac parsimoniæ: quia non multiplicem, aut delicatum cibum postulamus, sed eum qui naturæ necessitati satisfaciat. Item quotidianum panem appellamus, quo uescimur ad reficiendum vitalem humorem, qui quotidiè consumitur vi naturalis caloris. Et ob eam causam noster appellatur, quod iure à nobis est acquirendus, non iniuria, fraude, aut furto, rapinaue parandus: quæ enim malis artibus conciliamus nobis, non nostra, sed aliena sunt.

Romanus Cathechismus.

Panis nomine quid significetur

Quid per panem quotidianum intelligat.

Cur panẽ nostrũ, & nõ meũ petimus.

Quid per Ne nos inducas in tentationem. Cap. XIII.

IDest ne patere Rex noster optime, maxime, ut toties, & tã periculosè nos Sathã infirmos tentet, & ad male operandũ soliciter. Petimus itẽ, ne diuino præsidio deserti vel tentationibus decepti assentiamur. Dicimur autem induci in tentationem, cum tentationibus succumbimus, & tentationibus subiugamur, ac subijcimur. Non ergo hoc sonat inquit Cassianus,

Digitized by Google

Cassianus eremita. Triplex tẽtatio. Ecclesiast. cap 34.

Cassianus, ne inducat nos in tentationem, quasi non permittat nos aliquando tentari: sed in tentatione positos superari a Diabolo, qui tentat, vt decipiat, & hominem ad malum inducat; utque quispiam relinquat virtutem, & amplectatur vitium. Deus autem tentat, vt probet. Homo vero tentat, vt experimentum sumat de re, quam ignorat.

Quorum praeceptis moniti, ac informati dicamus: Aue Maria, idest, Salutationem Angelicam. Cap. XIIII.

De salutatione Angelica. Lucæ 1. Salutatio Angelica alijs ampliata est verbis duobus.

PRæceptis quidem sanctæ nostræ matris ecclesiæ salutaribus instituti, moniti, ac informati, Angeli Dei, & Helisabet, ac eiusdem Dei ecclesiæ his verbis, scilicet, Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Iesus. Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen. Mariam Virginem Dei matrem salutamus, hoc est salutationem congratulationis ei dicimus: in qua salutatione aduertendum est, quod trium verbis, & oratione vtimur: Angeli quidem Dei, cum adorimur cum eo, Aue gratia plena, Dominus tecum: cum Sanctę Helisabet dictis, cum oramus secum, dicentes: Benedictus fructus ventris tui: cum Sancta deniq; nostra Matre, & Dei Ecclesia; cum supplicamus Matri Dei dicentes: Sancta Maria mater Dei, & cętera. Vbi insuper aduertendum est, quòd sancta Dei Ecclesia interposuit verbum Maria, inter verba Angeli, & verbis Helisabet addidit verbum Iesus: sed eiusdem Dei Ecclesiæ est subsequens oratio, scilicet, Sancta Maria mater Dei. &c.

Quæ sit fidei regula. Cap. XV.

IAm nunc ad declarationem ultimi propositi rudimenti, hoc est, fidei regulæ: quæ est ipsum Symbolum Apostolorum, quo præditus esse debet quicunque prima tonsura, (secundum ea, quę supra diximus,) initiari desiderat; transeamus, dicentes: quod fidei regula est illa, quam duodecim Apostoli suo Symbolo tradiderunt, quamque in sectiones seu articulos duodecim aptè distinxerunt: quorum primus est, scilicet.

Symbolum Apostolorum.		Symbolum Nicęnum.
Petrus.		
1 *Credo in Deum patrem omnipotentem: creatorem cœli, & terræ.*	Concordia Symbolorum. 1	*Credo in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium & inuisibilium.*

Andræas.

2 *Et in Iesum Christum filium eius vnicum, dominum nostrum.*

Iacobus.

3 *Qui conceptus est de Spiritusancto, natus ex Maria virgine.*

Ioannes.

4 *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.*

Philippus.

5 *Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.*

Bartholomçus.

6 *Et ascendit ad cælos: sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*

Thomas.

7 *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.*

Mattheus.

8 *Credo in Spiritum sanctum.*

Iacobus.

9 *Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.*

Simon.

10 *Remissionem peccatorum.*

Thadæus.

11 *Carnis resurrectionem.*

2 *Et in vnum dominum Iesum Christum filium Dei vnigenitum: & ex patre natū ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum uerum de Deo vero, genitum, non factum consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt.*

3 *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cęlis, & incarnatus est de Spiritusancto ex Maria virgine, & homo factus est.*

4 *Cruxifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est.*

5 *Et resurrexit tertia die secundum scripturas.*

6 *Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris.*

7 *Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius regni non erit finis.*

8 *Et in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex patre filioque procedit, qui cum patre, & filio, simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas.*

9 *Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam ecclesiam.*

10 *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorū.*

11 *Et expecto resurrectionem mortuorum.*

12 *Et vi-*

Digitized by Google

Matthias. 12 Et vitam venturi saeculi.
12 Vitam aeternam. Amen. Amen.

Articulus fidei quid sit: & articulus vnde dicatur. Cap. XVI.

Articulus fidei quid. Tho. 2. 2. cap. 6.

QVidnam autem sit articulus fidei, dicere & hoc loco opere preciũ esse iudico: Vnde quidam articulum fidei sic diffinierunt, dicentes, quod est certum aliquod fidei dogma, ab alijs seiũctum. Nam quemadmodum articulus propriè dicitur partium disiunctarum, secundum D. Thomã in secunda secundæ, cap 6. coaptatio quędam, & in vnum colligatio; prout in corpore particulæ membrorum sibi inuicem coaptatæ articuli dicuntur: ita fidei Christianę dogmata dicuntur per articulos distingui, quatenus in aliquas certas partes discernuntur: quæ partes, seu articuli dicuntur Symbolum Apostolorum; quia quilibet Apostolorum suum posuit articulum. Vel articulus fidei est inuisibilis veritas de Deo, nos arctans ad credendum. Dicitur autem articulus, secundum Archidiaconum, in cap. accusatus, de hæreticis, in 6. diminutiuè ab artu, idest, membro.

Symbolum quid.
Alia articuli fidei diffinitio.
Archidiac.

Quinam sint articuli sanctificationis, quinam redemptionis, & quinam creationis. Cap. XVII.

Symbolum Apostolorũ diuiditur i tres partes.

Romanus Cathechismus.

PRimi autem articuli creationis mirum opus, inquit Romanus Cathechismus, in vna diuinæ naturæ prima persona, scilicet patre, describitur: vnde dicimus: Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cęli, & terræ. Mysterium autem redemptionis nostræ, idest, articuli redemptionis pertinent ad Christum eius filium: de quo dicimus: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die. Caput verò, & fons sanctitatis nostræ, idest articuli sanctificationis, concluduntur in tertia persona, scilicet Spiritusancto: Vnde dicimus; Credo in Spiritumsanctum dominum, & viuificantem, & consequenter Sanctam Ecclesiam: vnde fit, quod primus articulus spectans ad diuinitatem, est articulus creationis: sex verò sequentes, ad humanitatem spectantes, sunt articuli redemptionis nostræ mysterium exprimentes. Quinque verò vltimi ad sanctificationem nostram pertinent.

Articulus ad patrem. Sex artic. ad filium. Quinq; artic. ad Spiritumsanctum pertinent.

Verbi, credo; in materia fidei Euangelica acceptio, & professio quæ. Cap. XVIII.

ANte omnia autem considerantes hanc vocem verbi huius, scilicet, credo; dicimus quidem, quod credere, hoc loco, putare, existimare, opinarivè non significat; sed certissimæ assensionis vim habet; qua mens Deo, sua mysteria aperienti, firmè, cõstanterque assentitur: is enim credit (quoad huius loci explicationem attinet) cui aliquid sine ulla hæsitatione certum, & persuasum est.

Quomodo

Quomodo differant credere in Deum, credere Deum, & credere Deo. Cap. XIX.

SEd aduertendum est; prius quam ad vlteriora progrediamur, quod fides Catholica credit Deum, credit in Deum, & credit Deo; prout tradunt Theologi in compendio theologicæ veritatis, ac ipse quoque Magister Sententiarum: & ideo dicendum est, quòd aliud est credere Deum, aliud credere in Deum, & aliud est credere Deo. Credere ergo in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, & credendo ei adhęrere, & eius membris incorporari. Sed credere Deum, est credere quod ipse sit Deus; quod etiam mali faciunt. Credere autem Deo, est, credere vera esse quę loquitur, & verbis eius, vel verbis filij sui, aut Angelorum, vel Patriarcharum, vel Prophetarum, vel Apostolorum, vel quorumcumque ministrorum, aut etiam Doctorum.

Lib. 1. c. 1. *Lib. 1. c. 28.* *Li. 3. di. 23.*

Primi articuli verba; scilicet: Credo in vnum Deum patrem, omnipotentem, creatorem cęli, & terræ; qui intelligere debeamus. Cap. XX.

NVnc singulorum Symboli articulorum fidei verba, ea qua fieri potest breuitate, consideremus; eorundemq; elucidationẽ, non quidem vt rei ipsa dignitas expostulat, accuratè, sed quantũ imbecilli nostræ sufficit intelligẽtię, ac capacitati, discurrẽtes quodãmodo, vt ita dicamus, pertransennam proponamus. Cum igitur tu dicis: certo credo in unum Deum, vnitatẽ deitatis profiteris, & Deorum pluralitatem quam per idolorum cultum humani generis hostis Sathan inducere tentauit; excludis: Dixit enim olim patribus nostris Moyses: Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus vnus est: & Paulus prędicat vnum Deum, vnam fidem, & vnũ baptisma. Cum verò dicis, patrem omnipotentem, creatorem cęli & terræ: primam. s. Trinitatis personã profiteris, qui sua omnipotenti virtute, cęlũ ipsum, & terrã, & omnia quæ cęli & terrę ambitu continẽtur, ex nihilo condidit, & condita tuetur, ac regit: ipse enim de se dicit: Ego Dominus omnipotens, & alibi Sapientia testatur: Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Tua item Domine prouidentia ab initio cuncta regit, & gubernat: & quod hic de Patre profiteris, hoc idem de Filio, hoc de Spiritusancto quoque credis. Omnipotens enim est Pater, omnipotens Filius, & omnipotens Spiritussanctus; Creator cœli Pater, creator cœli Filius, creator cœli & Spiritussanctus est: nam diuinarum personarum ad extrà, (inquiunt Theologi,) operatio profusa una est, & eadem, sicut uirtus, & substantia. Vnde ad Filium Dei dicit Psalm. Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: & ad Spiritumsanctum Dauid dicit: Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. & de Filio, & de Spiritusancto idem dicit: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Vnus est Deus & non plures Dij. *Deut. 6.* *Ephes. 4.* *Prima Trinitatis persona qua.* *Gen. 17.* *Sap. 8.* *Sap. 4.* *Athanas.* *Clictoueus in elucida.* *Psal. 101.* *Psal. 103.*

Arti-

Secunda Trinitatis persona qua.

Articuli secundi verba, scilicet; Et in Iesum Christum, Filium eius vnicum, Dominum nostrum, qui intelligi debeant. *Cap. XXI.*

Matth. 1. *Iesus quid sit.* *Iesus qui Christus dicatur.* *Iesus cur Dei filius vnicus dictus sit.* *Ioan. 1.* *Iesus qui ex Patre natus sit.* *Psal. 103.* *Psal. 2.* *Ecc. 24.* *Iesus Christus cur sit Dominus noster, & cur Dominus.* *Athanas.* *1. Cor. 8.* *Iesus Christus filius Dei quomodo sit Deus de Deo, & lumen de lumine.* *Generatio filij à patre non est corporalis.* *Psal. 35.* *Ioan. 1.* *Hebræ. 1.* *Dei filius qui sit Deus verus de Deo vero.*

HOc est, & credo, inquam, in secundam diuinæ Trinitatis personam, scilicet, in Filium Dei, qui vocatur Iesus, idest Saluator, qui saluum facit populum suum à peccatis eorum; qui & Christus etiam dictus est, scilicet, vnctus in Regem, Messiam, Pontificem, ac magnum Sacerdotem, oleo nempe, seu vnguento Regali, ac Sacerdotali, Spiritussancti: qui & Dei Filius item dictus est, ideo vnicus, quod solus ipse, & non alius, ex substantia patris, ante sęcula genitus est: nam alij licet filij Dei sint, Euangelio dicente: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, nuncupatione scilicet, participatione, adoptioneque, ac gratia, non autem substantia, neque natura, vt Christus Filius Dei vnigenitus, cuius gloriam, gloriam quasi vnigeniti a Patre uidimus: Filium Dei ergo ex patre natum, idest ex substantia Patris ante sęcula, siue spacia temporalia, hic profitemur, dicente Patre: Ex vtero ante Luciferum genui te. & rursum, Filius meus es tu, ego hodie genui te: & alibi, Ex ore altissimi prodiui; primogenita ante omnem creaturam, & cætera huiusmodi non desunt testimonia. Porrò Dominum nostrum Filium Dei vnigenitum item profitemur: ipse si quidem nos morte victa liberauit, uendicauitque, & in libertatem, atque adoptionem filiorum Dei adsciuit. Dominum verò nuncupamus, ad impietatem illorum elidendam, qui Filium perfectione, & auctoritate minorem esse Patre, & quasi ei subiectum oblatrarunt; non considerantes, quod si Patri est consubstantialis, consequenter & idem ipse est Dominus, nam Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritussanctus dicitur. Vnde Paulus ait de eo, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum: estque Deus de Deo; quia consimilis esse, eiusdemque naturæ cum Deo Patre gignente intelligitur: estque Dei filius lumen de lumine: quia sicut lux, seu maius lumen producit de se natiuum splendorem sine aliqua sui diminutione, aut dissectione suæ substantiæ, ita sanè filius Dei ex substantia Patris sine paterna substantiæ imminutione, aut partitione ineffabiliter prodit: hæc autem diximus, ne quis autumet hanc Filij à patre generationem corporalem esse, & per diuisionem substantiæ diuulsionemvè fieri, vt corporum fieri solent generationes: est ergo Filius Dei lumen de lumine, de quo Psaltes ait: Quoniam apud te est fons uitæ, & Ioannes; Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; & multa alia sacræ scripturæ loca non desunt pro hac asserenda veritate, cum profecto sit & splendor gloriæ Patris, & figura substantiæ eius. Pari modo Filius Dei est Deus verus de Patre Deo vero natus; quemadmodum naturali productione nascitur homo verus de homine vero; & verus flos de vero flore, & hoc confitemur ad confutandam vesaniam eorum malignorum, dicentium per-

peram

Digitized by Google

peram quidem, Filium non esse verum Deum; sed sola nuncupatione, & communione nominis dici Deum; quemadmodum de hominibus dicit Psalmista; Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes. Ad hæc Filium Dei genitum esse à Patre solo, & ex substantia Patris, & nullo modo factum profitemur: quoniam factura neq; ex facientis est substantia, neque naturæ cognatione illi respondens; non etiam ipsi facienti coæqua, neque naturali productione; sed sola voluntatis ipsius factoris libertate prodit ad ortum: & hoc dicimus ad confusionem Arrianorum dicentium, & malè, ipsum diuersam à Patre habere substantiam, pęnitusq; diuisam. Est denique Dei Filius Patri consubstantialis, eiusdemque pęnitus substantiæ cum Patre, secundum illud eiusdem Domini nostri verbum de se ipso, Ego & Pater vnum sumus. Nouissimo loco per Dei Filium dicimus facta esse omnia: quia omnia per ipsum facta sunt, inquit Ioannes, & sine ipso factum est nihil; vbi aduertendum venit, quod omnium nomine, duntaxat creaturæ omnes compræhenduntur, non autem Deus ipse, qui est super omnia, & omnium ambitu, atque uniuersitate nequaquam compræhenditur: Et sunt quidem per ipsum Dei Filium omnia facta, non vt per instrumentum extrinsecum, quò vsus fuerit Deus Pater in mundi productione, vt cooperatorio, & adminiculatorio ad rerum productionem, vt dixerunt Arriani; sed tanquam per internam, & naturalem Patris virtutem, & sapientiam, illi profectò intimam, essentialem, & propriam. Omnia namque, ait Psaltes, in sapientia fecisti Deus. & Paulus dicit; quòd per filium Dei Pater fecit & sæcula: est enim ipse virtus, & sapientia Patris.

Psalm. 81. Filius Dei cur genitus a Patre dicatur, & non factus.

Filius Dei cur Patri sit consubstantialis. Ioan. 10. Per Filiũ Dei facta sunt oia. Ioan. 1. Omnium nomine qd intelligatur.

Psal. 103. Hebr. 1.

Tertij Articuli verba, scilicet: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cœlis: & incarnatus est de Spiritusancto ex Maria Virgine; & Homo factus est. Cap. XXII.

HVius autem præmemorati articuli, hanc dicimus esse sententiam, scilicet: Credo, & confiteor, eum ipsum Iesum Christum vnicum Dominum nostrum, Dei Filium, qui pro nobis humanam carnem suscepit in vtero Virginis, non ex virili semine, vt alij homines, sed suprà omnem naturæ ordinem Spiritussancti virtute, idest, cooperante Spiritusancto, (ut dixit Angelus ad Mariam, scilicet: Spiritussanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi;) conceptum esse, ita vt eadem persona Deus permanens, quod æternitate erat, homo fieret, quod ante sæcula erat: quod & Ioannes etiam declarauit, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; & demum conclusit: & Verbum caro factum est: quod idem sonat, quod, & homo factus est, & habitauit in nobis. Filius enim Dei, qui diuinæ naturæ hypostasis est, ita hu-

Ioan. 1.

Digitized by Google

manam naturam assumpsit, vt vna, & eadem esset diuinæ, & humanę naturæ hypostasis, ac persona; quo factum est profectò, ut tam admirabilis coniunctio vtriusque naturæ actiones, & proprietates conferuaret. Non ergo de cœlis filius Dei descendit, ita vt per incarnationem cœlos dimiserit, aut ante incarnationem in terris non fuerit; qui per Prophetam se cœlum, & terram implere contestatur: sed de cœlis descendisse dicitur; quia per sumptionem nostræ naturę, nouo existendi modo in terra esse cœpit: nempe per vnionem hypostaticam, ac coniunctionem diuinitatis cum humanitate in vna persona, secundum quem modum ante non fuerat in cœlis. Præterea non solum credo, ipsum Dominum esse conceptum virtute Spiritussancti, sed etiam ex Maria Virgine natum, & in lucem editum esse, Augusto regnante, sine ulla maternę virginitatis diminutione: ac ut solis radij concretam vitri substantiam penetrant, ita Iesus Christus ex materno aluo sine maternæ virginitatis detrimento, editus est.

Vti de cœlis filius Dei descenderit.
Hiere. 23.
Filius Dei quomodo de Virgine Maria natus sit.

Quarti articuli verba, scilicet; Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus qui intelligenda sint. Cap. XXIII.

DVm ergo dicimus, quod Christus passus est sub Pontio Pilato, intelligimus scilicet, ipsum variè, varijs affectum ac afflictum fuisse, propter uiolentiam, ac probrosam apprehensionem, per impulsus truculentos, quibus trahebatur de loco in locum, de alijs pœnis ad alias, per irrisiones, & contumelias, per flagella, quibus laniabatur à capite usque ad plantam pedis, per sputa, perque spineam coronam. Sed nec te moueat hoc loco: quia Deus est impassibilis, & Christus est Deus; quia dicit Archiapostolus, Christum passum esse in carne, hoc est, in ea natura, quam sumpserat ex virgine Maria; non autem in ea natura, qua Deus erat. At sub Pontio Pilato, passum fuisse Christum ideo dicimus: quia secundum Cathechismum, tantæ rei, & tam necessariæ cognitio exploratior omnibus esse poterat, si rei gestæ certum tempus describeretur: tum etiam, quia talibus verbis declaratur, illam Saluatoris nostri prædictionem esse iam exitu comprobatam, scilicet: tradent eum gentibus ad illudendum, & crucifigendum; quod est, quod sequitur scilicet: crucifixus est etiam pro nobis, idest, non solum passus, & expertus est verbera, ac ludibria; verum & patibulum quoque ipsius crucis, cui affixus fuit ferreis clauis, adeo vt mors sequeretur, diuidens animam à corpore: tunc enim moritur homo, cum anima separatur à corpore: Vnde ex hoc sequitur: mortuus, & sepultus est, scilicet, more aliorum defunctorum. Et certè Dominus noster Iesus Christus crucifixus est pro nobis, mortuus, & sepultus, si spectemus affectum patientis; qui vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra: quique peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis

1. Pet. 4.
Romanus Catechismus.
Matth. 20.
Homo quando dicatur mori.
Pro quibus Christus est crucifixus.
Esa. 53.
1. Pet. 2.

Digitized by Google

peccatis mortui iustitiæ uiuamus: cuius liuore sanati sumus. si verò animum Dei Patris respicimus, profectò non pepercit ille Filio suo; sed pro nobis omnibus tradidit illum. At si Iudæorum pensemus scopum, passus est propter prædicationem veritatis, & sanctitatem vitæ suæ: dicebant enim Iudæi: Tollamus eum de medio; quia dissimilis est vitæ nostræ. Postremo adnotandum est, quod additum est, & sepultus est, primum, vt minus dubitare de morte liceat; cum maximum argumentum sit aliquem mortuum esse, si eius corpus sepultum probemus: deinde, vt resurrectionis miraculum declaretur atque eluceat.

Rom. 8.

Sap. 2.

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis; Verba hæc quid sibi velint. Cap. XXIIII.

IDest, ego corde credo, & ore confiteor; quòd anima Domini nostri Iesu Christi: postquam crucifixus est, ac mortuus fuit; dumq; eius sanctissimum corpus in sepulchro triduo iacuit: peregrinata sit, descenditq; ad inferos, hoc est, ad abdita illa loca, in quibus animæ detinebantur illæ, quæ cœlestem beatitudinem non erant seu adhuc non sunt consecutæ: vt ereptis dæmonum spolijs, sanctos illos patres, cæterosque pios, ex abditis illis locis, quasi è carcere liberatos, secum adduceret in cœlum: & vt ibi, quemadmodum in cœlo, & in terris, vim suam potestatemque declararet: & omnino, vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, & terrestrium, & infernorum. quare Christus feria sexta, hora decimanona in cruce spiritum emisit: & eadem die vespere sepultus est ab eius discipulis: qui Pilati præsidis permissu corpus Domini è cruce depositum in propinqui horti monumentum nouum intulerunt: & tertio à morte die, qui fuit Dominicus summo manè; illius anima corpori iterum coniuncta est. Quòd autem Christus dicitur iacuisse triduo in sepulchro, non intelligitur, totos ipsos dies fuisse in ipso: nam quod integrum naturalem diem, partemque tùm antecedentis, tùm consequentis diei in sepulchro conditus est: ob eam rem verissimè dicitur triduo in sepulchro iacuisse, ac tertia die à mortuis resurrexisse, & non statim: ad hoc, ut homines uerè hominem, mortuumque verè esse crederent: triduum enim est temporis spatium ad ueram mortem comprobandam, & satis esse uidetur. Ad vltimum dicimus, non ociosè, neque ab re huic articulo appositam fuisse particulam, scilicet, secundum scripturas. Nam resurrectio Christi à mortuis (quod supra leges naturæ sit, & iura) difficilius cæteris nostræ redemptionis mysterijs, & tardius recepta, atque persuasa fuit mentibus humanis: vnde & Discipuli post multas manifestationes Christi à mortuis suscitati ipsis factas; postea multa itidem argumenta, signa, & indicia; quibus præbuit seipsum illis viuum, adhuc subdubitarunt de illius resurrectione: vt iam in cœlum ascensurus Christus exprobauerit illis incredulitatem illorum, &

Infernus quid sit.

Christus cur descendit ad inferos.

Christus quomodo intelligatur triduo iacuisse in sepulchro.

Cur nō surrexit statim Christus, sed tertia die.

Mar. 16.

Digitized by Google

duritiam cordis ad credendum. Vt omnis ergo tollatur occasio ambiguitatis, adiecta illa prædicta particula significat Christi resurrectionem iam in scripturis prænunciatam esse: vt in Psalmis, & Euangelijs; & eo modo, & eo ordine, & eo tempore, quo prædictum a scripturis fuit, esse completum; quibus sacris scripturis indubitatò, & absque ulla hæsitatione credendum est. Necesse autem fuit Christum resurgere, vt Dei iustitia ostenderetur, à quo maximè decebat eum extolli, qui ut illi obtemperaret, passus, ac omni ignominia affectus erat; Præterea ut fides nostra confirmaretur; sine qua hominis iustitia constare non potest. Deinde ut spes nostra aleretur, ac sustentaretur: cum enim Christus resurrexit, certa spe nitimur, fore, ut nos etiam resurgamus; quia membra capitis sui conditionem sequi necesse est. Postremo, ut salutis, & redemptionis nostræ mysterium absolueretur.

Guglielm Durandus.

Christus cur resurrexit.

Sextus Articulus, scilicet: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis, quid credendum proponat.
Cap. XXV.

ASscendit, inquam; Christus in cœlum secundum naturam hominis, ex Virgine assumptam, quæ vt loco circumscribitur, ita & de loco ad locum moueri potest. Ascendit dicit super Cherubin, & volauit, uolauit super pennas ventorum, & parauit in cœlo sedem suam: ubi sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, idest, eam regiæ, summæque potestatis, ac gloriæ formam, & stabilem possessionem à Patre accepit: sedere enim ad dexteram Dei Patris, non situm esse, & figuram corporis significat, sed designat parem cum patre habere potestatem, omniaque gubernare, omniumque iudicem esse. Propter hoc autem Christus ascendit in cœlum; quia quæ eius corpori immortalitatis gloria in resurrectione donata fuerat, huic non terrenæ, & obscuræ habitationis locus, sed altissimum, & splendidissimum cœli domicilium conueniret, ac etiam, ut curaret, quæ ad salutem nostram pertinebant. Itemque vt regnum suum non esse ex hoc mundo re ipsa ille comprobaret. Postremo, ut nos eum ascendentem mente, & desiderio prosequeremur.

Psalm. 17.
Psal. 102.

Christi in cœlũ ascẽsionis causa.



Septimi

Septimi articuli uerba, scilicet: Et iterum venturus est iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis; vti accipienda sint. Cap. XXVI.

NVnc ad tractandum septimum hunc Symboli articulum accedentes, dicimus; quod ideo credimus Iesum Christum; qui propter nos homines, & propter nostram salutem iam de celis descendit, & incarnatus est de Spiritusancto ex Maria Virgine; & homo factus est; quique post passionem suam non tantum ad cœlum usque Lunæ, Solisque, ac Mercurij, ascendit, uerum & omnes cœlos penetrauit, teste Paulo, Ad thronum usque gloriæ magni Dei, & ad dexteram uirtutis eius; iterum uenturum esse iudicare uiuos, & mortuos, quia hoc sacræ literæ nobis attestantur, omnes, scilicet nos manifestari oportere ante Tribunal Christi, vt referat unusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum: & sic manifestè apparet ex his, quæ hic diximus, duos filij Dei esse aduentus, alterum scilicet, cum salutis nostræ causa carnem assumpsit; & in virginis aluo delituit: alterum uerò, de quò nunc est sermo noster, cum in consũmatione sæculi ad iudicandos omnes homines ueniet in maiestate sua, cum potestate magna, & omnibus Angelis eius; & congregabuntur tum ante eum omnes nationes terræ, à quatuor uentis, idest, ab omnibus angulis mundi; & statuet oues à dextris suis, hędos autem à sinistris; & ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in uitam æternam. Quòd autem dicimus, quòd Christus uenturus est cum gloria, quid aliud per huiusmodi uerba confitemur, quàm sacrum Dei Euangelium, profitentes cum Beato Matthæo, quod filius hominis uenturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera sua, & cum Sancto Luca, quod tunc uidebunt filium hominis, uenientem cum potestate magna, & maiestate. Dicimus item, quod regni Christi non erit finis; credentes, & confitentes in omnibus Dei Euangelium, attestans per Angelum Dei; quod dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Ephes. 4. *2. Cor. 5.* *Psal. 61.* *Duo filij Dei aduentus.* *Matth. 24 & 25.* *Matth. 16* *Luc. 21.* *Luc. 1. & Dan. ca. 7.*

Articulus octauus, scilicet, Credo in Spiritumsanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit: qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas; quem sensum habeat. Cap. XXVII.

OCtauus iste Articulus tertiam Summæ Trinitatis personam subiungit; suasque exprimens proprietates essentiales, ac singulares, dicit: Ego item credo in Spiritumsanctum, sic inquam, appellatum, quòd missus sit in mundum à Filio sanctificandi gratia animas Christi sanguine redemptas; quodq; spiritualem uitam in nos infun

Ioan. 15. *Cur Spiritussanctus nũcupetur sanctus.*

Digitized by Google

dat, ac sine eius sanctissimi muneris afflatu nihil æterna uita dignum efficere possimus: qui idem Spiritussanctus etiam ipse est Dominus, idem operans, quod & Pater, & Filius: Proinde præcepit Christus baptismum debere ministrari in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Addimus autem Spiritumsanctum esse Dominum, ad explodendam hæresim Macedonianorum, ponentium Spiritumsanctum esse creaturam, Patre, & Filio minorem, & quasi utriusque seruum, ambobusque subiectum: quæ sanè impia deliramenta prorsus reijciũtur ab Ecclesia Dei, cum sicut Pater Dominus est, & Filius Dominus, ita & Spiritussanctus esse Dominus creditur. Vnde Apostolus ait: Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus: & Diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & Diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus: vnde ecce, quem primo loco Spiritum uocat; secundo Dominum dicit, & tertio Deum. Est insuper Spiritussanctus uiuificans, præsertim animas, sicut spiritus humanus uegetat corpora: nam spiritus est inquit Ioannes, qui uiuificat: maximè quia Spiritussanctus est, qui animam nostram cùm Deo coniungit, quæ sic cum Deo coniuncta, magis uiuit, quam corpus animæ coniunctione alitur, ac sustinetur; & ideo rectissimè viuificantem Spiritumsanctum uocamus. Proponit item hic articulus octauus, quod credendum nobis est, Spiritumsanctum à Patre, & Filio tanquam ab uno principio æterna processione procedere: hoc enim Ecclesiastica regula, idest, hic præsens octauus articulus, à qua Christiano non licet aberrare, credendum nobis, ut dictum est, proponit, quod & diuinarum literarum, & Conciliorum autoritate confirmatur: vnde Christus Dominus in terris degens olim, reliquit scriptum de Spiritusancto: Sic ille me clarificabit, quia de meo accipiet: ergo non solum à Patre, sed etiam à Filio procedit Spiritussanctus, qui si quod Christi erat, accepit, ergo ab eo quoque diuina processione proficisci intelligitur, ut sic ab eodem & substantiam, & sapientiam acceperit. Hæc autem supradicta concedenda sic proponit nobis Sancta Mater Ecclesia ad condemnandam hæresim illorum Græcorum, pertinacius dicentium, Spiritumsanctum à Patre solum procedere, & nequaquam à Filio, ergo sat est nobis de Filio hic probasse, cum de Patre intelligerent illum procedere. Spiritussanctus ergo à diuina uoluntate, ueluti amore inflammata, dicitur procedere. Cæterum subdit articulus, quod Spiritussanctus cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur ad sustollendam Arrianorũ, & Macedonianorum impietatem, qui Spiritumsanctum esse Deum negarunt; creaturam ipsam esse asserentes, & Patri Filioque esse inæqualem: At cum hic Spiritussanctus cum Patre, & Filio simul adorandus prædicatur, protinus consequens est, ipsum esse Deum; quandoquidem propria adoratio soli Deo debetur, & exhibenda est. Vltimo loco Articulus hic dicit nobis, quòd necessario nobis credendũ est Spiritumsanctum esse locutum per Prophetas, & benè, ad reprimendam illorum insaniam, qui dixerant, Prophetas ipsos quasi arreptitios,

Spiritussanctus cur Dominus appelletur. *Matth. 28.* *1. Cor. 2.* *Io. 5. & 6.* *Spiritussanctus cur vivificans dicatur.* *Ioan. 16.* *Spiritussanctus quòd per Prophetas locutus sit.*

pitios, & mente captos enunciasse sua oracula, & diuina mysteria, ut ea impia assertione derogarent uerbis Propheticis fidem, atque autoritatem; & persuaderent hominibus ipsos Prophetas nequaquam intellexisse ea sacra oracula quæ protulerant; sed more insanorum, & non benè mente cõstantium illa eructasse. Verum unus, & idem Spiritussanctus, qui dedit ipsis eloqui diuina Sacramenta; contulit ipsis etiã eorum quæ enunciabant, intelligentiam, & interna reuelatione in longe post ventura tempora prospectum: quod quidem Beatus Petrus comprobat, cum ait: Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritusancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. *2. Pet. 1.*

Nonus articulus, scilicet: Credo in Vnam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, Sanctorum communionem, quid præcipiat nobis credendum. Cap. XXVIII.

NOnus autem iste Articulus tunc pleniorem nobis præbebit intellectum, quando dictum fuerit, quid sit Ecclesia, & cur Vna nuncupetur, Catholicaque, ac Apostolica. Est igitur Ecclesia nil aliud, quam congregatio filiorum Dei in Christo Iesu, per Spiritumsanctum conciliata sub vno capite Pontifice Romano, scilicet, militans; vno verbo, & eisdem Sacramentis concorditer vtens; vna fide, spe, & charitate, alijsque donis Spiritussancti pollens. Et dicitur Ecclesia militans, quæ adhuc militat cum immanissimis hostibus, mundo, carne, & Sathana, & peregrinatur in terris, habens adhuc inter se bonos, & malos, triticum, & paleas, bonum semen, & zizania; ad differentiam triumphantis, quæ est cætus ille beatarum animarum cum Christo regnantium, qui ipso de mundo, carneque, & Diabolo triumphauit, & regnat nunc cum Christo securus in æternum, idest æterna beatitudine perfruens. Præterea Ecclesia hic Vna uocatur tanta hominum multitudo, quæ tam longè, lateque diffusa est, ob eas causas, quæ ab Apostolo ad Ephesios scriptæ sunt: quia est unus Dominus, una fides, & unum baptisma tantum: vnus est etiam eius rector, ac gubernator, inuisibilis quidem Christus, quem æternus Pater dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus eius, sicut unius animæ est humanum corpus: nam quemadmodum humanum corpus multis constat membris, eaque ab vna anima aluntur, quæ oculis uisum, auribus auditum, & alijs sensibus diuersas uires subministrat: ita corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, ex multis fidelibus compositum est: uisibilis autem is rector est, qui Romanam Cathedram, Petri Apostolorum principis legitimus successor, tenet. Propter hoc etiam vna dicitur Ecclesia, quia vnus, idemque est Spiritus, inquit Apostolus ad Corinthios, qui fidelibus gratiam, perinde atque anima corporeis membris vitam impartitur. Porrò Ecclesia vocatur Sancta, ob id inquam, quod ipsa est corpus Christi: & cum corpus coniungatur cum Sancto capite Christo Domino totius sanctitatis fonte; ergo est vtrumque Sanctum. Item sancta est, quia

Ecclesia quotuplex. *Matt. 13.* *Prima Ecclesiæ proprietas. Vna cur sit Ecclesia dicta. Ephes. 4. Cõparatio. Alia causa cur Ecclesia dicatur vna. 1. Cor. 2. 2. Eccl. proprietas. Ecclesia cur sancta vocetur.*

Digitized by Google

Alia causa cur Ecclesia dicatur Sancta
sanguine suo abluta est. Vltimo quia Deo consecrata, & dicata fuit.
3. Eccl. proprietas. Tertia proprietas Ecclesiæ ea est, vt Catholica, nempe Vniuersalis vocetur: quæ appellatio verè illi tributa est: quoniam omnes homines siue illi Barbari, siue Scitæ, siue serui, siue liberi; siue masculi, siue feminæ sint, charitatis suo sinu complectitur: Dixit enim aliquando
Eccles. cur dicatur Catholica. Filio Deus: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuã terminos terræ: & in Apocalypsi Ioannes dicit: Redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo,
Psalm. 2. & natione, & fecisti nos Deo regnum; cuius regni omni creaturæ vo-
Apoc 5. ce Apostolorum prædicatum est Euangelium: In omnem terram enim
Mar. 16. exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ex supradí-
Psalm 18. ctis ergo patet, quod omnes fideles veram fidem profitentes, qui ab Adam in hunc vsque diem fuerunt, quiue futuri sunt quamdiu mundus extabit, ad eandem Ecclesiam pertinent, quæ super fundamenta Apostolorum fundata est, ac Prophetarum, qui omnes in illo lapide an-
Eph. 2. gulari Christo, qui fecit vtraque vnum & pacem ijs, qui propè, & ijs qui longè, annunciauit, constituti sunt, & fundati. Vniuersalis etiam
Vniuersalis itẽ quare dicatur Ecclesia. ob eam causam dicitur, quod omnes, qui salutem æternam consequi cupiunt, eam tenere, et amplecti debeant, non secus ac, qui arcam Noe ne diluuio perirent, ingressi sunt. Verum vt omnes intelligerent quænam esset Ecclesia Catholica, Sancti Patres in Symbolo illud diui-
Eccles. cur dicatur Apostolica nitus addiderunt, Apostolicam: quia prædicatione Apostolorum & fundata est, & stabilita, qui post Christum fuerunt ipsius Ecclesiæ fundatores: & quia Spiritus sanctus, qui Ecclesiæ Sanctæ præsidet, eam non per aliud genus ministrorum, quàm per Apostolicum gubernat: qui spiritus primum quidem Apostolis tributus est; deinde uerò
Auctor alibi in tract. 2. cap 23. summa Dei benignitate semper in Ecclesia remansit: quod multo dilucidius diximus in libro sexcentum quæstionum in Sacrificium Missæ.
Eccl quomodo dicatur Sanctorum com. Nunc paucis compræhendemus totius huius noni articuli declarationem, scilicet, illorum uerborum: Sanctorum communionem, dicentes: Credo, omnes Christi fideles propter Sacramentorum communionem, maximè sacratissimi corporis, & sanguinis Christi, quæ uerè sunt sancta, Dei participes, & unum corpus cum Christo fieri:
Qui manducat meã carnem, & bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in eo. & inde credo esse communionem sanctorum: cum ipsi in hoc sæculo soliciti sint seruare unitatem spiritus in vinculo pacis: & apud quos nunc sit unitas fidei, doctrina consentiens, & conformis usus Sacramentorum.

Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum.
Cap. XXIX.

VNum autem nos Christi fideles confitemur baptisma: quoniam semel tantum est percipiendum; neque quoque circa eundem est iterandum. Et ita nominatur à Beato Paulo, cum scribit ad Ephesios:
Ephes. 4. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium: qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Hoc

autem

Digitized by Google

autem salutare lauacrum in peccatorum remissionem ordinatur: quia ritè ipsum suscipienti omnia abluuntur, & abolentur peccata ante contracta. Vnde prædictus Apostolus ad Ephesios dicit, quòd Christus mundauit Ecclesiam lauacro aquæ in uerbo uitæ: & lauacrum aquæ, Sacramentum est Baptismi. At quoniam & cætera etiam Sacramenta Confirmationis, Pœnitentiæ, & cæterorum, ad peccatorum remissionem, & gratiæ impetrationem mirificè, & efficaciter conferunt: ideo sub hoc utique præsenti Articulo comprehendi debet fides, & confessio prædictorum omnium Ecclesiasticorum Sacramentorum, præsertim uerò Baptismi: quia cum primum fidem profitentes Sacro illo baptismo abluimur, adeò cumulatè nobis datur dicta peccatorum remissio; ut nihil aut culpæ delendum, siue ea origine contracta, siue quòd propria uoluntate omissum, vel commissum sit, aut pœnæ persoluendum relinquatur. Fit autem ista peccatorum remissio à Deo, & Christo, uirtute Spiritussancti, idque per misericordiam Dei; per redemptionem, quæ est in sanguine Christi; per fidem; per conuersionem cordis in ipsum; per Sacramenta Ecclesiæ; per bona denique opera, atque ea potissimum, quę à charitate procedunt: omnia enim hæc cooperantur plenam remissionem peccatorum, unumquodque suo ordine. Credo igitur remissionem peccatorum, scilicet, esse; & non solum esse, & reperiri in Catholica Ecclesia; de qua Isaias prędixerat. Populus, qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas; sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse: qua si ritè, & secundum leges à Christo Domino præscriptas Sacerdotes utantur, uerè peccata remitti, & condonari credendum est. Quod autem in Ecclesia Dei sit, ac reperiatur potestas dimittendi peccata, patet profectò ex multis Domini nostri Iesu Christi dictis: qui Petrum ita olim allocutus est: Tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cęlis, Item quæcunque alligaueris super terram, erũt ligata & in cælo; & quęcunque solueris super terram, erũt soluta & in cælo. Deinde Sanctus Matth. testatur Dominum, cum insufflasset Apostolis, dixisse: Accipite Spiritũsanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorũ retinueritis, retenta sunt.

Ephes. 5.

Per quæ fiat peccatorum remissio.

Expositio verborum articuli huius decimi.

Isai. 33.

Matth. 16.

Matt. 18.

Et expecto resurrectionem mortuorum; quid per hunc Articulum doceamur. Cap. XXX.

IDest ego expecto carnis, corporumue hominum mortuorum, resurrectionem; uidelicet credo & illam profectò infallibiliter futuram esse: & confiteor, quòd corpora nostra, quæ moriuntur, & exinde computrescunt, tandemque redeunt in cinerem, prorsus eadem suscitabuntur à morte, cum eisdem oculis, eisdem manibus, eisdem pedibus, omnibusque membris eisdem, quibus antea uixerunt; siue iniustorum, siue iustorum, siue infidelium, siue fidelium fuerint corpora, omnia, inquam, resurgent: sed non omnia sua resur-

Digitized by Google

rectione immutabuntur, ut sint deinceps incorruptibilia, illustria, cœlestia, spiritualia, & gloriosa; si quidem hoc tantum bonum reseruatur solis fidelium corporibus; nec ijs sanè omnibus: quia non nisi illorum corporibus, qui cum pietate dormitionem acceperunt, hoc est, Christianè, ac piè mortui sunt. Corporum ergo tantum erit resurrectio, non autem animarum: quia hominum animæ per mortem corporis non sustinent interitum, sed incorruptæ, ac superstites permanent: corpora verò humana & sentiunt obitum, & dissolutionem in puluerem terræ, ex quo compacta sunt, & corruptionem patiuntur: quare sicut semina, quæ seminamus non uiuificantur, nisi prius moriantur putrescendo, & rursum germinando postmodum resurgunt; sic etiam homo post mortem resurget.

Et vitam venturi sæculi. Amen. Cap. XXXI.

Sæculum venturum quòd dicatur.

HIc nobis ante omnia præsciendum est, quod venturum sæculum dicitur duratio post hanc temporaneam & mortalem vitam futura, siue animarum à corpore separatarum, & ante diem iudicij immortalem in regione cælesti viuentium vitam; siue exacto die iudicij iustorum omnium, qui anima rursum corpori vnita, terram viuentium perpetuò incolent: est ergo & illarum vita, itidem & horum iustorum scilicet, alterius generis, quam sit hæc nostra mortalis sortis conditio, & ad alterum quidem spectat sæculum, nobis quamdiu hic degimus ignotum, & inexploratum. Hæc autem venturi sæculi vita (dicunt Apostoli in suo Symbolo) vita est æterna, quoniam nescia finis est, & infermina. Credimus ergo aliam huic nostræ superesse vitam, morte, omnique corruptione multo potentiorem, ideoque uerè æternam. Est autem uita æterna, ut aliàs diximus in expositione Hymnorum; uidere Deum Patrem, & quem misit Iesum Christum: Vnde Ioannes ait: Hæc est uita æterna inquit Christus Dominus; ut cognoscant te solum Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum. Solida si quidem beatitudo, quam essentialem communi nomine licet uocare, in eo sita est, ut Deum uideamus, eiusque pulchritudine fruamur, qui est omnis bonitatis, ac perfectionis fons, & principium. Nam corpus nostrum, quod antea crassum, & concretum fuit, cum in cœlo (detracta mortalitate) tenue, & spirituale effectum fuerit, nullis amplius alimentis indigebit: Anima autem æterno gloriæ pabulo, quod magni illius conuiuij autor transiens omnibus ministrabit, cum summa uoluptate exsaturabitur. Amen.

Regnum nostrū non est de hoc mundo.

Vita æterna quid sit.

Hymn. 1. lib 1.

Ioan. 17.

Apostoli cur Symbolum claudi, & terminari Articulo æternæ vitæ voluerint. Cap. XXXII.

Romanus Cathechismus.

SAncti Domini Apostoli, duces nostri, inquit Romanus Cathechismus, Symbolum, quo fidei nostræ summa continetur, æternæ vitæ Articulo claudi, & terminari uoluerunt: tum quia post

carnis

carnis resurrectionem nil aliud fidelibus expectandum est, nisi æternæ uitæ præmium; tum uerò, ut perfecta illa fœlicitas, bonis omnibus cumulata, nobis semper ante oculos uersaretur, doceremurque in ea mentem, & cogitationes nostras omnes defigendas esse. Iam nunc ad tertiam virtutem Theologicam, Charitatem, scilicet; (ubi primum huc usque de fide, spe, atque de spectantibus ad easdem suprà exposuimus) descendamus; de ea in primis dicentes, quid ea sit; subinde postea de eiusdem & naturalibus, diuinisque, ac Ecclesiasticis differentes præceptis. *Transit ad tertiã uirtutem considerandã.*

Charitas quid est. *Cap.* XXXIII.

De Charitate.

CHaritas secundum Apostolum sic diffinitur: Charitas est finis præcepti de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: sumitur autem hic finis pro consumatione, quia Charitas est consumatio, siue perfectio omnis præcepti. De corde puro, idest de intellectu puro, & conscientia bona, idest, spe: quia qui puram habet conscientiam, securè sperat. Et fide non ficta, idest, simulata, uel fragili, sed inter aduersa forti. Aliàs Charitas est recta uoluntas ab omnibus terrenis, & præsentibus prorsus auersa iuncta Deo inseparabiliter, & unita, igne quodam Spiritussancti (à quo est, & ad quem refertur) incensa, inquinamenti omnes extranea, corrumpi nescia, nulli uitio mutabilitatis obnoxia, super omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelsa, affectionum omnium potentissima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus semper inuicta, summa actionum, bonorũ salus morum, finis cœlestium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma uictorum, sanctarum mentium armatura, causa meritorum bonorum, præmium perfectorum: sine qua nullus Deo placuit, cum qua aliquis Deo displicere non potuit, fructuosa in pœnitentibus, læta in proficientibus, gloriosa in perseuerantibus, victoriosa in martyribus, operosa in omnibus omnino fidelibus: ex qua quicquid est boni operis viuit. Porrò Charitas quantum ad actum diffinitur quatuor modis: Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, & in Deum: Secundo sic. Quid est Charitas nisi vis copulans amantem cum amato? Tertio sic: Charitas est uirtus, qua uidere Deum & perfrui desideramus. Quarto sic: Charitas est uirtus, quæ animi nostri rectissima affectio est.

Charitas quid. *1. Tim. 1.* *Charitatis diffinitio commendabilis.* *Alia Charitatis Diffinitiones.*

Quæ sit differentia inter Charitatem, & alios amores. *Cap.* XXXIIII.

PRofectò Charitas est amor in Deum, quæ amicum determinat, & iudicat omnibus chariorem: Vnde Charitas dicitur quasi cara vnitas, vel quasi charum faciens Deo: præterea amamus Deum propter se: Diligimus eum super omnia propter sua beneficia, quia dilectio *Ethymologia.*

Digitized by Google

Dilectio quid. dilectio est diuersorum electio: Charitas utrumque complectitur, scilicet, super omnia, & propter se; sed amor propriè est naturæ: & dicitur amor, quasi animorum unio, quia quietat appetitum in re amata. Ad hæc amor naturalis est erga se, pius erga parentes, iucundus erga socios, iustus erga amicos, uiolentus erga inimicos, sanctus erga Deum.

Diligere Deum, & diligere Proximum quid sit. Cap. XXXV.

Diligere Deũ quid sit. NOta tamen, quod diligere Deum est velle præcepta eius seruare cum intentione fruendi eo. Item diligere Deum est velle ipsum possidere, & ab ipso possideri. Item diligere Deum, est voluntatem eius voluntati nostræ in omnibus præferre. *Diligere proximum quid.* Diligere uerò proximum est, velle ei bonum & non per essentiam, sed per gratiam. Item diligere proximum est, successum bonum ei optare, & querere: est & velle ei, quod sibi.

De decem Decalogi præceptis. *Decem Decalogi præcepta quomodo contineantur in duobus mandatis Charitatis. Cap. XXXVI.*

SEd iam distributio Decalogi, quæ in duobus mandatis, scilicet; Charitatis completur, consideranda est: Habet enim Decalogus decem præcepta, quæ sunt decachordum Psalterium: quæ sic sunt distributa, ut tria quæ sunt in prima Tabula; pertineant ad Deum, scilicet, ad cognitionem, & dilectionem Trinitatis. Septem; quæ sunt in secunda Tabula, ad dilectionem proximi: Nam etsi multa locutus *Tota lex ex duabus tabulis pēdet.* sit Dominus, duæ tamen tantum tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur Tabulæ testimonij futuri in arca: cætera nimirum omnia alia, quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur, ut intelligantur. *Decalogus quid.* Decalogum ergo legum omnium summam, & epitomen esse non malè Romanus Cathechismus conclusit ex dictis Domini nostri, *Matth. 22.* dicentis legis Doctori interroganti, quod esset mandatum magnum in lege: Diliges Dominum inquit, Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, hec est maximum, & primum mandatum: Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: in his duobus mandatis uniuersa Lex pendet, & Prophetæ. *Præcepta Charitatis, seu legis gratiæ quæ sint.* Itaque ista duo legis gratiæ præcepta omnia præcepta decem decalogi, imò totam legem complectuntur.

Quænam sint præcepta Decalogi. Cap. XXXVII.

SVnt autem legis scriptæ, seu Decalogi præcepta decem, uidelicet.

Digitized by Google

1 Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, vt adores illud: Neque omnem similitudinem. *Exod. 20. Deut. 5. Exod. 20. Deut. 5. & 19.*
2 Non assumes nomen Dei tui in vanum.
3 Memento, vt diem Sabbathi sanctifices.
4 Honora patrem tuum, & matrem tuã, vt sis longæuus super terrã.
5 Non occides.
6 Non mœchaberis.
7 Non furtum facies.
8 Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
9 Non concupisces vxorem proximi tui.
10 Non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec vniuersa quę illius sunt.

Prædicta legis scripta præcepta qui distinguantur. Cap. XXXVIII.

Est autem aduertendum, vt supra enarrauimus paulò ante, quòd prædicta Decalogi præcepta hanc recipiunt distinctionem, scilicet, vt tria prima præcepta, scilicet prioris Tabulæ, nos ordinent ad Deum; quoniam ad Deum verè pertinent. Nam primum pertinet ad Patrem; quia est de diuina unitate. Secundum pertinet ad Dei *Filium*; quia est de iuramenti ueritate. Tertium ad Spiritumsanctum, quia est de Spirituali vocatione. Præcepta verò secundæ tabulæ, quæ sunt septem sequentia, spectant ad proximum; quia nos ordinant ad proximum, quorum primum, scilicet: Honora patrem tuum, est de exhibendis bonis. Reliqua sex sunt de cauendis malis, quæ inferri possunt corde, aut opera, vel ore. Opere lædimus proximum tripliciter, propter quod data sunt tria præcepta, scilicet, non occides: non mœchaberis: non furtum facies. Ore autem proximum lædimus, & propter hoc quoque dictum est nobis à Deo: non dices contra proximum tuum falsum testimonium. At corde dupliciter proximum lędimus, nimirum quandoque respectu rei irrationalis, propter quod dictum est non concupisces rem proximi tui: Quandoque verò respectu rei rationalis: vnde propter hoc dictum fuit. Non concupisces vxorem proximi tui. Item præceptorum quædam sunt affirmatiua, vt honora patrem: Quædam verò negatiua, vt non occides &c. Item præcepta affirmatiua obligant semper, sed non ad semper: negatiua verò obligant semper, & ad semper. Item præcepta Decalogi possunt dici data, vel innata: primo modo tantum pertinent ad populum Israeliticum: secundo modo omnes obligant, quia quicquid continet Decalogus explicitè, hoc continet lex naturæ, quæ scripta est in corde cuiuslibet implicitè; cuius legis naturæ verba sunt hæc: Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris: & quæcunque vis vt tibi faciant alij; hæc & illis ipse feceris: & hæc duo legis naturæ pręcepta includunt hæc præcepta, scilicet: Non occides; non furtum facies, & huiusmodi; quę Decalogus ponit explicitè.

Nota. *Præceptorum alia distinctio.* *Tertia præceptorum distinctio.* *Precepta legis naturæ duo.*

Præceptum

Digitized by Google

Præceptũ quid.

Præceptum quid sit. Cap. XXXIX.

NVnc quid sit pręceptũ dicamus: & quidem pręceptum est imperium faciendi aliquid, vel non faciendi. Vel sic: Præceptum, vel mandatum Dei, nihil aliud est, quàm Dei imperium, vt faciamus ea, quæ præcipit, & fugiamus, quæ prohibet, sub pœna mortis æternæ. Vel præceptum Dei est iussio Dei, qua nobis suam voluntaté manifestat, vt sciamus quid facere, quidue vitare debeamus.

Primum Decalogi præceptum quidnam nobis prohibeat. Cap. XL.

De primo præcepto. Exo 20. Idololatria ꝓhibetur Nota differentiam.

CVm primum mandatum, seu præceptum tres habeat clausulas, scilicet; non habebis Deos alienos coram me. non facies tibi sculptilia: & neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra: sequitur ergo, quod tria creaturarum genera adorari prohibentur: per primam enim clausulam prohibemur nos Christi fideles adorare creaturas spirituales, scilicet, Angelos. Per secundam, scilicet. Non facies tibi sculptile; prohibetur colere figmenta; scilicet, idola, uel sculptile, hoc est, imagines fictas, quæ nullius rei sunt repręsentatiuæ. Per tertiam, & vltimam clausulam, prohibemur adorare omnem similitudinem, scilicet, imagines rei naturalis, quæ siue sit in cęlo desuper, vt Sol, & Luna; uel quæ sit in terra deorsum, vt homo, bos, & huiusmodi; uel quæ sit in aquis sub terra, vt pisces. Non tamen hic possunt Christiani vllatenus reprehendi, si sibi faciunt imagines Sanctorum, non quidem ad adorandum, sed ad memorandum: honor enim qui exhibetur Sanctis, non est latriæ, sed Duliæ, secundum rationem allegoricam. Ex supradictis ergo patet non debere nos adorare supradicta actu exteriori, neque colere, scilicet, affectu interiori; sed oportet, vt fide agnoscamus, & agnoscentes colamus vnum solum Deum, & præter eum nihil prorsus suscipiamus illius loco, non astra cœli maiora, vel minora, non Angelos, non homines, qua fulgeant dignitate; neque idola gentium, neque diuorum statuas: omnia enim hæc aut finxit omnipotens manus Dei, aut fecit homo.

Ritus imaginum conceditur, & quomodo adoranda imagines.

De secundo pręcepto primæ Tabulæ.

Quid prohibeat secundum præceptum. Cap. XLI.

SEcundum præceptum est: Non assumes nomen Dei tui in uanum, quod est dicere secundum literam: non iurabis pro nihilo nomen Dei. Hic ergo prohibetur iuramentum, & periurium, quod fit sine causa: uterque enim peccat, scilicet pro nihilo iurans, & assumens, & falso iurans nomen Dei in uanum: quia primus sine causa nominat summam ueritatem; Secundus autem nominatam contemnit. Et nota quod tribus modis quis peccat in periurio; primo iurando contra

In periurio peccatur tripliciter.

con-

Digitized by Google

conscientiam: secundo iurando illicitum: tertio ueniendo contra iuramentum. Praeterea sciendum est, quod faciens iuramenta ex certa scientia, quae sonent blasphemiam, vt quando quis iurat per intestina, & de Deo, rebusque diuinis per iocum temere, & succurriliter loquitur: uel si uerba prolata sonent in irreuerentiam, sicut cum iurat per uulnera Christi: sunt peccata mortalia, etiam si verum sit quod iuratum est ab eo. Vltimo nota, quod nomen Dei assumitur tribus modis in vanum, scilicet, corde, ore, & opere. Corde sicut mali homines, qui tantum nomine, sine re dicuntur Christiani; qui licet Sacramentum receperunt baptismi; tamen rem Sacramenti, idest gratiam non habent. Ore verò, scilicet, mala iuratione, uoti transgressione, praedicatione, quae fit mala intentione, & in deuota oratione de qua dicitur. Populus hic labijs me honorat, & opere secundum quod hypocritae nomen Dei assumunt in simulatione operis exterioris non in puritate cordis. Vnde sumunt illud in uanum: quia receperunt mercedem suam. Caeterum pueri ante pubertatem, hoc est, ante decimum quartum annum, etiamsi scienter falsum iurent, minimè in hoc praeceptum peccant: si quidem in iureiurando & iudicium, ultrà veritatem, & iustitiam requiritur: neque enim iusiurandum temere, & inconsiderate, sed consulto, & cogitato adhiberi debet, & id etiam quod asseritur, & ipsum verum sit, & qui iurat, id ita esse arbitretur certissimis argumentis nullatenusque iniustum aliquid, aut inhonestum promittat, secus sic iurando peccat, vt peccauit Herodes, qui temeratio iureiurando obstrictus, caput Ioan. Bap. dedit puellae saltatrici. Allegoricè verò hoc praeceptum prohibet, vt non putemus creaturam esse Christum Dei Filium, (quia omnis creatura vanitati subiecta) sed aequalem patri.

Assumitur nomẽ Dei in uanum, & quomodo, quotue modis.

Nota.

Isa 13.

Matth. 6.

Veritas, iudicium, & iustitia in iuramento requiruntur.

Mar. 6.

Allegoricè.

Rom. 8.

Tertium primae Tabulae praeceptum quenam nobis imperet. Cap. XLII.

De tertio primae Tabulae praecepto.

HOc quidem Tertium primae tabulae praeceptum nobis praecipit, videlicet, Memento ut diem Sabbathi sanctifices, sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septima autem dies Sabbathi Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena, qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus coelum, & terram, mare, & omnia quae in eis sunt, & requieuit in die septimo. Iccirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & sanctificauit eum. Ex quibus quidem verbis nota duo esse in hoc praecepto, nempe quoddam morale, quoddam verò ceremoniale: Morale in hoc consideratur; quoniam hoc praeceptum cum reliquis, inquit Cathechismus Romanus, conuenit non ritu, & cerimonijs; sed quia aliquid habet, quod ad mores, naturaeque ius attinet: nam Dei cultus ac religio, & vacatio ad Deum, orando, ac meditando, quae in hoc praecepto exprimuntur, à naturae iure existit: Cum illud natura comparatum sit, vt aliquot horas in

Exo. 20.

Roma. Catechism.

l. veluti, ff. de iur. nat. gent. & ci.

Digitized by Google

ras in ijs, quæ ad Dei cultum pertinent, versemur: vnde apud nos nostris temporibus statas quasdam ferias, easque publicas esse cernimus, quæ sacris rebus, ac diuinis obeundis sunt consecratę. Ceremoniale verò de Sabbathi cultu præceptum, quia reliqua Decalogi præcepta naturalia sunt, & perpetua, neque mutari ulla ratione possunt: quia naturæ conueniunt, cuius vi homines ad illa seruanda impelluntur: si statutum tempus spectetur, non fixum, & constans est, sed mutabile, neque ad mores, sed ad Ceremonias pertinet: vnde ob eam causam initio præcepti verbũ illud, Memento, apposite quidẽ additum est, quod huius diei cultus ad Ceremonias pertineat: ex eo enim tempore, quo populus Israeliticus à Pharaonis est seruitute liberatus, dies Sabbathi ab hominibus cœpit coli: nam etsi naturę lex Deum colendum esse doceat; hoc tamen quo potissimum die fieri deberet, non præscripsit.

Verbum. Memento, cur initio tertij huius præcepti anteponatur.

Reliquæ tertij huius præcepti reliquiæ animaduertendæ sunt modo singulæ; & prima est, quod Sabbathum, Hebraicum nomen, Latinè cessatio dicitur: nam Sabbathizare, cessare & requiescere Latino vocabulo appellatur; unde hac significatione factum est, ut Sabbathi nomine dies septimus diceretur: quoniam absoluta, & perfecta mundi uniuersitate, Deus ab omni opere, quod fecerat requieuit: sed dies Sabbathi postea translatus est in diem Dominicum; primum propter lucem, quæ eo die orbi terrarum illuxit, ut tradit Cathechismus Romanus, ac propter honorem, & gaudium resurrectionis Domini nostri Iesu Christi; in quo nihil est agendum, nisi Deo uacandum: Itaque dies Dñicus nunc dici pōt dies Sabbathi, imò & quolibet dies statutus ad uenerationem diuinam, (ut puta Natiuitas Domini, dies Epiphaniarum, Pascha, Ascensio Domini, & Pentecostes, ac denique festi dies Sanctorum) in quibus quidem omnibus prędictis diebus cessandum est ab opere seruili, idest, à peccato: nam qui facit peccatum, secundum Ioannem, seruus est peccati; ac etiam ab operibus mechanicis, qualia sunt agricultura, mercatura, placita, exercitia, & huiusmodi, de quibus dicitur in c. de ferijs.

Sabbathi nomine qd significetur.

cap. Sabbatho, dist 3. de consecr.

Sabbathi dies cur translatus sit in diem Dominicũ

Ioan. 8.

Non tamen eæ actiones, inquit Romanus Cathechismus, neque ea opera uetantur, quæ ad diuinum cultum attinent, ut altare instruere, templa alicuius festi diei causa ornare, & reliqua huius generis, & ideo dictum est a Domino, quod Sacerdotes in templo Sabbathum uiolant, & sine crimine sunt. Neque præterea earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quorum iactura facienda sit, si die festo prætermittantur, ut etiam à sacris Canonibus permissum est. Præuaricantur ergo hoc pręceptum ij omnes, qui aliquid externi operis, citra necessitatem, aut euidentem proximi utilitatem faciunt. Item ij, qui totos hos dies turpi ocio traducunt, & horas à profanis occupationibus liberas, sanctis exercitijs non impendunt. Item ii, qui sacra audire negligunt. Item ij, qui diem sanctificationi destinatum ad res turpes conuertunt, & totos dies ebrietatibus, commessationibus, uarijsque flagitijs absumunt. Item & ij Sabbathum profanant, qui omisso sacrarum rerum exercitio, spectaculis, aleæ, chorçis, alijsque rebus mentem à celestium rerum contempla-

Catechis. Quæ opera possint fieri in die festo.

Matth. 12.

cap. cõquestus, de ferijs.

Contra tertium præceptum qui-nã faciãt. Nota.

Digitized by Google

contemplatione auocantibus, & ad illicitas cupiditates pellicientibus intendunt. At ij verè Sabbathum sanctificant, qui eo die congregatis in Christo fratribus se adiungunt, cumq; ijs ieiunat, commissa confitentur, sacram Eucharistiam percipiunt, qui precantur, qui psallunt, qui elemosinas in egenos dispergunt, ægrotos inuisunt, tristes solantur, hospites peregrinos excipiunt, pupillisq; patrocinantur. *Quinam Sabbathū sanctificēt.*

Quartum præceptum quidnam nobis faciendum proponat. Cap. XLIII.

HVcusque de tribus primæ Tabulæ mandatis, ad Deum, scilicet, ad cognitionem, & dilectionem Trinitatis pertinentibus, diximus: Nunc de his, quæ sunt in secunda Tabula, quæ sunt septem mandata, ad dilectionem pertinentia, tractemus; quorum primum ad patrem carnalem refertur; sicut primum primæ Tabulæ ad Patrem cęlestem; quod est: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, scilicet, viuentium: nam iustum est, vt conseruatio vitæ alienæ mereatur conseruationem vitæ propriæ. Cæterum pro intelligentia huius præsentis præcepti, seu mandati, aduerte, quod pater multiplex hic accipitur; primo enim patris nomine, omnes ascendentes, videlicet, pater, & mater, tum etiam auus, & auia, & reliqui, qui nos generarunt, sunt intelligendi. Secundo omnes Ecclesiæ præsides; vt tradit Cathechismus; & pastores, & Sacerdotes, patres dicuntur: quemadmodum ex Apostolo constat, qui ad Corinth. scribens; inquit, non vt confundam vos, hæc scribo, sed vt filios meos carissimos moneo. Tertio ij, quibus imperium, aut magistratus, aut potestas commissa est, qui rempublicam gubernant, patres appellantur: sic & Naaman à famulis vocabatur. Præterea patres dicimus, quorum protectioni, fidei, probitati, sapientiæque alij commendantur: cuiusmodi sunt: tutores, & curatores, pedagogi, & magistri, nutrices, & nutricij. Postremo patres dicimus senes, & ætate confectos, quos etiam venerari debemus; omnibus itaque istis patribus honorem exhibere tenemur: qui honor in se tria comprehendit, videlicet debitam reuerentiam, spontaneam obedientiam, & piam (dum opus est) subuentionem: licèt Cathechismus multa alia honoris officia in medium afferat, quæ hic ego non pono breuitatis gratia. Quamobrem contra hoc præceptum delinquunt omnes ij, qui non deferunt honorem parentibus iam prædictis, & qui non obtemperant mandatis eorum, potissimum ij, qui floccipendunt mandata Ecclesię, aut rebelles sunt ijs, qui à Deo acceperunt præsidendi potestatem, & qui senectutem parentum, aut superiorum non suspiciunt, neque subleuant pro viribus ægestatem illorum, & qui maledictis, aut contumelijs parentes afficiunt, aut eos verberant: Item qui mortuis parentibus funus non faciunt, aut exequias, nec honorem sepulturæ eorum cadaueribus impartiuntur, nec anniuersaria facienda curant, nec legata ab eis relicta persoluunt, & cætera huiusmodi non curant.

Exod. 20. Deut. 5. Matth. 19. *Parentum appellatione qui intelligantur.* *Cathechis. 1. Cor. 4.* *4. Reg. 5.* *Honoris intelligentia. Cathechis.* *Nota.*

Quintum praeceptum quidnam prohibeat. Cap. XLIIII.

Nota.
Genes. 1.
Homicidiũ prohibetur
Genes. 9.
Matt. 26.
l. ut vim. ff. de iust. & iure.
Cathechis.
Occisio iniusta quot modis fiat.
l. si quis aliquid ff. de poenis §. qui abortionis.
c. fin de his qui fil. occ.
c. Ioãnes, et c. fin. de homic.
Dist. 86. c. pasce.
Eccles. 1.
l. liber homo ff. ad l. Aquil.
Cathechismus.
1. Ioan. 3.

CVm homicidæ sint humani generis, naturæque hostes acerbissimi, qui quantum in eis est, vniuersum Dei opus euertunt, cum hominem tollant; cuius causa is omnia, quæcunque procreata sunt, se fecisse testatur: ideo hoc præsenti pręcepto, scilicet, non occides: vetitum est ab eo, ne quis manibus suis aut ferro, aut lapide, aut baculo, aut laqueo, aut veneno, aut consilio, ope, auxilio, vel alia quacunque ratione; vitam homini tollat, eripiatuè ullatenus: quod si secus factum fuerit ab aliquo, quicunque ille fuerit, qui sanguinem humanum effuderit, illius effundetur sanguis; cuius quidem irremissibilis pœnæ sanctionem approbauit Christus, dicens: omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Caueat ergo quæcunque fidelis anima, ne iniustè proximum suum occidat: quinimo cum natura inter nos cognationem quandam constituerit, consequens est etiam dicit Lex, hominem homini insidiari nefas esse: nam quod ad eos, qui cędem faciunt, pertinet; nemo, inquit Cathechismus, excipitur, non diuites, non potentes homines, non Domini, non parentes; sed delectu omni, & discrimine remoto, occidere vetitum est omnibus: si uerò ij spectantur, qui interficiuntur, ad omnes hæc lex pertinet: quia nemo est tam humilis, & abiectæ conditionis, quin legis huius vi defendatur. Itaquę huic pœnæ obnoxij sunt, qui vitam proximo eripiunt; qui alium ad homicidium alterius imperio compellunt; qui alium ad occidendum consilio, aut persuasione inducunt; qui auxilio aliquem, vt occidant, iuuant; qui iratos inflammãt, aut ansam præbent ad homicidiũ; qui acerbis verbis iras exortas acuunt, & in mutua odia magis irritant, & prouocant; qui querunt, & cooperantur abortum per medicinas, aut pharmachis fœtum eiiciunt, vel in utero perimunt, qui suo facto suffocant filium negligenter, qui occidunt aliquem casu præter intentionem dando operam rei illicitæ, vel etiam dando operam rei licitæ, sed non adhibendo debitam diligentiam, vt proiiciendo tegulas de tecto, vel ramum de arbore, rei sunt pœnæ, si non præclamauerint, aut aliquod signum dederint. Sed mortaliter peccant etiam, qui fame morientem, non pascunt; nam dicit Ambrosius, pasce fame morientem, si non paueris occidisti. Item qui captiuos, aut iniustè condemnatos ad mortem, quantum possunt non liberant. Item qui seipsos crapula, & ebrietate interficiunt; qui sibiipsis mortem inferunt: quia dicit lex, quod nemo est Dominus membrorum suorum: quod aduertens Cathechismus, ait: nemo vitæ suæ potestatem habet, ita, vt suo arbitratu mortem sibi consciscere liceat; Item qui proximo sunt maledici, imprecantes ei, quæ si euenirent, moreretur; Item qui odit fratrem suum, homicida est, secundum Ioannem: est enim hoc homicidium spirituale secundũ Theologos; quod & detrahendo

Digitized by Google

hendo etiam committitur: nam ille cui detrahitur, occiditur in conscientia illius, qui audit detractorem, in qua prius viuebat per bonam famam. Item cœdis, seu homicidii rei sunt, qui ad proximi læsionem propensos habent affectus. Non tamen ij cędis rei sunt, secundum Cathechismum, quibus data est necis potestas, qua ex legum pręscripto, iudicioque in facinorosos animaduertunt, & innocentes defendunt: exercent enim non hominis, sed Dei iudicium: Nec ii cędis rei sunt, qui fortuito hominem occidunt: nam legitur: Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri, & nudiustertius nullum cum eo odium habuisse comprobatur, sed abiisse cum eo simpliciter in syluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manum, ferrumque lapsum de manubrio amicum eius percusserit, & occiderit; hoc homicidium minimè in peccatis numeratur. Similiter nec ii cędis rei sunt, nec peccant, qui iusto bello, non cupiditate, aut crudelitate impulsi, sed solo publicæ vtilitatis studio vitam hostibus adimunt. Nec demum ii cœdis rei sunt, qui bestias occidunt: quoniam si illis uesci à Deo hominibus est concessum, fas item est illas impunè occidere, vnde secundum August. cum audimus, Non occides; non accipimus hoc dictum esse de fruttetis, quia nullus est eis sensus; nec de irrationabilibus animalibus, quia nulla nobis ratione sociantur.

Quando quis excusetur ab homicidio. Cathechismus. Deut. 19. Augustinus.

Sextum præceptum, quod est: Non mœchaberis: quenam prohibere nobis intendat. Cap. XLV.

HVius autem Sexti præcepti vis duplex esse apparet; altera, qua intendit Dominus adulterium prohibere; altera qua intendit, vt nos animi corporisque castitatem colamus; ut sic intelligamus hac adulterii prohibitione, omne impuritatis, & impudicitiæ genus, quo polluitur corpus prohiberi; omnemque intimam animi libidinem hoc præcepto uetitam esse. In primis ergo prohibetur adulterium strictè dictum, per illa uerba: Non mœchaberis, quæ Saluator exponens, dixit in Euangelio: Non adulterabis: deinde stuprum, incestus, raptus, sacrilegium, fornicatio, immunditia, impudicitia, & immũdities omnis, mollities, & Sodomia: omnia enim hæc adulteria sunt, quia præter debitum vsum generationis, non habentia approbationem à Deo autore naturæ cõmittuntur. De omnibus autem prædictis sunt multa exempla tam noui, quam ueteris testamenti: nam qui adulter est, inquit Sapiens, propter cordis inopiam perdit animam suam: & in Euangelio Dominus ait: De corde exeunt adulteria, quæ coinquinant animam. Et Paulus: Fornicatores, inquit, & adulteros, iudicabit Dominus: Extat Lex Moysi; ne de filiabus Israel ulla esset meretrix. Rursus Paulus: Neque fornicarii, ait, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, re-

Adulterij intelligentia. Exod. 20. Deut. 5. Matth. 19. Prouer. 6. Matth. 15 Hebræ. 13. Deut. 23.

Digitized by Google

gnum Dei poſſidebunt. De ſpirituali autem, ſeu intima libidine extat dictum Domini; dicentis: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non mœchaberis: ego autem dico uobis: quia omnis qui uiderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Nunc ad remedia, ne alicuius proximi noſtri vnquam violetur thorum, veniamus, quibus noſtram etiam cuſtodiemus caſtitatem. Romanus Cathechiſmus præ aliis otium maxime fugiendum eſſe docet; in quo Sodomitæ homines cum hebeſcerent, in ſpurciſſimum illud nefariæ libidinis ſcelus præcipites lapſi ſunt. Crapula præterea magnopere eſt uitanda. Saturaui eos, (inquit Propheta,) & mœchati ſunt: quoniam venter expletus, ac ſaturatus, libidinem parit: & Dominus in Euangelio; Attendite vobis, ne forte grauentur corda ueſtra crapula, & ebrietate; hoc item monet Apoſtolus; Nolite, inquit, inebriari vino, in quo eſt luxuria. Tertio loco oculis inflammari ſolet ad libidinem animus noſter, proinde dicit Dominus; Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te; & Iob. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine: ſunt certè ferè innumerabilia exempla malorum, quæ ex oculorum aſpectu ortum habuerunt; de quibus hic non loquor, cum ad plenum ſit ſcriptum de his apud Cathechiſmum. Elegantior item ornatus, quo oculorum ſenſus valde excitatur, occaſionem libidini non paruam ſæpè præbet; ideoque Eccleſiaſticus monet: Auerte faciem tuam à muliere compta: & de hoc, & eſu inordinato, qui ſunt libidinis incitamenta, multa ſcripſi in expoſitione Hymni illius, qui incipit: Summæ Deus clementiæ. Quinto loco, hoc libidinis incitamentum, quod eſt ueſtium exquiſito ornatu amictum exiſtere eſſe ſolet; Alterum ſequitur, quod eſt turpis, obſcœniq; ſermonis: nam verborum obſcœnitate, quaſi face quadam ſubiecta, adoleſcẽtum accenduntur animi: Corrumpunt enim mores bonos colloquia mala, inquit Apoſtolus: hoc autem ipſum cauſant delicatiores, & molliores cantus, ac ſalutationes librique obſcœnè, & amatoriè ſcripti, qui vitandi ſunt, necnon & imagines, quę aliquam turpitudinis ſpeciem præſeferunt. Quare hæc omnes ſupradicta obſeruent, ac cuſtodiant; & in agone contendant, & carnis curam minimè faciant in deſiderijs, vt incorruptam accipiant coronam.

Amen.

Matth. 5.

Ne violetur caſtitas, aut alterius thorum remedia.

Catechiſmus

Otium, & crapula multũ ſunt fugienda.

Hierem. 5.

Luc. 21.

Ad Eph. 5.

Matth. 5.

Multa mala ex oculorũ aſpectu exorta ſunt.

Eccleſ. 9.

Author alibi.

Nota.

1. Cor. 15.

Rom. 13.

1. Cor. 9.

Septimum

Septimum præceptum; quod est: Non furtum facies; quanam nobis vetet. Cap. XLVI.

HOc autem septimum præceptum eam habet subiectam notionem, secundum Catechismum, vetare, videlicet, Deum, bona hæc nostra; quæ in eius tutela sunt à quodam auferri, aut violari; bonorumque distributiones, & assignationes, iam inde ab initio iure gentium constitutas, omnino confirmari; & vnumquemque ea tenere, quæ ei iure in iam facta assignatione obtigerunt: Vnde propter hoc fures, auari, & raptores, qui nolunt uiuere sua sorte contenti, regnum Dei, secundum Apostolum, non possidebunt. Habet deinde sententiam hanc, scilicet, & vim, qua iubemur benigni, & liberales esse in proximos. Cum igitur dicit Dominus: Non facies furtum, his uerbis vetat omnem rei alienæ, eiusque proprietatis, vsusvè, nec non & possessionis illius, fraudulosam contrectationem contra uoluntatem Domini; nisi tamen fieret contrectatio ex obedientia, sicut fecerunt filij Israel auferendo vasa Ægyptiorum: aut ex cautela, vt si aliquis furetur gladium furiosi, ne sibi, uel alijs noceat, aut ex necessitate, ut cum aliquis ad mortem esuriens, furatur panem; quia in necessitate omnia sunt communia; aliàs nunquam fit licitè rei alienæ contrectatio; quãobrem hic primo furtum, rapina, usura, sacrilegium, peculatus, plagiatum, dolus, ac denique omnis fraus prohibetur, tum in usu, in proprietateque, tùm etiam in possessione rei ipsius alienæ. Peccant ergo in hoc præceptum primo ipsi fures; secundo raptores: sacrilegiq; omnes, tertio imperatores, furari imperantes; suasores, consentientes, participantes, non obstantes, muti, adiutores, laudatores, ac furtum non manifestantes. Sunt ergo fures non solum, qui alienam rem inuito Domino contrectant; sed & ij etiam, qui furto sublatas res emũt: vel aliquo modo inuentas, occupatas, aut ademptas, retinent. Fures sunt etiam ij, qui in emendis, vendendisque rebus adhibent fraudes, & uanitatem sermonis. Item ij sunt fures, qui fallaces, & corruptas merces uendunt pro ueris, & integris: quivè pondere, mensura, numero, ac regula decipiunt emptores: Scriptum est enim: Non habebis in sacculo diuersa pondera: & in Leuitico: Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura: statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius. Fures sunt etiam operarij, & artifices, qui totam, & integram mercedem exigũt ab ijs, quibus ipsi iustam, ac debitam operam non dederunt. Item fures sunt serui Dominorum, rerumque custodes infidi, & detestabiliores omnibus aliis furibus, qui clauibus excluduntur. Fures item sunt, qui fictis, simulatisq; uerbis, qui fallaci mendicitate pecuniam extorquent. Illi quoque in furum numero sunt, qui cum ad priuatum, uel publicum aliquod officium conducti sunt, nullam, uel paruam operam nauantes, munus negligunt, mercede tantum, ac precio fruuntur. Fures sunt etiam Magistratus, si accipientes uectigalia, tributa,

Catechis. *Lex hoc iure ss de iust. & iure.* *1 Cor. 6.* *Hoc præceptum diuisum est in duas partes.* *Institu. de oblig. quæ ex delict. nasc. §. furtum enim, & §. quinto, co.tit.* *Contrectatio rei alienæ quomodo fiat licitè.* *Exo. 11.* *De varijs furtorum generibus.* *Nota.* *Deut. 25.* *Leuit. 19.* *Ad iudices qualibet recte.* *Peccant inualidis corporibus mendicant.* *Magistratus.*

Digitized by Google

collectas, & cætera huiusmodi, tranquillitatem publicam, pro cuius conseruatione tributa illis præstantur, negligunt. Similiter peccant Magistratus, & furtum committunt, quoties subditos suos iniquis exactionibus uexant, & grauant. Fures item sunt subditi, qui malignè defraudant uectigalia, tributa, decimas, & reliquas collationes, quæ magistratibus diuino iure debentur, ut inde ad Rempublicam gerendam sumptus suppetant: Sunt etiam fures Iudices, causas inopum, uel aliorum, muneribus deliniti subuertentes. Fures sunt etiam ualdè perniciosi, qui usuris miseram plebem expilant: Dicitur enim, Mutuū date, nihil inde sperantes. Fures sunt item qui merces multas coemunt, & conseruant, nec prius promunt, aut ad aliorum usum proferunt, quàm precia earum in immensum creuerint. Fures item sunt, & in rebus propriis furtum committunt, qui sua nimis amant, & tenaciter tenent, nec aliorum inopiam sua copia subleuant. Item furtum committunt, qui rebus sibi commodatis, vel pignoratis, vtuntur contra voluntatem Domini: puta ueste pignorata, uel equo eum ducendo alio, quàm uoluerit Dominus commodans. Similiter etiam, & in rebus depositis, siue utantur per se, siue per alium; quia committunt prædicti furtum, secundum leges etiam humanas. Fures etiam sunt, & sacrilegi, secundum Magistrum illi, qui sacrum de sacro tollunt; vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro auferunt. Item qui bona Ecclesiarum sui iuris faciunt, & donaria deuotæ plebis in aulis suis absumunt, sacrilegi sunt. Item qui Monachorum prædia, aut diuidunt, aut ministris aulicis donant; de Campanis Ecclesiarum bellica tormenta conflant; ex calicibus ebrij potant; de uelis templorum, & sacris vestibus vestes sibi consuunt, sacrilegi sunt. Nunc postea quam diximus de ijs, qui rem alienam surripiunt: consequens est aliquid de rapina, seu raptoribus nunc dicere; cum nullus magis rem inuito Domino contrectet, quam qui vi eam rapit: vnde raptores improbi fures dicuntur: non solum igitur dicuntur raptores, qui vi rem auferunt alicui; sed etiam ij, qui debitam operarijs mercedem non persoluunt; quos sanctus Iacobus ad pœnitentiam inuitat illis verbis: Agite nunc diuites; & plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient uobis; cuius pęnitentiæ causam subiungit: Ecce enim merces operariorum, qui messuerunt regiones uestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit. Includuntur & ij in hoc crimine rapacitatis, qui ea, quæ Ecclesię præsidibus, & magistratibus debentur, vectigalia, tributa, decimas, & reliqua huius generis non dissoluunt, vel interuertunt, vel ad se transferunt, quod & supra dictum est; sicut & de fęneratoribus etiam, qui acerbissimè miseram plebem trucidant vsuris, dictum fuit, & de vsurarijs, ac de Iudicibus, qui venalia habent iudicia, quique acerrimi sunt raptores: quemadmodum sunt etiam raptores creditorum fraudatores, & inficiatores, qui sumpto temporis spatio, sua vel aliena fide merces emunt, & fidem non liberant. Demum quid de locupletibus ijs dicemus, qui ab illis, qui soluendo non sunt, quod commodarunt, exigunt

Iudex iniquus. *Luc. 6.* *Institu. de oblig. quæ ex delict. nasc.* *3. Sent. dist. 37.* *Sacrilegus quis sit.* *Raptores qui dicantur.* *Iacob. 5.* *Fęnerator vsurarius. Iudex iniquus. Fraudatores creditorum raptores sunt.*

Digitized by Google

exigunt acerbius, & pignora etiam ea auferunt cōtra Dei interdictum, quæ ad eorum corpus tuendum, ac tegendum sunt necessaria? Et quidem Deus inquit: Si pignus à proximo tuo acceperis uestimentum, ante solis occasum reddas ei: ipsum enim est solum, quo operitur indumentum carnis eius; nec habet aliud, in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Hæc dicta sint de uetitis: nunc ad iussa ueniamus: nam non is solum, qui furtum fecit, ei cui furatus est, id debet restituere; sed & omnes etiam qui furti participes fuerunt, hac lege restitutionis tenentur; qui nullatenus, inquam, hanc satisfaciendi, & restituendi necessitatem effugere possunt: Non enim remittitur peccatum, dicit regula Augustini, nisi restituatur ablatum. Sunt itaque nouem hominum genera, qui cooperantur, seu causam efficacem præstant furto, rapinæ, aut uiolentæ usurpationi, uel damnificationi, qui ut dictum est, in solidum ad restitutionem tenentur; & continentur ij tales in sequentibus uerbis, nempe:

Exod. 22.
Nota contra Iudices nostri temporis, g hac lege nō obstante relaxant mādatum contra istos miseros.
c. peccatū. de reg. iur. in 6.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quot hominum genera cooperentur ad furtum, rapinam, aut uiolēta usurpationē.

Quapropter primum locum sibi vendicant ij, qui furari imperant, qui non modo sunt ipsi furtorum socij, & auctores; sed etiam in illo furtorum genere deterrimi. Alterum hominum cooperantium ad furtum genus, quod uoluntate par est primis, potestate dispar, est eorū, *qui* cum iubere non possint, suasores tamen sunt, atque impulsores furtorum. Tertium genus est eorum, qui cum furibus ad furandum consentiunt. Quartum genus est eorum, qui participes furtorum, laudantes furem de furto, uel rapina, inde lucrum ipsi etiam faciunt, si lucrum dicendum est, quod (nisi resipuerint) eos addicit æternis cruciatibus; de quibus sic loquitur Dauid. Si uidebas furem, cucurrebas cum eo. Quintum genus est furum; qui cum furta possint prohibere, tantum abest ut illis occurrant, & obsistant, quin etiam licentiam permittant, atque concedant. Sextum genus est eorum, qui cum & furtum factum, & ubi factum sit, certo sciant, non indicant rem, sed eam se scire dissimulant. Postremum genus est, quod omnes complectitur furtorum adiutores, custodes, patronos, quique illis receptaculum præbent, ac domicilium: Qui omnes satisfacere debent ijs, quibus aliquid detractum est, atque ad illud necessarium officium adimplendum uehementer prædicti omnes hortandi sunt. Nunc excusationibus, quas prætendere solent fures occurramus: Audiuntur namque interdum fures, contendentes se nihil eo peccare, quod aliquid detrahant locupletibus, & copiosis hominibus, quibus ea detractione nihil damni inferi dicunt. misera quidem, & pestifera talium defensio. Interdum putat aliquis alius excusationem suam, ac satisfactionem accipi debere; eò quia eam furandi consuetudinem cœpit, ut non possit facilè ab illa mente, & actione desistere; qui nisi audierit Paulum dicentem; qui furabatur, iam non furetur: uelit, nolit, etiam consuetudinem capiet ipse talis æternorum suppliciorum. Nonnulli sunt, qui excusant se alteri aliquid ademisse, quod fuit data occasio: est enim illud

Istud postremū genus receptantes rē furtiuam, & recipiētes de re furtiua, cōplectitur, & sic omnes modos præscriptos reperies expositos.
Excusatio prima.
Secūda excusatio.
Tertia excusatio.

Prouerbium. *Nota.* tritum sermone prouerbium: Fures, qui non sunt, fieri occasione: propterea hac ratione tales sunt à nefaria alijs sua per occasionem auferendi libidine deducendi, prauis scilicet cupiditatibus resistendum esse quam enixissimè: nam si continuo re perficiendum id est quod libido persuaserit; quis modus, quis finis erit scelerum, & flagitiorum? quasi dicat nullus: quod nullatenus esse debet. Sunt etiam alij qui se furari dicunt vlciscendi causa, quod ab alijs eadem iniuria sint affecti: quibus ita respondendum est; primum nemini licere iniurias prosequi, deinde non posse quemquam (vt iura disponunt) rei suæ iudicem esse: tum multo minus concedi, vt pœnas ab alijs repetat eorum, quæ alij in eum peccauerunt. Sunt postremo quidam alii, qui arbitrantur satis illa ratione defensum, tectumque furtum esse; quod cum sint ære alieno oppressi; aliter eo ipso liberari non possunt: quibus dicendum est, nullum esse grauius æs alienum, & quo magis prematur homo, quàm debitum illud, cuius in oratione Dominica quotidie meminimus, scilicet, Dimitte nobis debita nostra. Iccirco illud insanissimi hominis est, plus velle Deo debere, idest, plus peccare, vt quod debet hominibus dissoluat, multo namque melius est, conijci in carcerem, quàm mandari suppliciis inferorum sempiternis, longeq; constat esse, grauius, Dei, quàm hominum iudicio condemnari.

Quarta furum defensio. *l. qui iurisdictionẽ ff. de iurisdiciom iud.* *Quinta furum excusatio.* *Nota hanc rationem.*

Octauum præceptum; quod est: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium; quænam prohibeat. Cap. XLVII.

Nota. CVm omnis homo illud propositum habere debeat, eam sibi cum alijs hominibus necessitudinem, & societatem intercedere, ut membrũ sit eiusmodi corporis: diuinitus ideo præceptũ istud, scilicet: Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium; ei descriptum est: cuius uis, sensusque esse duplex conijcitur: primitus, quod nusquam neque in iudicijs, neque in contentione, neque in congressibus, colloquijsue, nec ullo etiam modo, non uoce, non signis, aut nutibus, non epistola, non inuectiuis, aut etiam famosis libellis, licet dicere falsum testimonium aduersus proximum, hoc est, contra hominem, quicunque sit ille, siue ille sit propinquus, siue alienus, siue ciuis, siue aduena, siue amicus, siue inimicus; omnis enim homo, proximi nomine intelligitur. Secundo, ut in colloquijs omnibus uerè semper, & ex animo loquamur, omnique simulatione, ac fallacia sublatis, dicta, & facta simplici ueritate dicamus. Quarè ponamus nunc hic aliquot casus, quibus falsum fertur testimonium: Et Primò, licet dicat præceptum; Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum: non tamen ideo ab hoc crimine se putet alienum, & per consequens non peccare; qui aduersum seipsum falsum dixerit testimonium; cum regulam diligendi proximi, à semetipso dilector accipiat: quod si quis in se falsum testimonium dixerit, sibi ipsi stigma indelebile imprimens ignominiæ, ac turpitudinis, & seipsum, & Ecclesiam lædit, cuius est membrum, eoque modo quo is qui sibi mortem

Exod. 20 *Sensus mãdati est duplex.* *Proximi uocabulũ quid significet.* *Casus aliquot falsorum testimoniorum.* *Aduersum seipsũ non licet dicere falsũ testimoniũ*

tem desinit Ciuitati nocet; expedit enim Reipublicæ, ne sua re quis malè utatur. Secundo nefas quidem est existimare, quod licitum sit contra hostes falsum aliquod dicere pro testimonio; quos iubemur diligere. Tertio licet prohibeamur lædere proximum falso testimonio; non propterea licitum est nobis peiurare, ut aliquam utilitatem, uel commoditatem conciliemus, comparemusue ei, qui nobiscum natura, aut religione coniunctus est: nulli enim mendacio, aut uanitati, multo minus periurio fauere debemus. Quarto loquitur falsum testimonium contra proximum suum, qui uerum aliquod de proximo dicit, & euulgat, quia hoc, uel illud dicere licet dicat ueritatem; est iniquum, & omnino illegitimum, & testimonium falsum datum, & prolatum cum iniuria proximi, cuius fama læditur absque legis approbatione: Hoc tamen intellige extra iudicium: nam cum ille talis auctoritate publica compulsus, si sic in iudicio uerum diceret contra proximum suum, non peccaret, nec falsum testimonium loqueretur contra eum; etiam si rerum suarum dispendium, aut etiam mortem illi afferet; imò hoc de iure facere debet, & tenetur: quinimo fortius & reos etiam, & sontes, vult Deus in iudicio verum omnino confiteri, quando ex forma iudicij ipsi interrogantur: est enim talium reorum testimonium prædicatio quædam, ac laudis confessio, & gloria Dei, secundum quod dixit olim os Iosuę, qui Acham ad veri confessionem adhortatus est, dicens: Fili mi da gloriam Domino Deo Israel. Quinto falsum testimonium facit, & dicit ille, qui de Christo, & quod ad eius laudem videtur pertinere, mentitur. Vnde propterea non licet nec contra Deum, nec contra Matrem Ecclesiam, nec contra fidei doctrinam falsum dicere testimonium: ridiculum enim esset, prohibuisse Deum falsum testimonium contra proximum dici; contra Deum verò, aut Sanctam eius Ecclesiam, ac eius fidei doctrinam posse fieri: Qui ergo prohibuit, quod minus est, multo fortius id, quod maius est homine: quia qui vult consequens, uidetur uelle omne necessarium antecedens. Sexto quicunq; alteri detrahit, uel detrahentem audit, & libenter assentitur obtrectatori, is dicitur falsum etiam dicere testimonium secundum Romanum Cathechisinum: Vnde Sanctus Iacobus ait: Nolite detrahere alterutrum, fratres mei. Septimo qui detrahit hominibus suis artificijs, & discordijs serendis delectatur, & societates hominum fictis sermonibus dirimit, & amicos ad immortales inimicitias, & ad arma quodammodo compellit, in hoc pręceptum ipse grauiter delinquit: Non eris criminator, inquit Dominus, neque susurro in populo. Octauo qui blanditijs, & simulatis laudibus influit in aures, & in animos eorum, quorum gratiam, & pecuniam, & honores aucupatur, dicens, vt est apud Prophetam, Malum bonum, & bonum malum, contra hoc præsens præceptum agit. Homo qui conficit libellos famosos, facit similiter contra hoc præceptum, Decimo dicens amico, uel affini, cognatove, mortifero morbo affecto, & in extremo constituto spiritu, nullum ei esse mortis periculum, iubens infirmum lætum, & hilarem esse, & illum à peccatorum confessione deterret, contra

§. Sed & maior. inst. de his qui sunt sui.

Contra hostes non licet dicere falsum testimonium. Matth. 5. Periurium prohibitũ est.

Cõtra Deũ nec licet dicere falsũ testimonium.

L. illud, de acquir. hęre. l. ad rẽ mob. ff. de procur.

Cathechis.

Iacob. 4.

Leuit. 19.

Isai. 5.

Digitized by Google

L. 1. C. de famos. lib. s. q. 1 c. in alterius. *Nota.* *Psal. 5.* *Mendaciũ notatur esse triplex.* *Officiosum mẽdacium quomodo committatur.* *Ioan. 9.* *Mendaciũ iocosũ quomodo committatur.* *Ephes. 5.* *Matth. 12* *Perniciosũ mẽdacium uti cõmittatur.* *Zac. 8.*

tra hoc præceptum peccat. Summatim contra hoc præceptum agunt non solum testes iniqui, obtrectatores, susurrones, falsarij deprauantes scripturas, aut uerbum Dei adulterantes, aut euulgantes & inculcantes falsa dogmata, aut Deum, & sanctos blasphemantes, aut antiquis traditionibus, vel Matris etiam Ecclesiæ detrahentes; sed etiam omnes, qui uel aduersus Deum, uel Sanctos, uel Ecclesiam, vel hominem loquuntur mendacium, quos omnes perdet Deus dicit Dauid: de quorum sanè perdendorum numero, qui se seclusum desiderat, à triplici genere mendacii linguam suam compescat etiam, ne huius præcepti uiolator unquam condemnetur: & primo abstineat quisque inquantum potest à mendacio, quod officiosum nuncupatur: nam etsi utilitas alicui aliqua, uel salus concilietur sine alterius iniuria mentiendo, uel etiam innocentia alicuius iusti hominis defendatur; nunquam tamen hoc tali mendacio, quod sic prolatum est, officiosumque nuncupatur, sine peccato vtitur; eo quod talis ad instar Dęmonis, qui dicitur mendacii pater, non stat in ueritate, & quia Deus omne mendacium detestatur, quoniam mendacium aduersatur ueritati, & Deus est ipsa veritas: vnde Beatus Ioannes, omne mendacium, ait, non est ex veritate. Secundo se quisque cohibeat à mendacio, quod iocosum nuncupant: nam qui mentitur in captando uoluptatem, uel adstantiũ, & audientium hilaritatem, & delectationem quærit, peccat etiam contra hoc mandatum: Apostolus si quidem præcipit, Christi fideles omnes alienos esse ab hoc genere mendacii, qui & iussit ab omni etiam scurrilitate abstinere: præter quam quòd etiam Christus, nos de omni uerbo ocioso rationem reddituros esse sancitum reliquit. Tertio item se abstineat quilibet fidelis Christianus multum: ne proximum aut in corpore, aut in bonis, aut in fama, mentiendo (quod genus mendacii pernitiosum dicitur, quia in pernitiem seu damnum, aut exitium alterius tendit) lędat: hoc enim tale mendacium, multum Deus detestatur: cum præcipiat vnicuique loqui ueritatem; dicens: Loquimini veritatem quisque cum proximo suo; & pacem, & veritatem diligite.

Nonum præceptum, quod est: Non concupisces uxorem proximi tui: quomodo sit intelligendum. Cap. XLVIII.

Nota.

QVoniam autem Dei voluntas in eo maximè est, ut nos singulari quodam modo sancti efficiamur; animumque nostrum sincerũ, atque ab omni labe purum, integrumque seruemus, & exerceamus nos in iis mentis, ac spiritus officiis, quæ corporis repugnant sensibus; eorumque edomitis appetitionibus, ratione, ac spiritu duce rectum uitæ cursum teneamus, ipsorumque præterea sensuum materiam cupiditatibus nostris, libidinique præbent, uim maximè reprimamus: propterea hoc præsenti præcepto scilicet; Non concupisces uxorem proximi tui, ac sequenti etiam, quod est Non concupisces domum proximi tui; præcipit nobis Deus, ut cupiditatibus ita resistamus; ut sic uires pecca-

Digitized by Google

peccati omnino concidant; & ne iisdem ita succumbamus, ut Dominum à regno suo expellamus, & in eius locum peccatum introducamus. Necesse autem fuit nobis dari à Deo hoc præsens, ac sequens præceptum; vt sexti, ac septimi præcepti sententia, uisque explicaretur; videbatur enim hoc præceptum, de non concupiscenda vxore vnum esse cum sexto, quo non mœchaberis dicitur: & præceptum sequens de non concupiscendis rebus proximi unum esse cum septimo, quo non furaberis, iubetur. Vnde poterat præceptum de non mœchando intelligi in hac generalitate de non concupiscendo vxore proximi: & præceptum non furandi poterat intelligi, ubi de non concupiscenda re proximi vetatur. Sed secundum Magistrum Sententiarum, & Catechismum Romanum, in illis duobus præceptis non mœchandi, & non furandi ipsa opera notata sunt, & prohibita. In istis uerò duobus extremis ipsa concupiscentia vetita est. Multum ergo differunt illa ab istis: vnde illi sexto præcepto non mœchandi fit superadditio in Euangelio; ubi omnis concupiscentia mœchandi prohibetur; cum dixit Dominus; Audistis, quia dictum est antiquis: non mœchaberis: Ego autem dico uobis: quia omnis, qui uiderit mulierem (en superadditio) ad concupiscendum eam; iam mœchatus est eã in corde suo. Altera huius, ac sequẽtis præcepti necessitas est, quod aliqua in hoc, ac sequenti præcepto distinctè, & explicatè prohibentur: nam exempli causa, septimum præceptum prohibuit, ne quis iniustè concupiscat aliena, aut eripere conetur, hoc autem & sequens vetat, ne ullo modo quis concupiscat, & si iure, legeque assequi id possit, ex cuius adeptione proximo damnum inferri uideat. Ex quibus omnibus supradictis patet: quod hoc demum, & cætera Dei mandata non externis tantum actionibus, sed etiam intimo animi sensu seruanda sunt: Vnde hoc interest inter diuinam legem, & humanam, quod humana tantum externis rebus contenta est; diuina verò, (quoniam animum Deus intuetur;) ipsius animi puram, sinceramque castitatem, atque integritatem requirit. Non tamen credas tu tyro, omnem concupiscentiam hoc mandato prohibitam esse à Deo; sed illam tantum, quæ concupiscentia carnis in vxore proximi dicitur, vetitam esse hoc Dei præcepto: sicut sequens præceptum prohibet concupiscentiam oculorum in re aliena: Hic ergo ea tantum concupiscendi libido vetita est, quam carnis concupiscentiam uocat Apostolus; illi, nempe, concupiscendi motus, qui nullum rationis modum habent, neque finibus à Deo constitutis continentur. Quocirca qui alterius vxorem concupiscet, facilè ex una, in aliam incidet cupiditatem: aut enim illius virum mori, aut adulterium committere cupiet: quod idem de desponsatis dicendum est; quas concupiscere nullatenus licitum est: quia qui hæc pacta rescindere student, uiolant sanè sanctissimum fidei fœdus: similiter nec eam etiam, quæ ad Dei cultum, religionemque est consecrata, vllo pacto vxorem licet appetere. Peccant ergo in hoc nonum præceptum, quicunque cupiunt commisceri cum vxore alterius, quod est adulterium. Item qui cum soluta commisceri deside-

Præceptorum horũ prima necessitas.

Lib. 3. dist. 40.
Cathechis.
Nota.

Altera necessitas præceptorum.
Nota differentiam.

Differentia inter diuinam legem & humanam.
Nota.
Concupiscentia duplex.

Ad Gal. 5.
Concupiscẽtia carnis quid.
Nota.

Hic enumerãtur species luxuriæ.

ri desiderant carnaliter soluti ipsi quoque, quod est fornicatio. Item qui cum virgine extra matrimonium, quod est defloratio, seu stuprum. Item qui cum consanguinea, quod est incestus. Item qui cum moniali, quod est sacrilegium. Item qui per violentiam, quod est raptus. Item qui cum masculo, quod est peccatum contra naturam. Item qui peccatum quòd dicitur mutũ impiè nefariéq; committunt. Item contra hoc præceptum faciunt, qui lusionibus non honestis delectantur; aut etiam qui ludis immoderatè abutuntur.

Decimum Decalogi Præceptum; quod est: Non concupisces domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt. Quænam prohibeat concupiscere hominem.

Cap. XLVIIII.

Eccles 5. *Isai 5.* *Nota.* *Peccati origo & progressus.*

CVm rerum alienarum cupiditatis sitis immensa sit, atque infinita; quæ nunquam satiatur: Auarus enim, inquit scriptura non implebitur pecunia: & Ve; dicit Isaias, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis: cumque rerum eiusmodi cupiditas nefaria sit, & in peccatis grauissimis numeretur, tùm, cum illis concupiscendis animi prębetur sensus: nam tum peccatum natura existit, cum post malarum cupiditatum impulsum animus rebus prauis delectatur, atque his, uel assentitur, uel non repugnat: Iccirco hoc decimo præcepto, scilicet, non concupisces domum proximi tui, &c. uetitum est nobis à Deo, ne appetamus alienas opes, puta domum, seruum, ancillam, agrum, uxorem, bouem, asinum, & alia multa, quæ cum aliena sunt; ea concupiscere; (ut dictum est) uetat lex diuina: immò uetat etiam, ne diuitias auidè expetamus, neque alicuius opibus, potentiæ, nobilitati, alienæque gloriæ inuideamus: sed statu nostro, qualis qualis ille sit, siue humilis, siue excelsus, contenti simus. Itaque concludimus, quod hic concupiscentia oculorum in re aliena prohibetur, & omnis concupiscentia malæ uoluntatis, & prauæ cupiditatis, quæ si animi assensionem adiunctam habet, in uitiis semper numeranda est, ac omnino prohibetur hic à Deo: consensus ergo hic prohibetur, & non appetitus, qui est ex corruptione fomitis, uel a delectatione sensualitatis: quia impossibile est, quod illæ concupiscentiæ non sint in nobis: cum concupiscentia, idest, peccati fomes, qui ex peccato originem habuit, perpetuò nobis infixus inhæreat, & sit. Ex omnibus supradictis apparet, quod non omnis concupiscentia hic uetita est, neque enim malum est, si cibum, aut si potum appetimus, aut cum frigemus, si calescere cupiamus: quia hæc ipsa concupiscendi uis, Deo authore, nobis ab ipsa natura insita est: sed primorum parentum nostrorum peccato factum est, ut illa naturæ fines transiliens, usque adeo deprauata sit, ut ad ea concupiscenda sæpè incitetur, quæ spiritui, ac rationi repugnant. Naturalis igitur illa cupiditatis uis, & moderata, quæ fines suos non egreditur, non uetatur

Consensus & non appetitus prohibetur & quomodo. *Nota.*

Naturalis concupiscentia moderata non uetatur.

Digitized by Google

uetatur, imò sæpè non mediocres vtilitates præbet: nam efficit, vt assiduis precibus Deum oremus, supplicesque ab eo petamus, quæ maximè cupimus: oratio enim cupiditatis nostræ interpres est. efficit etiã vt cariora sint nobis Dei munera: quanto enim uehementiori alicuius rei cupiditate flagramus, eo carior illa nobis res est, atque iucundior, cum eam adepti simus. Multoque minus spiritualis illa rectæ mentis cupiditas, qua ad eorum appetitionem incitamur, quæ carni repugnant: imò ad hanc ipsam sacræ literæ nos adhortantur: Concupiscite sermones meos, &: Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. Sed aduertendum modo est, hoc ipsum domus uocabulum, dicendumque est, quod domus appellatione hoc in loco, non locum, quem incolimus, sed vniuersam hæreditatem significari ex Romani Catechismi interpretatione intelligimus. Quod uerò sequitur, non bouem, non asinum, hoc tibi exponendum relinquo: vbi uerò sequitur: non seruum, intelligendum est de captiuis, quos ut cætera alterius bona concupiscere non debemus. Non tamen hoc præceptum violare putes, qui res, quas proximi venales habent, emere de illis cupiunt, aut iusto precio emunt: ij enim non modo proximum non lædunt, sed ualdè adiuuant, cum ei pecunia maiori commodo, usuique futura sit, quàm res illæ, quas ipse vendit. Verum ij violant hoc decimum præceptum, qui desiderant habere aliquid modo illicito, & prohibito. Item hoc præceptum profanant mercatores, qui rerum penuriã, annonæque caritatem expetunt, atque id ægrè ferunt, ut alij præter ipsos sint, qui vendant, aut emant, quo carius uendere, aut uilius emere ipsi possint. Item peccant, qui alios egere cupiunt, ut aut uendendo, aut emendo, ipsi lucrentur. Peccant etiam Milites qui bellum expetunt, ut furari ipsis liceat. Item Medici, qui morbos desiderant. Item Iureconsulti, qui causarum, litiumque uim, copiamque concupiscunt. Item artifices, qui quæstus auidi, omnium quæ ad uictum, cultumque pertinent, penuriam exoptant, ut inde plurimum lucri faciant. Item grauiter peccant, qui alienæ laudis, gloriæque auidi, atque appetentes sunt, non sine aliqua famæ alterius obtrectatione, idque præsertim, si, qui illam expetunt, ignaui, nulliusque precij homines sunt: fama enim, & gloria uirtutis, atque industriæ, non ignauiæ, aut inertiæ præmium est. Summa ergo Decalogi est illa; de qua satis suprà diximus, scilicet, omnia quæcunque uolueritis ut faciant uobis homines; sic & vos facite illis: & quod tibi nolueris fieri, alteri ne feceris unquam.

Oratio.

Spiritualis concupiscẽtia non prohibetur. *Sapien. 6.* *Eccl. 24.*

Vocabulo domus quid significetur hoc loco.

Quinã decimum uiolent praeceptum.

Sũma Decalogi quę. *Matth. 7.*

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.
Quæ sint præcepta Ecclesiæ. Cap. L.

SImiliter Ecclesiæ Dei præcepta sunt decem; quorum omnium primum est; ut statutos ab Ecclesia festos dies colamus, & celebremus. Secundum est, ut omnibus Dominicis diebus, ac alijs solennibus ab Ecclesia institutis Missam reuerenter audiamus. Tertium est, ut

Digitized by Google

vt ieiunia certis diebus atque temporibus indicta ab Ecclesia obseruemus. Quartum est, vt semel in anno confiteamur peccata nostra proprio Sacerdoti. Quintum est, vt Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad minus semel in anno, idque circa solennem Paschæ diem sumamus. Sextum est, vt omnium bonorum, quæ possidemus, decimam Deo exoluamus. Septimum est, vt feria sexta, Sabbathoq; ac diebus ieiuniorum non comedamus carnes. Octauum est, vt à carnibus diebus ieiuniorum generaliter, & ab ouis regulariter abstineamus. Nonum est, vt tempora, quibus interdictæ sunt nuptiæ obseruemus. Decimum est, & vltimum, vt diebus festis, ieiuniorum, processionum, communionis, prægnationisq; mulieris, nunquam debitum coniugale ab uxore petamus.

De primo Ecc. præcepto.

Quænam sunt festa, quæ celebrare teneamur. Cap. LI.

Festa custodienda quæ sint. *Ieiunia obseruanda quæ sint.* *Conc Lug.* *Concil Tridenc. sess. 25. de diebus festis c. conquest. de fer.*

SVnt autem hæc infrascripta festa à nobis cum omni reuerentia custodienda, scilicet, omnes dies Dominici, festum Natiuitatis Domini, Sancti Stefani, Sancti Ioannis Euangelistæ, Innocentium, Sancti Siluestri, Circuncisionis Domini, Theophaniæ, siue Epiphaniæ. Pascha cum duobus diebus sequentibus. Ascensio Domini, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, Festum corporis Christi. Festa quatuor Beatæ Virginis Mariæ, scilicet, Natiuitatis, Annuntiationis, Assumptionis, & Purificationis eiusdem. Natiuitatis Ioannis Baptistæ, Duodecim Apostolorum. Omnium Sanctorum, Dedicationis Sancti Michaelis. Inuentionis Sanctæ Crucis, Sancti Martini, Sancti Laurentii, & aliorum, quæ Episcopi in suis diœcesibus cum clero, & populo duxerunt custodienda. De quibus omnibus supradictis Lugdunense, ac Tridentinum Concilium, multæq; Decretales, & Canones, celebritates fieri mandant omnibus Christi fidelibus. quod & alibi scriptum reliqui, præsertim in libro, quem in diuinum officium edidi.

De 2. præcepto

Quibusnam diebus audienda sit Missa. Cap. LII.

Missa in quibus diebus audienda sit ab homine Christiano. *Concil. Agbath. c. 47. & 21. c. Missas, de consecr. dist. 1. & c. oēs fideles cap. solet, de cōs d. 1. c. si deprim. in 6.*

MIssam autem quando quilibet Christianus audire teneatur, ex multis Sanctorum Pontificum, & Conciliorum iuribus, ac sanctionibus innotescit, nempe omni festo quilibet tenetur de præcepto Ecclesiæ audire Missam, si potest: nisi magna necessitas eum excuset. Nisi tamen talis esset excommunicatus; aut interdictus, vel legitimè impeditus: Alijs autem diebus non tenetur: nam iura, quæ de aliis diebus etiam fari videntur, hortantur tantum ad hoc, non tamen ad præceptum obligant.

De 3. præcepto.

Quibus diebus nobis ieiunandum sit. Cap. LIII.

EX præcepto, inquam, Ecclesiæ Dei, ieiunare profectò nos Christi fideles; vt veri obseruatores legis nostræ Matris dicamur, tenemur quidem

Digitized by Google

quidem tota quadragesima, exceptis diebus Dominicis. Quatuor anni temporibus. Vigilia Natiuitatis Domini, Pentecostes. Ascensionis Beatæ Mariæ Virginis. Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistę. Omnium Apostolorum; præter quàm Sanctorum Philippi, & Iacobi, & sancti Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, Sancti Laurentii, & Omnium Sanctorum: vt extant sanctæ ecclesię Dei multa iura, & iussa; vt patet in capitulo, Quadragesima, dist. quinta, & dist. 76. per totum. Quod si aliqua prædictarum festiuitatum aut Domini nostri, aut, Beatæ Mariæ, aut etiam aliorum prædictorum Sanctorum; contigerit feriari in secunda feria, tunc Vigilia erit in Sabbatho, eoque die ieiunare tenemur, vt tradit Innocentius, c. 1. de obser. ieiun.

c. Concilii de obser. ieiun. Conc. Tri. sess 25. de ieiun. c. ex parte vestra, de obser. ieiun.

Quibusnam temporibus confiteri nos oporteat peccata nostra. Cap. LIIII.

De 4. precepto.

ET quidem saltem semel in anno peccata nostra confiteri nos vult Sancta Dei Ecclesia; præsertim cum ad annos discretionis peruenerimus: vt nouissimè mandat Sancta etiam Tridentina Synodus, renouans decretalem illam, quæ incipit: Omnis vtriusque sexus. de pœni. & remissionibus: dicens: Si quis dixerit ad confessionem non teneri omnes, & singulos, vtriusque sexus, Christi fideles iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, anathema sit. Vnde si quis non confitetur semel in anno, habens annos discretionis, peccat mortaliter, si ex negligentia hoc omittat: Secus si non habet copiam confessoris; vel quia est excommunicatus; vel differt confessionem aliquibus diebus de consilio Sacerdotis, vel ex impotentia restat, nec per eum stat, quin quærat, & procuret absolutionem.

In quibus tẽporibus sit nobis confitendum. Conc. Tri. ses. 14. can. 8. c. omnis, de pœn. & remiss.

In quo tempore nobis communicandum sit. Cap. LV.

De 5. precepto. In quibus tẽporibus sit nobis communicandum.

QVod Sacrosanctam Eucharistiam ad minus semel in anno, idque circa festum Paschæ, quilibet Christi fidelis adsumere teneatur: non est vnum Sanctæ Dei Ecclesiæ factum præceptum; sed in multis sanctionibus sanxit, & presertim in Concilio Tridentino: in quo dicitur: Si quis negauerit, omnes, & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cum ad annos discretionis peruenerit, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, iuxta pręceptum Sanctæ Matris Ecclesię: anathema sit, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum; vt tradit Decretalis, omnis vtriusque, de pęnit. & remis. alioquin & viuens ab ingressu Ecclesię arceatur; & moriens Christiana careat sepultura.

Sess. 14 c. 5. de confess. & sess. 13. canon. 9. c. omnis, de pœn. & remiss.

Digitized by Google

De sexto præcepto.

Decimam soluere quinam teneantur. Cap. LVI.

Decimam soluere qui teneantur 26. 6. cap. Decimas Conc. Tri. Sess. 25. ca. 12. Malach. 3. c. à nobis, de Decimis. Decima cui soluẽdæ sint, c. fi. de parochijs.

DEcimam autem soluere tenentur omnes indifferenter laici, tam pauperes, quam diuites: prout Gregorius VII. præcepit: & Concilium Tridentinum confirmauit: Decimæ enim in ueteri lege dabantur ad sustentationem ministrorum Dei. Nisi ergo à præstatione illarum quis se ostendat immunem, seu exemptum; uel fuerit in loco, ubi ex antiqua consuetudine non soluuntur: semper talis tenebitur soluere illas, dicit Innocentius Papa. Communiter autem decimæ solui solét illi Ecclesiæ in cuius Parochia prædium situm est, dicit Celestinus Papa III. & de omnibus fructibus terrarum, arborum, hortorum, animalium, piscationum, uenationum, affictuum, pensionum, molendinorum etiam ad uentum, balneorum, fulloniorum, lapicidinarum, ac metallorum; de artificiisque etiam, & cæteris bonis soluendæ sunt decimæ.

De septimo præcepto.

Ab esu carnium quibus diebus abstinere debeamus. Cap. LVII.

Quib. diebus non debeamus comedere carnes. cap. cons. de obser. ieiu. Cap. fin. de obser. ieiu. Notent hic Monachi.

INnocentius III. in titulo de obseruatione ieiuniorum sancitum, scriptumque reliquit; quod omnibus diebus ieiuniorum; & feria sexta, ac Sabbatho, nos Christi fideles à carnium esu abstinere omnino debemus: in feria sexta carnes non comedimus; quia eo die mortuus est Deus: in Sabbatho item quia eo die quieuit idem Deus in sepulchro. Porrò Honorius III. in eodem titulo, de obser. ieiun. edixit, quod quando festum Natiuitatis Domini euenire contigerit in feria sexta, uel Sabbatho, illi qui nec uoto, nec regulari obseruantia abstricti sunt, carnibus propter festi excellentiam uti possunt, secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis.

De octauo præcepto.

Diebus ieiuniorum quibus cibis nobis vesci non liceat. Cap. LVIII.

A quibus cibarijs diebus ieiuniorum abstinendũ sit Ca. uimã, d 76. c. consilium, de obser. ieiu.

COmmuniter concludunt omnes Doctores, quod diebus ieiuniorum generaliter omnibus Christianis uetatur esus carnium: ab ouis uerò, & lacticiniis regulariter in quadragesima abstinendum esse item dictitant. At in aliis ieiuniis dicunt seruandam esse loci, ac terræ illius, in quibus commoramur, consuetudinem: sicut de Sancto Bartholomęo respondit seruandum esse Innocentius.

De nono præcepto.

Nuptiæ quibus anni temporibus prohibitæ sint Christi fidelibus. Cap. LIX.

Tempora nuptiarũ prohibitarũ. Sess. 24 c. x.

DE hac prohibitarum nuptiarum prohibitione; omissis omnibus aliis auctoribus, sic fatur Concilium Tridentinum: ab Aduentu

Domini

Digitized by Google

Domini nostri Iesu Christi vsque in diem Epiphaniæ; & à feria quarta cinerum usque in octauam Paschatis inclusiuè nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari Sancta Synodus præcipit: In quibus prædictis temporibus prohibitum est omnino nobis Christianis vxorem ducere, vel solennizare nuptias, vel eam carnaliter cognoscere: est tamen nobis licitum in prædictis temporibus contrahere matrimonium per verba de præsenti, imo & semper, & omni tempore, etiam in Quadragesimali. Mortaliter ergo peccaret, qui prædicto tempore Aduentus Domini, & Quadragesimæ, duceret vxorem, vel solennizaret nuptias, vel eam carnaliter cognosceret.

Debitum coniugale quibus diebus petere nobis non liceat. Cap. LX.

De decimo præcepto Ecclesiæ.

IN multis quidem diebus est nobis abstinendum à petitione debiti coniugalis, & primo in diebus festorum: quia tunc ab illicitis abstinendum est. Item in diebus Ieiuniorum, maximè tempore Quadragesimali: quia sicut quis ieiunat à cibo corporali, sic etiam debet se abstinere à delectatióne carnali. Item in diebus processionum; quia tunc ab illicitis abstinendum est, vt facilius impetretur quod postulatur. Item tribus diebus ante, & post communionem. Item tempore prægnationis, scilicet, quando mulier est vicina partui, & infra dies purgationis; Vnde de hoc sacra dicit Scriptura: Si vir ad mulierem menstruatam non accesserit; hic iustus est, & vita viuet. Verum hæc decem Ecclesiæ Dei præcepta videntur esse redacta in quinque tantum, à pia, ac sancta Pij V. memoria, dum in repurgatione Officij Beatæ Mariæ Virginis sic edi ea in lucem iussit; scilicet: Statutos Ecclesiæ festos dies ab operibus seruilibus abstinendo celebrare. Sacrum Missæ officium diebus festis reuerenter audire. Quadragesima, quattuor anni temporibus, & vigilijs secundum morem Ecclesiæ ieiunare, & feria sexta, & Sabbatho à carnibus abstinere. Peccata sacerdoti approbato confiteri, & Sacrosanctam Eucharistiam circa festum Paschæ sumere, eaque saltem semel in anno. Diebus ab Ecclesia interdictis nuptias non celebrare.

Exigere debitum coniugale, quãdo nobis nõ sit pmissũ. 34 q 4.

Cap Christiano.

Ezechiel cap. 18.

Praecepta Ecclesia quãnam sint verè.

DE SEPTEM ECCLESIAE CATHOLICAE SACRAMENTIS.

Quot sint Sacramenta Eccl. siæ. Cap. LXI.

SVnt autem Ecclesiæ Dei Sacramenta secundum Concilium Tridentinum septem; nempe: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium.

Sacramenta Ecclesię quot, & q̃ sint.

Conc. Tri. Sess. 7. can. 1. de Sacramen.

Digitized by Google

Sacramenta quomodo sint neque plura, neque pauciora quam septem. Cap. LXII.

Sacramenta novæ legis cur non plura, vel pauciora sint quàm septem. Cathechis.

SAcramenta neque plura, neque pauciora esse quàm septem, ex hoc intelligitur; Homini namque, inquit Cathechismus, ad viuendum, vitamque conseruandam, & ex sua, reiquepublicæ vtilitate traducendam, hæc septem sunt necessaria, scilicet, vt in lucem edatur, augeatur, alatur, si in morbum incidat, sanetur, imbecillitas virium reficiatur: Deinde quod ad rempublicam pertinet, vt magistratus nunquam desint, quorum auctoritate, & imperio regatur: postremo vt legitima sobolis propagatione seipsum, & humanum genus conseruet. Baptismus enim est veluti cæterorum ianua, quo Christo renascimur: Confirmatio, cuius virtute fit, vt diuina gratia augeamur, & roboremur: Eucharistia, qua tanquam cibo cœlesti spiritus noster alitur, & sustentatur. Pœnitentia, cuius ope sanitas amissa restituitur, postquam peccati vulnera accepimus. Extrema Vnctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur: Ordo, quo publica Sacramentorum ministeria perpetuò in Ecclesia exercendi, sacrasque omnes functiones exequendi, potestas traditur: Matrimonium, vt ex maris, & fœminæ legitima & sancta coniunctione filij ad Dei cultum, & humani generis conseruationem procreentur, & religiosè educentur.

Sacramentum quid sit. Cap. LXIII.

Sacramentũ quid sit. Cathechis.

SAcramentum, secundum diffinitionem, à Sacro Romano Cathechismo datam, est sacræ rei signum: vel, vt aliis verbis in eandem sententiam vtamur: Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, seu signum, ad nostram iustificationem institutum: Quæ forma, seu signum eiusdem inuisibilis gratiæ, Dei scilicet, similitudinem gerit, & causa quoque existit huiusmodi inuisibilis gratiæ Dei. In vnoquoque ergo Sacramento forma solum est visibilis; sed gratia huiusmodi Sacramenti, scilicet, Dominus noster Iesus Christus, qui sua gratia animam purgat, reficit, & lætificat, est inuisibilis. Nam in baptismo renascitur homo ex aqua, visibili, scilicet Sacramento, & Spiritusancto inuisibili.

Sacramentum unde dicatur. Cap. LXIV.

Sacramentum à sacrando actiuè dicitur.

DIcitur autem Sacramentum à sacrando actiuè, sicut medicamentum à medicando; & ornamentum ab ornando: Et sicut medicamentum est illud, quo aliquis medicatur, & ornamentum, quo aliquis ornatur; sic Sacramentum est aliquid, quo aliquis sacratur. Dicitur quoque Sacramentum quasi sacrans mentem, vel sanctificans

animam,

Digitized by Google

animam, vel quasi signum sacræ rei, vel sacrum signans, vt tradit Magister Sententiarum, dum de Sacramentis agit. Lib. 4 Sen. dist. 1.

Sacramenta quis instituerit. Cap. LXV.

SAcramentorum autem author, inquit Chathechismus, fuit ipse Christus: nam cum Deus sit, qui homines iustos efficiat; Sacramenta verò sint instrumenta quædam mirifica iustitiæ adipiscendæ: patet ergo, vnum, eundemque Deum iustificationis, & Sacramentorum autorem agnoscendum esse. Præterea Sacramenta eam vim, ac efficaciam continent, quæ intimam animam penetrat; potentiæ vnius Dei est proprium in corda, & mentes hominum illabi; percipitur ergo, Sacramenta à Deo ipso per Christum instituta esse. Vnde propter hoc si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Domino Iesu Christo instituta: anathema sit.

Sacramentorum author quis fuerit.

Cathechis. Nota.

Conc. Tri. Sess. 7. can. 1.

Quæ sint causæ institutionis Sacramentorum. Cap. LXVI.

CAusæ autem plures numerari possunt; cur Sacramenta institui in Ecclesia Dei oportuit; quarum prima est, secundum Magistrum Sententiarum, propter humiliationem, qua homo quærit salutem, inferioribus se subijciendo. Secunda est, propter eruditionem, qua homo per visibilia ad cognoscenda inuisibilia rapitur, Tertia est, propter exercitationem, qua homo noxam declinet, occupationem, & otium. Quarta est, propter congruitatem medici ad medicinam; quia cum medicus sit Deus & homo; congruenter medicina debet continere aliquid diuinum, scilicet, inuisibilem gratiam, & aliquid humanum, scilicet, visibilem gratiæ formam. Quinta est, propter congruitatem ex parte infirmi, quia cum infirmus sit homo, constans ex corpore, & spiritu; spiritus autem in corpore non bene capit spiritualia, nisi in corporalibus: congruũ fuit ergo dare medicamenta spiritualia, in rebus corporalibus, sicut pillulæ dàtur in nebula. Sexta est, propter augmentationem meriti: multum enim valet ad meritum, quando Deo credimus in his, vbi humana ratio non præbet experimentum. Patet ergo quæ sit Sacramentorum causa efficiens: quia nempe diuina institutio: quæ sit formalis; quia nempe gratiæ sanctificatio: quæ sit finalis, quia scilicet, humanæ infirmitatis curatio.

Sacramenta legis Euang. lica cur instituta

Lib 4. d. 1.

Causa Sacramentorũ triplex.

Sacramenta veteris testamenti, uti discrepent à Sacramentis noui testam.

Sacramenta nouæ legis à Sacramentis veteris legis qui differant. Cap. LXVII.

ADuertendum insuper est, quod Sacramenta Christianæ legis à Sacramentis Mosaicæ legis in hoc diffident, seu distant; quod Sa-

Digitized by Google

cramenta ueteris legis non aperiebant cœlum; ut patet ex multis Sacræ Scripturæ locis; omnes enim antiqui patres, etiam sanctissimi fatebantur, se in infernum descensuros: ut Iacob: Descendam, inquit, ad filium lugens in infernum. Item Iob 14. quis mihi tribuat, ut in inferno protegas me; & alibi, Et infernus domus mea est. Et Psaltes, Quis est homo, qui uiuet, & non videbit mortem; & eruet animam suam de manu inferi? Sacramenta autem nouæ legis ianuam cœli utiq; aperiunt. Matthęi 3. Prædicabat Ioannes: Pœnitentiam agite, appropinquauit regnum cœlorum. Et ad Ephes. Cuius gratia estis saluati, & consedere nos fecit in cœlestibus. Et Matth. 26. Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Et Matth. 3. Iesu baptizato, aperti sunt cœli: Ex hoc ergo sequitur, quod Sacramenta ueteris legis non ponebant hominem in statu sufficienti perueniendi ad uitam, sicut peruenitur per nouæ legis Sacramenta.

Genes. 37. Iob. 14. & 17.

Matth 3. Ephe. Matt 26. & 3.

Ex quibus Sacramenta noua legis conficiantur. Cap. LXVIII.

Sacramenta legis Euangelica ex quibus constent.

Materia Sacramentorum qua sit.

Forma Sacramentorũ qua sit. Ephes. 5.

Materia Forma. c. detrah. 1. q. 1.

Constant autem Sacramenta nouæ legis ex duobus, scilicet, elemento, & verbo, hoc est materia, & forma: nam elementum hic intelligimus vniuscuiusque Sacramenti materiam, vt in Sacramento Baptismi aquam, Confirmationis Chrysma, Eucharistiæ panem, & vinum, & Extremæ vnctionis oleum, & sic de singulis, quæ omnia sub aspectum cadunt, & sub visibili natura inuisibilem gratiam designant, & continent. At per verbum formam similiter vniuscuiusque Sacramenti visibilem intelligimus: quæ duo, scilicet, materiam, & formam Apostolus aperte demonstrauit, cum inquit: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Ergo accedente inquit Augustinus; uerbo ad elementum, Sacramentum fit.

Quænam ad Sacramentorum susceptionem requirantur. Cap. LXVIIII.

Quæ requirantur ad suscipienda Sacramenta.

In quolibet autem Sacramento suscipiendo sex sunt necessaria, nempe; debita materia, debita uerborum forma, idoneus minister, intentio recta ministri, qui facere intendat, quod facit Ecclesia; uel intendat quod suscipiens mundetur in anima à peccato, Suscipiens, & tandem debita suscipientis dispositio.

Effectus singulorum Sacramentorum quis sit. Cap. LXX.

Effectus Sacramentorũ quis.

Sanè effectus, atque uis Sacramẽtorũ, ac virtus, est vis diuina, & spiritualis, hoc est gratia Dei, per debitã Sacramẽtorũ susceptionẽ collata.

Effectus

Effectus insuper Sacramentorum duplex est; communis nempe, & proprius; Communis est collatio diuinæ gratiæ, quæ per omnia Sacramenta confertur: at proprius est, qui vnicuique Sacramento peculiaris est.

Duplex effectus Sacramentorum.

Sacramentorum diuisio.

Sacramenta quænam sint necessaria, & quænam voluntaria. Cap. LXXI.

c veniens, de trăsact.

SEd animaduertendum non parum est, quod Sacramentorum; vt elicitur ex capitulo, veniens, de transactionibus; quædam necessaria sunt, quædam vero uoluntaria. Necessaria sunt, quæ sine interitu salutis æternæ prætermitti, & contemni non possunt; vt sunt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Vnctio, quæ omnia ad particularem cuiusque profectum sunt principaliter instituta. Voluntaria sunt, quæ sine salutis dispendio pro cuiusque arbitrio recipi possunt, & refutari; qualia sunt Ordo Sacer, & Matrimonium: & hæc duo ad totius Ecclesiæ profectum, & subsidium principaliter pertinent.

Sacramenta necessaria

Sacramenta voluntaria

Necessariorum sacramentorum quedă ad ingressum in Ecclesiă quedă ad progressum in Ecclesia quedă ad egresiŭ ab Ecclesia.

Alia Sacramentorum diuisio, quænam sit. Cap. LXXII.

ET rursus necessariorum Sacramentorum quædam ad ingressum in Ecclesiam sunt comparata; vt Baptismus: quædam ad progressum in Ecclesia; vt Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia: quædam ad egressum ab Ecclesia, vt Postrema Vnctio.

Dist 32.c. pter hoc, & cŏs.dis.5.c. spūs an.26. q 7.c bis, q.26 q.6. c qui recedit,& c.ab infirmis.

Tertia Sacramentorum distinctio quænam sit. Cap. LXXIII.

POrrò Sacramentorum quædam Characterem imprimunt, idest signum quoddam à cæteris distinctum animæ indelebiliter infigūt: quædam verò non: quæ characterem imprimunt, iterari non possunt, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo Sacer. Cœtera verò quæ characterem nullum imprimunt, iterari minimè prohibentur; vt Eucharistia.c.quotidie,de cons. dis.2. Vnctio, Pęnitentia, & Matrimonium: de quibus fatur etiam Hostiensis in Summa sua. Et de non reiterando Sacramentum Baptismatis, loquitur lex secunda, C.ne sanctum baptisma iteretur, & capitulum ultimum. extrà de Baptismo.

Sacramentorum quænam characterĕ imprimăt, q vero non.

c aperiant 32 q 1

Hostiensis cap.fin. de Bapris.

Baptismus quid sit. Cap. LXXIIII.

BAptismus est ablutio corporis exterior, quæ adhibita certa verborum forma; interiorem animæ ablutionem designat, & operatur. Veluti enim Circuncisio in populo Dei in fidei, iustitiæque signaculum instituta, ad significationem purgationis originalis, veterisque peccati paruulis valebat: sic & Baptismus ad hominis innouationem ualere cœpit.

c. ex quo, de cŏs.d.4. c.Maiores, eod.tit.

Digitized by Google

Ad substantiam Baptismi quot requirantur. Cap. LXXV.

Necessaria ad baptismum quot sint.
Nota.

ET quidem sunt de substantia Baptismi quinque, videlicet, Baptizantis intentio, siue generalis, siue specialis; Baptizandi fides, si sit adultus; aliàs baptizari poterit in fide parentum, & Ecclesiæ: expressio vocalis formæ, à Christo institutæ: Ablutio per elementum aquæ puræ, & naturalis: & quod ablutio, & uerborum prolatio sint actus contemporanei.

Baptismus quotuplex sit. Cap. LXXVI.

Baptismus alius fluminis, alius flaminis, alius sanguinis.
c. detrahe. 1 q. 1. c. debitum, eod. c. Apostolicam, de prasbyt. non bap. c. martiriij, de cōs. dis. 4.
Nota.

SEd aduertendum est, quod scite scriptum est à patre Sancto Augustino, libro quarto de Baptismo contra Donatistas; Baptismum alium esse fluminis, idest, aquæ cum verbo; alium flaminis, idest Spiritussancti; alium verò sanguinis, seu martyrij. Baptismi enim virtus, & efficacia, non tam ablutione corporis, quam fide cordis continetur: & aliud est per ministerium Baptizare, quod sacerdos exequitur, aliud est per potestatem, quam Dominus non vsque adeo Sacramentis adiunxit, vt sine illis eorundem gratiam tribuere non possit.

Quænam sit Materia Baptismi. Cap. LXXVII.

Baptismus fit in aqua, & non in alio liquore.
Nota.

PLanè Baptismi Materia esse debet aqua; & nullatenus Baptismus fit in alio liquore, sed in aqua solum: quia cum homo per peccatum primi parentis incurrerit immunditiam, & ignorantiam, & concupiscentiam, per Baptismum, & aquæ ablutionem ab illis tribus liberatur: in aquæ si quidem proprietatibus puritas notatur, perspicuitas, atquè frigiditas: nam Baptismalis aqua sua puritate nos mundat, sua perspicuitate illuminat, atque sua frigiditate ab æstu concupiscentiæ nos temperat.

Quæ sit verborum forma Baptismi. Cap. LXXVIII.

Baptismi forma quæ sit.
Ioan. Pau. Lācelottus. Summa Victoria.

SAnè verba; quæ Baptismi formam perficiunt, hæc notantur, scilicet: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti; quæ in tantum sunt in forma, ut si dicatur in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab vtroque; secundum Ioannem Paulum de Perusio; non sit Baptismus. Idemque etiam si dicatur: in nomine Trinitatis. licet à Summa Victoria non approbetur quod hic dicitur de hac secunda forma; cum pro se adducat autoritatem capituli à quodam, de consecratione, dist. 4. quem ego quoque sequor tum propter autoritatem prædicti capituli, tum propter benigniorem partem, quam ipse sequitur.

Baptismi

Digitized by Google

Baptismi Minister quinam sit. *Cap. LXXIX.*

DEbitus autem baptismi minister: secundum Doctores omnes de hac materia scribentes; est ipse parochialis Sacerdos: sed in articulo necessitatis quilibet potest baptizare, siue vir, siue mulier, fidelis siue infidelis; dummodo habeat intentionem baptizandi, & seruet formam Ecclesiæ: sic enim fuit determinatum à Sancta Dei Ecclesia in titulo de summa Trinitate, & fide Catholica, cap. primo. §. Sacramentum verò Baptismi. Benè verum est, quod circa hanc Baptismi collationem, seruandus est orde iste, scilicet vbi plures comperiuntur, maior semper debet baptizare, & dignior argum. textus in cap. mulier, de conf. dist. 4. At extra casum necessitatis nulli licet baptizare, secundum Hormisdam Papam: imo & Sacerdos Parochialis non debet aliquem baptizare, qui non sit de eius Parochia, vel nisi de licentia curati, cuius est Parochianus, iuxta Decisionem Calixti Pontificis in cap. interdicimus. 16. q. 1. Verũ intentio Ministri in conficiendis, & conferendis Sacramentis esse debet, vt intendat facere, quod facit Ecclesia, vt præcipit Concil. Trid.

Baptismi minister quis. *c. 1. de summa Tri. & fid. cath.* *c. mulier, de cons. distinct. 4.* *Hormisda Papa* *Calixtus Papa* *Intentio ministri.* *Cõc Trid. sess 7. can. 11.*

Differentia Sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ, quænam sit. Cap. LXXX.

CÆterum ex ijs, quæ paulò ante diximus in antecedenti Capitulo; apparet magnam esse inter Baptismum, & Pœnitentiam differentiam; constat si quidem Baptismi ministrum nullatenus iudicem esse oportere: quemadmodum Sacramenti Pœnitentiæ minister iudex esse dignoscitur. Præterea materia, & forma Baptismi, quibus Sacramenti essentia perficitur, longè quidem distat à materia, & forma Pœnitentiæ. Denique alius est Baptismi, alius Pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christũ induentes noua prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: verum ad hanc nouitatem, & integritatem per Pœnitentiæ Sacramentum non sine magnis nostris fletibus, & laboribus, diuina id exigente iustitia, peruenire possumus: vt merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à Sanctis patribus dictus fuerit.

Cõc. Trid. Sessio. 14. cap. 2. *Pœnitentia est Baptismus laboriosus.*

Quisnam sit effectus Baptismi. *Cap. LXXXI.*

BAptismi quidem effectus est multiplex: nam ille ad alia Sacramenta præparat: quia Baptismus est Sacramentum intrantium, vt supra diximus; à peccato mundat, quod significatum est in mari rubro, vbi submersi sunt Ægyptij, sed filij Israel exierũt securi. Baptismus insuper delet originalis peccati maculam; fomitem verò non tollit, sed remittit: pœnam relaxat, vnde induuntur pueri veste candida, rationalem illuminat, vnde ponitur sal in ore pueri. Concupiscibilem ad bonum

Effectus Baptismi cõperitur esse multiplex *Nota totũ istud capitulum* *Exod. 14.* *Vestis candida.* *Sal.*

Digitized by Google

Candela. inflammat, vnde datur candela puero. Irascibilem confortat, vnde
Exod. 18. Israel vicit Amalech post transitum maris rubri. Gratiam tribuit; quod
Matth. 3. figuratum est per columbam, quæ sedit super Iesum baptizatum: Cara-
Apoc. 4. cterem imprimit, & hoc figuratur per mare vitreum in Apocalipsi: fo-
Ierem. 3. mitem mitigat, quod significat aquæ frigiditas: Communionem Ecclesiæ præstat; sicut Ieremias circumcisus fuit, quamuis sanctificatus fuerit in vtero. A sanctificatione exteriori liberat: quia non requirit gemitum, neque planctum, intellige exteriorem: nam exterior requiritur in adulto, scilicet, contritio: Potestatem diaboli imminuit, quod
Ex sufflatio. significatur per exsufflatione: Ianuam cœli aperit, quod significatum est, quando Christo baptizato, aperti sunt cęli: Os ad laudandũ Deum,
Matth. 3. & aures ad audiendum aperit; Vnde ponitur saliua in ore, & in aure
Oris, & aurium aperitio. pueri: Templum Christi efficit; vnde dicitur ipsi baptizando: exi immunde spiritus, & da locum Spirituisancto: Laudabilem coram Deo reddit, vnde Balsamum est in Chrismate. Solent pueri baptizandi vs-
Saliua. que ad Pascha, & Pentecosten (nisi vrgeat necessitas, vel timeatur pe-
1. Cor. 6. riculum) reseruari, ad significandum, quod in baptismo fiat resurre-
Balsamũ. *Nota.* ctio spiritualis, & quod gratia Spiritussancti detur.

Confirmatio quid sit. *Cap.* LXXXII.

Confirmatio quid sit. NVnc ad Confirmationis Sacramentũ deuenientes, dicimus; quod Confirmatio est Chrismatio, seu consignatio facta cum Chrismate in fronte baptizati ab Episcopo cum certa uerborum forma ad audacter confitendum nomen Christi: est enim Confirmatio Sacramentum pugnantium.

Ad substantiam Sacramenti Confirmationis quot requirantur. *Cap.* LXXXIII.

Sacramẽti Confirmationis quot sint de substantia. HVius autem Sacramenti Cõfirmationis sex sunt de substantia; duo, uidelicet ex parte Sacramenti, materia nempe Chrismatis, & ipsa uerborum forma: Duo uero ex parte ministri, scilicet dignitas pontificalis, & debita intentio: & duo denique ex parte suscipientis, frons, scilicet, in qua debet fieri Chrismatio, & quod confirmandus sit baptizatus prius.

Quodnam sit elementum, vel materia Sacramenti Confirmationis. *Cap.* LXXXIIII.

Materia Confirmationis quæ. MAteria autem Sacramenti Confirmationis, secundũ S. Thomam in tertia parte, quæst. 72. artic. 2. 3. & 4. est Chrisma confectum ex oleo oliuarum, & balsamo, ab Episcopo consecratum, & benedictum; quo frons confirmandi in modum crucis perungitur.

Digitized by Google

Confirmationis forma qua sit. Cap. LXXXV.

SAnè huius Sacramenti Confirmationis forma, secundum eundem S. Thomam ibidem, est huiusmodi, scilicet: Consigno te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amen. *Forma Confirmationis qua. S. Thom.*

Confirmationis minister quinam sit. Cap. LXXXVI.

DE hoc Confirmationis ministro sic fatur Conciliũ Tridentinum de Confirmatione, Canone tertio. Si quis, inquit, dixerit, Sanctę Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem; anathema sit. Et Rabanus iam ante Concilium Tridentinum, sic ipse quoque scriptum reliquit, dicens: à Summo Sacerdote per impositionem manus paraclytus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritumsanctum ad prædicandũ alijs. De intentione autem ministri in Sacramentis quæ requiratur, dictum est supra de Bapt. *Confirmationis minister qui. De Conf. dist. 5. cap. nouissimè. Intētio ministri.*

Confirmationis effectus quinam sit. Cap. LXXXVII.

COnfirmationis autem effectus, & utilitas multiplex quidem est, gratiam si quidem in Baptismo datam confirmat: Vnde Psaltes ait. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, scilicet, in Baptismo: Ad militiam spiritualem nos præparat. Vnde confirmandi tanquam pugiles pugnaturi inunguntur, ne ab inimicis, scilicet, carne, mundo, & Diabolo de facili terreantur: & quia sic omnes Christiani debent esse in bello Christi: & ideo propter hoc omnes debent Sacramentũ hoc accipere, ut facilius possint aduersus mundum, carnem, & Diabolum pugnare. Ad confessionem constantem nominis Christi animat: quoniam oportet uerum Deum, & uerum hominem confiteri. Primò, ut confiteamur, eum secundum diuinam naturam Patri, & Spirituisancto æqualem. Secundò ut confiteamur, eum secundum humanam naturam crucis pertulisse supplicium, primum apparet in forma uerborum in Trinitatis expressione: Secundum claret in fronte crucis signatione. Præterea hoc Sacramentum intus, & extra spirituali decore nos ornat: Intus per conscientiæ puritatem; extra uerò per odorem bonæ famæ: Et hæc duo significantur in Chrismate quod conficitur ex oleo propter primum, & ex Balsamo propter secundum. Item in bonis agendis, & malis sustinendis roborat; datur enim Spiritussanctus ad robur. Animam, & corpus armat; animam quidem per impressionem characteris contra pusillanimitatis uitium; corpus uerò per Clypeum Crucis contra insultus Dęmonum. Audaciam præstat, contra uerecundiã, & timorem in confessione nominis Christi: primum notatur in Chrismatione frontis, qui est locus uerecundiæ: Secundum in potestate ministri. *Effectus Confirmationis qui. Psal. 67. Nota. Confitendus è Christus verus Deus, & verus homo. Nota. Arma. Clypeus.*

Digitized by Google

nistri. Pugnantem coronat, quod notatur in uita, quæ circa caput confirmati ligatur.

Eucharistia Sacramentum quidnam sit. Cap. LXXXVIII.

EVcharistia; secundum Scotum in quarto Sententiarum dist. 8. est Sacramentum corporis, & sanguinis Christi; ueraciter contenti sub speciebus panis, & uini, post consecrationem factam à Sacerdote sub certis uerbis, cum debita intentione prolatis, ex institutione diuina. Et hæc sanè diffinitio uidetur bona, & approbanda, tum propter autoritatem tanti Doctoris; tum quia multum congruit dictis, & uerbis primi Canonis Concilij Tridentini, de Sacramento Eucharistiæ, sic decidentis, scilicet: Siquis negauerit, in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, & realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini nostri, ac proinde totum Christum: anathema sit.

Conci. Tri Sess. 13. capi. 1.

De substantia Sacramenti Eucharistia quanam requirantur. Cap. LXXXIX.

DE substantia autem huius augustissimi Sacramenti Eucharistiæ sunt quattuor: Primum est, quod consecrans Eucharistiam sic Sacerdos: secundum species panis, & uini: Tertium intentio consecrantis: Quartum est forma verborum.

Ad substãtiã Sacramenti Eucharistia quot cõcurrant.

Eucharistia Materia qua sit. Cap. XC.

MAteria Sacramenti Eucharistiæ; secundum dispositionem capituli; in Sacramentorum, de consec. dist. 2. & secundum determinationem Sacri Concilij Trid. est panis triticeus, & vinum uitis; modica aqua permixtum: nam de alio pane, quàm de triticeo; & de alio vino, quàm de vino vitis, non potest confici hoc præstantissimum Sacramentum: quinimò panis debet esse azimus; aliàs si quis in fermentato consecraret in hac nostra Ecclesia Latina, grauiter secundum sanctionem capituli, incipientis, literas, de celebrat. Missarũ, peccaret.

Materia Eucharistia qua. Con. Tri. Sess. 22 c. 7. Ca. literas, ext. de cel. miss.

Qua sit Forma Sacramenti Eucharistia. Cap. XCI.

QVoniam autem duplex est Sanctissimæ Eucharistiæ materia, propterea Forma quoque eiusdem duplex comperitur: Prima est, forma panis, quæ talis est: Hoc est enim corpus meum: ut patet Mat. 29. Mar. 4. Luc. 12. Ioan. 19. Alia & secunda est, vini in calice, quæ est hæc, scilicet; Hic est enim calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro uobis, & pro multis effundetur in remissio-

Forma Eucharistia qua. Math 29 Mar. 4. Luc. 12. Ioan 19.

Digitized by Google

remissionem peccatorum, ut patet in cap. cum Marthæ. §. distinguendum. de celebrat. Missarum. *Cap. cum Marthæ, de celebr. miss.*

Eucharistiæ Minister quis sit. *Cap. XCII.*

AVgustissimi autem huius Sacramenti Eucharistiæ minister solus est Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundum claues Ecclesiæ, quique ieiunus, & sine peccato mortali existens, & cui demum non sit prohibitum celebrare: sic enim Innocentius Papa statuit. At ad huius Sacramenti perfectionem etiam Ministri intentio requiritur. vt nempe minister se subiiciat principali agenti; vt scilicet intendat facere; quod Christus fecit, & nunc eius Ecclesia aliàs sine intentione nihil minister ageret. *Minister Eucharistiæ. c. 1. de sū. Trin & fi. cath. §. & hoc quoq. Intentio ministri in hoc Sacramento.*

Eucharistiæ effectus quis. *Cap. XCIII.*

DIgnè sanè suscipientes hoc Sacratissimum Christi corpus, bonum multiplex assequuntur. Primum est, Christi commemoratio. Matth. 26. Hoc facite in meam commemorationem. Item viuificatio interior, quia nonnunquam per virtutem huius Sacramenti fit de attrito contritus. Vnde sicut (Genes. 3.) lignum vitæ comestum vitam præstabat, sic per hanc gratiam purgamur, illuminamur, perficimur, reficimur, & viuificamur. Et bene redditur vita per cibum, per quem, & mors intrauit. Tertius effectus est, corporis Christi mystici incorporatio. Vnde Augustinus: Non tu me mutabis in te: sed tu mutaberis in me: Quartus effectus est, spiritualis refectio. Vnde Psal. In loco pascuæ &c. Deus enim non tantum instituit Sacramentum, quod nos in esse gratiæ generaret, ut baptismū, uel quod genitos, roboraret, ut Confirmationem; verumetiam quod roboratos nutriret, ut Eucharistiam: propter quod hæc tria Sacramenta dantur omnibus, qui ad fidem accedunt. Quintus est, deuotionis augmentatio. Psal. Impinguasti in oleo caput meum. Sextus est fomitis mitigatio. Psal. Super aquam refectionis, &c. quia sicut aqua refrigerat, sic etiam istud Sacramentum feruorem concupiscentiæ mitigat. Septimus est, gratiæ collatio. Exod. 16. Descendente Manna, descendebat pariter & ros. Octauus est, virtutum roboratio. Psal. Panis cor hominis confirmet. Nonus est, peccatorum remissio: quia per istum cibum fit reparatio deperditi. Decimus est, contra Diabolum armatio. Psal. Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes, &c. Vndecimus est, spei eleuatio. Vnde Apost. Quem non etiam cum illo, &c. Duodecimus est, amoris excitatio. Vnde Bernardus: Disce Christiane quantum debeas diligere Christum, qui dat nobis carnem suam in cibum, & sanguinem in potum, aquam lateris in lauacrum. Decimustertius est, fidei cōmendatio: quia in hoc Sacramento fides eleuatur supra naturam, supra sensum, & supra intellectum. Apost. Captiuantes omnem intellectum in obsequium Christi. Decimusquartus *Effectus Eucharistiæ. Matt. 26. Genes. 3. Nota. Aug. Psal. 22. Cur Christus instituerit Sacramentū Eucharistiæ. Psal. 22. Psal. 22. Exod. 16. Psal. 103. Psal. 22. Rom. 8. Bernar. Fides qualiter eleuatur in hoc Sacram. 1. Cor. 10.*

Psal. 77. quartus est effectus, Angelica conuiuatio. Psal. Panem Angelorum manducauit homo. Decimusquintus est, regni cœlestis collatio. Ioan. *Ioan.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam *Sap. 16.* æternam. Decimussextus est, spiritualis delectatio. Sap. Panem de cœlo prestitisti eis, omne delectamentum in se habentem. Decimusseptimus est intellectus illuminatio. *1. Reg. 14.* 1. Reg. Gustauit Ionathas de melle, *Nota.* & illuminati sunt oculi eius. De effectu summatim Eucharistiæ dicit Bernardus: Quod corpus Christi est ægris medicina, peregrinantibus diæta, debiles confortat, valentes delectat, languorem sanat, sanitatem conseruat, per hoc fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gratiarum actionem deuotior.

Pœnitentia quid sit. Cap. XCIIII.

Pœnitentia quid sit. cap. multiplex. de pœnit. dist. 1.

POenitentia est Sacramentum, quod contritione, & satisfactione concurrentibus, peccatorũ operatur remissionem: multiplex enim Dei misericordia ita lapsibus humanis subuenit, vt non solum per Baptismi & Confirmationis gratiam; sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spem æternæ vitæ reparari velit: vnde qui dona regenerationis violauerit, proprio se iudicio condemnans per Sacramentum pœnitentiæ ad criminum remissionem, quasi ex naufragio, arrepta secunda tabula, ad portum perueniet: per primam si quidem tabulam, hoc est, per Baptismum vetus homo purgatur, & nouus induitur: per secundam verò, hoc est per Pœnitentiam, lapsi post Baptismum resurgimus. Prima tabula ergo est tanquam nauis: secunda verò est scapha, qua in naufragio periculum euitatur. Vel pęnitentia est secundum Beatum Ambrosium; dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quę quisq; commisit, vel quibus consensit; vel secundum eundem, Pęnitentia est præterita mala plangere, & plangendo iterum non committere.

Duæ sunt tabulæ cap. secunda, de pœnit. dist. 1. c. ecce, de pęni. dist. 1.

Species Pœnitentiæ quot sint. Cap. XCV.

Pœnitẽtiæ spẽs quotnam sint. Abb. in c. 1. de pœn. & remiss. c. in capite, dist. 50. Solẽnis Pęnitẽtia nõ iteratur.

SVnt autem pęnitentiæ tres species: quædam enim est solennis, quædam publica, quædam priuata; solennis est, secundum Abbatem in cap. 1. de pœnit. & remissi. illa, quam Episcopus pro delicto enormi, & scandalizanti totam vrbem in cap. ieiunii delinquentibus solet imponere: quæ quidem ne Ecclesiæ uilescat authoritas, iterari non debet. Sed taliter pœnitentes ad Sacros Ordines inhabiles reddit; quippe quæ nec aliter potest Sacerdotibus imponi, quam si prius cœlestis militiæ cingulo exuti fuerint.

Publica pœnitentia quænam sit. Cap. XCVI.

Pœnitẽtia publica q̃ sit: c. in capite, dist. 50.

AT publica pęnitentia, secundum eundẽ Abbatem, est illa, quę publicè, & in publico sine solennitate peragenda alicui imponitur; qualis est peregrinatio, certi habitus delatio, & his similia.

Priuata

Priuata Pœnitentia quæ sit. Cap. XCVII.

SEd priuata, seu secreta pœnitentia est, quæ in occulto Deo fit, & Sacerdoti tanquam Deo, vel ministro. Statutum est enim Generali Concilio, vt omnis fidelis, quamprimum sapere cœperit, omnia sua peccata proprio Sacerdoti confiteatur; & iniunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus adimplere studeat; suscipiens reuerenter ad minus singulis annis in Paschate Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de Sacerdotis consilio ex causa duxerit abstinendum: alioqui & viuens ab ingressu Ecclesiæ arcebitur, & moriens Christiana carebit sepultura. *Priuata Pœnitētia quæ. c. omnis, de pæn. & remis. c. administratores, 23. quæst.*

Pœnitentia quibus partibus constet. Cap. XCVIII.

SVnt autem secundum Concilium Tridentinum; quasi materia huius Sacramenti Pœnitentiæ ipsius pœnitentis actus, nempe, contritio, confessio, & satisfactio, quæ in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam, perfectamque peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur; & hac ratione huiusmodi pœnitentis actus, pœnitentiæ partes dicuntur. *Materia Sacramēti Pœnitētia Sess. 14. c. 3. de par. pœn.*

Contritio quid sit. Cap. XCIX.

COntritio autem; quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet; est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero: qui dolor non est sensitiuus, sed intellectiuus, secundum Summam Sacramentorum: quia contritio est in potestate nostra; sed dolor sensitiuus non est in potestate nostra. Est ergo contritio non ipse dolor, sed odium, & displicentia peccati, ex quo nascitur dolor. *Contritio quid. Summa Sacram.*

Confessio quid sit. Cap. C.

EStautem Confessio, secundum Beatum Augustinum, per quam morbus latens spe veniæ aperitur: vel secundum Ioannē Paulum Perusinum; Confessio est Canonica peccatorum coram proprio Sacerdote facta declaratio: vel Confessio, secundum Raymundum est legitima coram Sacerdote, qui claues habet, & potestatem absoluendi, peccatorum declaratio. *Confessio quid. Aug. Lib. 2. Institit Raym.*

Quotuplex sit Confessio. Cap. CI.

COnfessio autem duplex est, quædam mentalis, quæ fit Deo, & hæc de iure naturali est: quædam vocalis, quæ fit homini, & hæc non est de iure naturæ, sed est de iure Euangelico: nam ante Christi incarnationem sufficiebat confessio mentalis; quia Deus nondum erat homo, *Confessio quotuplex. Nota.*

Digitized by Google

Matth.16. homo, sed postquā factus est homo, debuit cōfessio fieri homini Vicario Christi, per id quod ipse dedit potestatem ministris Sacramentorū ligandi atque soluendi. Triplex item est confessio: scilicet, confessio fidei, confessio laudis, siue beneficiorum, & cōfessio peccatorum: confessio fidei, quæ continet in se totam legem Dei, & obseruantiam legis, iustificat. Confessio verò laudis, scilicet, gratiarum actio, satisfacit pro beneficijs receptis. Confessio peccatorum purificat hominem.

Confessio fidei, laudis et peccati.

Satisfactio quid sit. Cap. CII.

Satisfactio quid. *Summa Sacram. c. satisfact. de pen. dist. 2.*

SAtisfactio secundum Summam Sacramentorum; est compensatio offensæ preteritæ ad equalitatem iustitiæ: vel Satisfactio; secundum August. est peccatorum causas excidere; nec earum suggestionibus aditum indulgere.

Satisfactionis partes quot sint. Cap. CIII.

Partes satisfactiōis quot. *Pœnitētia est spontaneum iudicium.* *Nota.*

SAtisfactionis partes principales sunt oratio, ieiunium, & eleemosina: secundariæ uerò sunt, vigiliæ, peregrinationes, disciplinæ, & huiusmodi: quare concludimus, quod pœnitentia est spontaneum iuditium, in quo iuditio contritio est quædam citatio: vbi sequitur ipsius rei ante Iudicem spontanea confessio: Deinde sequitur per Iudicem impositæ emendæ solutio.

Quæ sit Pœnitentiæ Forma. Cap. CIV.

Forma Sacramenti Pœnitētiæ quenā sit. *Sess. 14. capi. 3* *Sūma Armil.*

CVm in omni Sacramento nouæ legis sit aliqua Materia visibilis elementi, quæ est signum, & causa gratię, de qua suprà diximus: oportet etiam & formam in eisdem comperiri sensibilem: huius ergo Sacramenti pœnitentiæ Forma, secundum Concilium est; ego te absoluo, nec aliud de necessitate requiritur, secundum Summam Armillam: vnde præfatum Concilium paulò post subdit: quibus, scilicet, verbis prædictæ absolutionis, de Ecclesiæ Sanctę more, preces quędam laudabiliter adiunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiā nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationē sunt necessariæ.

Minister Sacramenti Pœnitentiæ, quis sit. Cap. CV.

Minister Pœnitētiæ quis esse possit. *Sess. 23. c. 15 & Sess 14. c. 6.*

DE hoc Sacramenti Pœnitentiæ ministro sic sanxit Sacrosancta Tridentina Synodus, scilicet: Quamuis, inquit præsbiteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiāt; decernit tamen Sancta Synodus; nullum etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire: nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat priuilegijs, & consuetudine qua-

Digitized by Google

cunque etiam immemorabili, non obstantibus. De intentione ministri in Sacramentis dictum est supra dum de alijs verba fecimus.

Intētio minist. in Sacram Pœn.

Quis effectus sit Pœnitentiæ. Cap. CVI.

CErtè per Pœnitentiam absoluitur homo à peccato, restituitur Ecclesiæ, reconciliatur Deo, donis spiritualibus ditatur, de filio Diaboli filius Dei efficitur, paradisus Dei aperitur; Hæc est, quæ Angelos lętificat, impiū iustificat, amissa bona recuperat, vitam ætern ā donat, pęnā æternam vitat. Itē Pœnitentia est secunda tabula post naufragiū, ad quam pōt homo recurrere, quādiu est in statu vitæ præsentis, quādocunq; & quotiescunq; diuinam misericordiam voluerit implorare. Duplex est enim naufragium, scilicet, peccati originalis, & actualis: à primo naufragio liberamur per tabulam Baptismi, quæ uirtutem, & efficaciam accepit à tabula crucis Christi: De secundo naufragio liberamur per tabulam Pœnitentiæ, per quam diuina clementia prouidit homini, quia pro peccato actuali non potest homo iterum baptizari: sed vlterius aduertendum est, quòd à reatu peccati liberamur per gratiam, à sequelis autem per peccatorum pœnitentiam, & partes pœnitentiæ; à miseria uerò per gloriam. At multo paucioribus hunc pœnitentiæ effectum comprehendit Cōcilium Tridentinum; cum inquit. Sanè verò, res, & effectus huius Sacramenti Pœnitentiæ, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris pijs, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.

Effectus pœnitētię qui. Luc. 15. Pœnitētia quid. Semper est iterāda pœnitentia. Nota. Qualiter à peccatis liberemur. Cōc Trid. Sess. 14 capit 3.

Extrema Vnctio quidnam sit. Cap. CVII.

ESt autem Extrema Vnctio signum sacrum, in consecrato oleo institutum, ut per illud cœlestis virtus ad salutem, non animę solum, sed & corporis applicetur ęgrotis ex diuina institutione: Mediator siquidem Dei, & hominum non solum uocatur Iesus, inquantum habet saluare, sed etiam Christus, inquantum habet Vnctionis gratiā in alios diffundere: quod significatum fuit in Rege Dauid, qui tribus vicibus vnctus fuit. Primò in domo patris sui, in signum regni futuri, & hæc significat vnctionem in Baptismo. Secundò, in Ebron super Iudam, & postea multa mala habuit; & hæc secunda Vnctio significat Vnctionē in Confirmatione. Tertiò iterum in Ebron vnctus fuit super omnem Israel, sed post hanc in pace regnauit: & hæc tertia significat vnctionem applicandam agentibus uitam in extremis.

Extrema Vnctio qd. Mediator Dei, & hominum nō solū Iesus vocat sed & Christus. Nota. 1. Reg. 1. 2. Reg. 5.

Vnctio quotuplex sit. Cap. CVIII.

Quotuplex sit Vnctio. c. 1. de Sacram. Vnc.

SVnt autem, secundum Innocentium Papam in cap. vnico, de Sacra Vnctione, Vnctionis duæ species: exterior uidelicet, quæ materialis, & visibilis;

Digitized by Google

& visibilis; & interior, quæ spiritualis est, & inuisibilis: exteriore visibiliter inungitur corpus: Interiore uerò inuisibiliter cor inungitur, idest ipsa anima, quæ sedem habet in corde.

Hoc Sacramentum Sacræ Vnctionis, cur appelletur Extrema Vnctio. Cap. CIX.

Sacramentum hoc cur Extrema Vnctio sit appellatum.
Alia ratio. Cathechis.

HÆc autem Sacra Vnctio, seu Sacramentum hoc Extremæ Vnctionis, eo quod in extremitate vitæ constitutis exhiberi consueuit, meritò Extremæ Vnctionis nomen est sortita. Vel ideo hoc Sacramentum Extremam Vnctionem appellatum esse Romanus asserit Cathechismus, quod hæc omnium sacrarum Vnctionum, quas Dominus Saluator noster Ecclesiæ suæ commendauit, vltima administranda sit.

Hoc Sacramentum an vnum tantum sit, vel plura, propter plures eius vnctiones. Cap. CX.

Extrema Vnctio an sit vnũ Sacramentũ, vel plura. Cathechis.
Nota comparationẽ.

DOcet profectò nos Romanus Cathechismus, hoc Extremę Vnctionis Sacramentum unum esse, & non plura; quamuis per plures unctiones administretur; quarum singulis propriæ preces, ac peculiaris forma adhibenda est. Vnum inquit, est Sacramentum non partium continuatione, quæ diuidi non possunt, sed perfectione: cuiusmodi sunt cętera omnia, quæ ex pluribus rebus constant. Nam quemadmodum domus quæ ex multis, & diuersis rebus cõposita est, una tantum forma perficitur; ita hoc Sacramentum, etsi ex pluribus rebus, & uerbis constituatur, unum tamen signum est, & unius rei, quam significat, efficaciam habet.

Substantialia Sacramenti Extremæ Vnctionis quot, & quæ sint. Cap. CXI.

Substantia Sacramenti Extremæ Vnctionis reqrit qnque
Materia Sacramẽti Extremæ Vnctionis quæ. Cõc. Trid. Sess. 14 capit 1. Cathechis.
Materia hæc, cur ex oleo oliuarum fiat.

DE substantia autem huius Sacramenti sunt quinque. Primum est, quòd hanc unctionem faciens, sit Sacerdos. Secundum est, intentio debita. Tertium est, materia debita, scilicet oleum infirmorum. Quartum est, forma uerborum, quam formam dicere debet inũgens. Quintum est locus inungendus: quia fit ad oculos, ad aures, ad nares, ad os, ad lumbos, & ad manus, ac ad pedes.

Extremæ Vnctionis Materia quæ sit. Cap. CXII.

HVius autem Sacramenti Extremæ Vnctionis elementum, seu materia, quemadmodum Concilium Tridentinum, ac Romanus Cathechismus decreuerunt; est oleum ab Episcopo consecratũ, liquor scilicet, non ex quauis pingui, & crassa natura: sed ex olearum baccis tantummodo expressus. Aptissimè autem hæc materia illud significat, quod ui Sacramenti interius in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandum

mitigandum corporis dolores magnopere proficit: ita Sacramenti huius virtus animæ tristitiam, & dolorem minuit: oleum præterea restituit, hilaritatem affert, & homini tanquam pabulum præbet: tum verò ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum est.

Extrema Vnctionis Forma quæ sit. Cap. CXIII.

Porrò huius Sacramenti Forma cum secundum Canones, Conciliaque præsertim Tridentinum, tum etiam secũdum Romanum Cathechismum, est verbum, & solennis illa precatio; quam Sacerdos ad singulas vnctiones adhibet, cum inquit. Per istam sanctam Vnctionẽ indulgeat tibi Deus quicquid oculorum, siue narium, siue tactus vitio deliquisti. Quod autem hæc vera sit, & propria huius Sacramenti Forma, cum ex diuina institutione apparet; tum & Sanctus Iacobus Apostolus significat, cum ait; & orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum.

Forma Extrema Vnctionis quæ. de cons. dist. 5 c. nunquid. Sess. 14 capit. 1. Cathechis. Forma. Mar 6. Hoc Sacramentum à quo institutum. Iacob. 5.

Extrema Vnctionis Minister quis sit. Cap. CXIV.

Qvis huius Sacramenti Extremæ Vnctionis sit minister; ab eodem Apostolo, qui Domini legem promulgauit, iam didicimus; ait enim; Inducat presbyteros: quo nomine non eos significat, qui ætate prouectiores sunt; quemadmodum Tridentina Synodus exposuit, aut qui in populo principem locum obtinent; sed aut Episcopos aut Sacerdotes, qui ab ipsis Episcopis per manuum impositionem ritè ordinati sunt. Sacerdoti igitur huius Sacramenti administratio commissa est, & non alteri: Sacerdoti (inquam) non cuiuis Sacerdoti, sed proprio pastori; qui iurisdictionem habeat, siue alteri cui ille eius muneris fungendi potestatem fecerit, hoc Sacramentum administrare licet. Intétio autem ministri quæ esse debeat in Sacramentis conficiendis, & conferendis, dictum est suprà in alijs Sacramentis.

Minister Extrema Vnctionis qui. Iacob. 5. Sess. 14 capit. 3. Can. 4. Nota. Proprius sacerdos, & qui iurisdictionẽ habet, est administrator Extrema Vnctionis.

Vtilitas, seu effectus huius Sacramenti quinam sit. Cap. CXV.

Res porrò, inquit, Tridentina Synodus, cum qua concordat Cathechismus; & effectus huius Sacramenti est gratia Spiritussancti, cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit. Secundò, ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando. Tertiò, infirmus ea misericordia, ac fiducia subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius suffert. Quartò, tentationibus Dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit; & quandoque Quintò, sanitatem corporis, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. Reliquum esset modo, vt de Sacramento Ordinis disputaremus; verum quoniam Ordinem præcedit prima tonsura: nam in omni transitu de statu ad statum conuenienter

Effectus Extrema Vnctionis quis. Sess. 14. c. 2 Cathechis. Prima tonsura precedit Ordinem.

Digitized by Google

interponitur aliqua dispositio media; vnde ante transitum à statu laicorum ad statum ministrorum Dei, conuenienter prima tonsura interponitur: ideo prius quam ad Ordinis discussionem deueniamus, aliqua de prima tonsura subodoremus: & primo querentes.

De initiãdis prima tonsura. Sess.23.ca.4.

Quisnam possit insigniri prima tonsura. Cap. CXVI.

Confirmatus esse debet initiãdus prima tonsura. Conc. Tri. Sess.7 can.1.

PRopofuimus certè supra in principio nostri operis capite primo, & quinto, quod initiandus prima tonsura ante omnia fidei rudimenta; secundum Concilium Tridentinum, edoctus esse, & Catholicam fidem tenere, aliaque multa scire, de quibus ibi suprà; debeat. Nunc porrò addimus, ipsum prima tonsura initiandum; ante quam ipsa decoretur; Confirmatum esse, hoc est, Sacramentum Confirmationis suscepisse, debere: ordine enim primo inter Ecclesiæ Dei Sacramenta ponitur Confirmationis Sacramentum, deinde Ordo sacer, quem primam tonsuram præcedere diximus. Itemque annos septem habere ipsum oportere, secundum dispositionem cap. fi. de temporibus ordinan. in 6.

Initiandus prima tonsura annos septem habere dẽt.

Turpe est ignorare ius, in quo quis versatur. l.2 ff. de orig. iuris. 7 h 4.d.24 32.d. c. fÿriatim.77. dis.c.illud, 93.dis. c.à Subdiac. cap.cũ cõtingat, de æta et qualitate.

An prima tonsura sit Ordo. Cap. CXVII.

QVoniam autem subiectum nostrum est, ut de scientia eorum, qui initiandi sunt prima tonsura differamus: scire ideo debent, qui eadem insigniti comperientur, an ordine clericali præditi præfulgeãt; an verò aliud quidpiam adepti fuerint per primam tonsuram: & quidem si loquimur de ordine inquantum est Sacramentum, & imprimit characterem; profectò isto modo prima tonsura non est Sacramentum, nec imprimit characterem, secundum Sanctum Thomam: & ideo Canones, ac iura non posuerunt primam tonsuram inter Ordines. Si verò loquimur de Ordine, non vt de Sacramento, sed vt largo modo pro deputatione ad diuinum cultum sumitur: dicimus, quod sic est Ordo: & ita notanter dicitur per Glossam, in cap. cum contingat, de ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum: & propterea Theologi in Compendio Theologicæ Veritatis dicunt, quod duplex est signum distinctiuum in Ordine, scilicet exterius tonsura, & interius character: Vnde ad esse Ordinis (dicunt) tonsura non præexigitur; sed ad benè esse; quia dispositio congruitatis est ipsa tonsura ad Ordinem, non necessitatis.

Lib.6.c.36

Tõsura nõ est ordo, sed dispositio ad ordinẽ.

Diffinitio quid.

Ordo duplex, naturæ s. & doctrinæ cõperitur.

Prima tonsura quid sit. Cap. CXVIII.

LIcèt autem omnium prima ex ordine naturæ esse debeat diffinitio: quę esse debet breuis, & dilucida oratio, naturam rei exponens: hoc tamen loci, ordinem potius doctrinæ sequentes, quàm illius

lius

Digitized by Google

lius naturæ; visum est nobis illam ponere: Corona igitur, aut prima tonsura, secundum Magistrum Sententiarum; est signaculum, quo quis signatur, ac sortitur in partem sortis ministerij Diuini. *Li. 4. d. 24. Tonsura quid sit.*

Prima tonsura quo die possit tradi. Cap. CXIX.

HÆc prima tonsura omni die, omnique tempore conferri quidem potest, secundum Doctores, & præsertim Hostiensem, & Ant. in cap. consultationi, de temporibus ordinationum. teste Ægidio de Bellamera, in cap. 4. q. 4. ibidem. *Prima tonsura omni tempore conferri pôt.*

Tonsura cur in modum coronæ fiat. Cap. CXX.

FIt autem in hac tonsura aliquorum capillorum resecatio in summitate capitis in modum coronæ, quoniam corona regale decus significat; quia seruire Deo, regnare est. Vnde ministri Ecclesiæ reges esse debent; ut se, & alios regant: quibus Petrus Archiapostolus ait: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, &c. Secundo quoniam corona hæc, quam in capite portamus, significat illam coronam spineam, quam Christus Rex noster, seipsum in ara crucis oblaturus, portauit, & ideo in figuram circulariter facta nullum habet angulum: per quod significatur, quod clerici non debent habere sordem in vita; quoniam ubi angulus, ibi sordes. Hæc dicit Magister Sententiarum, & etiam Durandus de ministris & ordinibus Ecclesiasticis. *Tõsura, capillorum resecatio ad qd fiat. Matt 7. 1 Pet. 12. quæst. 1. duo sunt. Cle. 2. uer. & tonsuram. de vita, & hon. cleric. Li. 4. d. 24. Lib 2. c. 1.*

Corona cur in summitate capitis fiat. Cap. CXXI.

ET summitas quidem capitis desuper ideò denudatur, vt mens eorum qui capiunt primam tonsuram, ad Dominum libera monstretur, quæ reuelata facie, gloriam Dei contempletur: Summitas enim capitis est eminentia mentis: At denudatio capitis est reuelatio mentis: clericus namque secretorum Dei non ignarus esse debet. *Corona cur in uertice capitis fiat. Nota. 2. Cor. 3. Summitas capitis qd. Denudatio capitis qd. cap unico, uer. in uertice, de sac. vnct.*

Initiandus prima tonsura, an in alijs capitis sui partibus præter quam in summitate tondeatur. Cap. CXXII.

ITem sciendum est, quod etiam in quatuor capitis tonsurandi partibus capilli tondentur: incidit enim Pontifex, seu mauis Episcopus, vnicuique extremitates capillorum in quatuor locis: uidelicet in fronte, in occipitio, & ad utramque aurem: tum deinde in medio capitis tres crines capillorum, siue cincinos, & in peluim deponit. *Initiandus prima tonsura i quot capitis partibus tondeatur.*

Digitized by Google

Quid dicat tondendus, dum ab Episcopo tondetur. Cap. CXXIII.

Dicere qd debeat tondendus dũ tondetur. *Psal. 15.*

AMplius sciat unusquisque tondendus, quòd, dum ab Episcopo tondetur, dicere debet infrascripta decimiquinti Psalmi verba, uidelicet: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Initiatus prima tonsura quo indumento induatur ab Episcopo. Cap. CXXIIII.

Quo indumento uestiatur initiatus prima tõsura.

VLtimo Pontifex accipiens in manum superpellicium dicit ad eum, qui iam tonsus est: Induat te Dominus nouum hominem: qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis. Itaque hæc præsentis capituli, & superiorum duorum doctrina est institutio, & forma initiandorum prima tonsura.

Cur capilli etiam apud aures, & oculos, amputentur. Cap. CXXV.

No. in Cle. 2 ver. et tõsuram, de uita, et ho. cler. *23. distinc. c. nõ liceat.*

IN datione primæ tonsuræ capilli tondentur etiamusque ad reuelationem sensuum, hoc est, circa oculos, & aures: vt uitia in corde, & opere pullulantia doceantur præcidenda, ne ad audiendum, & intelligendum uerbum Dei præpediatur mens: pro quo seruato reddetur in excelsis corona.

Tonsuræ usus à quibus exortum habuerit. Cap. CXXVI.

Tonsuræ usus unde originem habuerit. *Num. 6.* *Ezech. 5.* *Act. 18.* *1. Cor. 11.*

TOnsuræ autem Ecclesiasticæ usus à Nazareis exortus uidetur, qui prius crine seruato; deinde ob uitæ continentiam caput radebant, & capillos in ignem Sacrificij ponebant. Hinc usus inoleuit, ut qui diuinis cultibus mancipantur, quasi Nazarei, idest, Sancti, crine posito, inueniantur: Sicut ad Ezechielem dicitur: Fili hominis sume gladium acutum, & duc super caput tuum, & barbam. In Actibus etiam Apostolorum Priscillam, & Aquilam capita totondisse sua legimus. Paulus quoque, & alij quidam discipuli Christi hoc fecerunt.

Tonsura, rasura, & corona quomodo differant. Cap. CXXVII.

Corona, rasura, & tõsura aliqualiter differunt. *Rasura.* *Corona.* *Tonsura.*

GLossa in Clem. 2. de uita, & honestate clericorum de tonsura, corona, & rasura, differens, sic concludit differentias eorum, dicens: Videtur, inquit, quod propriè rasura respiciat partem superiorem, quã dicimus clericam: corona autem respicit circulum capillorum: sed tonsura abscissionem respicit ipsorum capillorum, & facit ad hoc textus in

capitulo

Digitized by Google

capitulo contingit, el secondo, de sententia excommunicationis. Et nota quod Conuersi Fratres, qui ministerijs diuinis non occupantur, superius ipsi non raduntur, sed inferius tonduntur: quia temporalia deponunt. Secundò nota, quod non habentes tonsuram Clericalem in Ecclesia non debent Lectiones publicè legere, aut cantare: & ad tonsuram deferendam Clerici per Archidiaconos sunt compellendi. *c'cōtingit. de sent. ex com.* *Conuersi cur superius non radantur.* *23. distin. Clerici.*

Sacra ordinatio quid sit. *Cap. CXXVIII.*

EST autem Ordo, vel Sacra Ordinatio, nihil aliud, quam signaculum quoddam; quo spiritualis potestas traditur ordinato, & officium: hoc enim Ordinis Sacramentum ad spiritualem generationem pertinet: sicut Matrimonium ad carnalem generationem spectat: cętera verò Sacramenta quinque pertinent ad statum personæ. *Ordo quid sit.* *Ordo ad quid institutus sit.*

Ordinis ministri quot, & quinam sint.
Cap. CXXIX.

QVoniam autem nil aliud est Ordo; si propriam eius vim, & notionem accipiamus; quam dispositio superiorum, & inferiorum rerum, quæ inter se ita apta sunt, vt vna ad alteram referantur: ideoq; ad huius etiam Sacri Ordinis exercitationem, ut plures sint ministri, necessarium esse videtur: tum etiam propter ministeria, quæ ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & Eucharistiam, vel conficiendam, vel administrandam: cuius causa præcipuè sunt instituta, necessaria videntur. Sunt ergo Sacræ Ordinationis ministri quidem septem, videlicet: Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolitus, Subdiaconus. Diaconus, Sacerdos. Ex his alijs maiores, qui etiam Sacri dicuntur, alij minores sunt: maiores, vel Sacri sunt, Ordo Sacerdotalis, Diaconatus, & Subdiaconatus: minores verò Ordines sunt, Acolytatus, Exorcistatus, Lectoratus, & Ostiariatus. *Sacramentum Ordinis varios habet sui exercendi ministros.* *Conc Trid. Sess 23 capit 2.* *Cathechis. Ordinis Sacramentum ad Christi corpus conficiendum institutum est* *Septē sunt Ordines.*

Ordinum quidam cur maiores, & cur minores nuncupentur.
Cap. CXXX.

ICcirco, inquam, minores Ordines dicuntur Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij: quia circa Missæ Sacrificium, & Eucharistiæ Sacramentum, aliaque Sacramenta, minorem habent dignitatem, curam, seu officium. Et quòd qui ijs initiati sunt, Matrimonium etiam contrahere possunt: At ideo maiores ordines dicti sunt Ordo Sacerdotalis, Diaconatus, & Subdiaconatus; quod talibus ordinati habeant sublimiorem curam, & officium circa Missę Sacrificium; & alia etiam Sacramenta; atque quod hi ipsi, qui illis Ordinibus insigniti sunt, inire matrimonium nullo modo queant. *Maiores Ordines quænam sint.* *Minores Ordines quæ sint.* *Ordines cur maiores quidā, & cur minores dicātur.*

Digitized by Google

Ordines cur septem esse dicantur. Cap. CXXXI.

Septem Ordines propter quid sint in Ecclesia Dei Magister Sententiarum. Corp' Christi quid sit.

SEptem sunt inquit Magister Sententiarum libro quarto distin. 24. spiritualium officiorum gradus, siue Ordines, sicut ex Sanctorum Patrum dictis apertè traditur, & capitis nostri, scilicet, Iesu Christi exemplo monstratur: qui omnium officia in semetipso exhibuit, & corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem Ordines obseruandos reliquit. Septem autem sunt prædicti Ordines, propter septiformem gratiam sancti Spiritus; cuius qui non sunt participes, ad gradus Ecclesiasticos indignè accedunt: illi verò in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritussancti, cum ad Ecclesiasticos Ordines accedunt, in ipsa spirituali gradus promotione ampliorē gratiā percipere creduntur.

Ordines secundum Canonistas nouem esse dicuntur. Cap. CXXXII.

Ordines secundū Canonistas nouem esse uidentur.

REferunt multi Doctores Canonistæ, præterquam quod etiā multi & textus, & Glossæ comperiuntur; quod nouem Ordinum gradus sint in Ecclesia militante, scilicet: Prima tonsura, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, & Episcopatus, secundum nouem ordines, seu Hierarchias Angelorū, sub nouem ordinibus, seu generibus lapidum preciosorum; pro quibus est textus expressus, in cap. cum contingat, extra, de ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum: notaturq; etiam in cap. cleros, dist. 21. in gloss. Psalmista.

c. cum contingat, de eta & qualit. ordinā. cap. cleros, dist 21.

Ordo quomodo vnum Sacramentum sit. Cap. CXXXIII.

Nota.

HOc quoque nullatenus omittendum esse videtur, quòd Sacra hæc ordinatio, seu hoc Ordinis Sacramentum, vnum est; secundum quod scribit Albericus de Rosate in suo dictionario, de mente Petri de Pal. non unitate indiuisibilitatis; sicut punctus; nec continuitatis; sicut linea, nec perfectione vnius formæ; sicut corpus animatum: sed est vnum perfectione vnius finis: quia cum constituatur ex diuersis ordinibus spiritualibus, omnes tamen ordinātur ad vnum finem, & vnum actum, scilicet, consecrationem Eucharistiæ.

Ordinis Character in quo actu imprimatur. Cap. CXXXIIII.

Character Ordinis in quo actu in ordine imprimatur.

SCiendum nobis est, quod Character secundum Syluestrum, in eo actu in quolibet Ordine imprimitur, ac infigitur, in quo Ordine, & actu, suscipitur exterius signum, hoc est instrumentū, expressius significans principalem potestatem, quam respicit ille Ordo, cum expressione verbi, determinantis significatū. i. cū certa verborū forma.

Sacramenti

Digitized by Google

Sacramenti huius quæ sint de substantia. *Cap.* C X X X V.

DE substantia huius Sacramenti Ordinis sunt sex: Primum est potestas ordinantis; quia oportet quod sit Episcopus. Secundum est, materia, scilicet vnctio in Sacerdotibus, & tactus illorum, quæ tangenda sunt. Tertium est, forma verborum. Quartum est, sexus virilis, quia mulier non recipit characterem Ordinis. Quintum est, intentio recta. Sextum est, quod ordinandus sit baptizatus, quia Baptismus secundum Pontificum constitutiones, est fundamentum, seu ianua omnium Sacramentorum, vt benè dicitur in tit. de presbitero non baptizato.

Ordinis substantialia quot, et quæ sint.

c 1. et cap. veniens, de presb. non bapt.

Ordinis materia in generali quæ sit. *Cap.* C X X X V I.

SAcramenti Ordinis materia in generali est illud instrumentum, ac impositio manuum Episcopi, aliorumque astantium ibi Sacerdotum; (quamuis cuiuslibet Ordinis sit specialis materia) quod in ordinatione ordinato exhibetur, ad tangendumque corporaliter, idest, ambabus manibus traditur, & quæ super caput fit Ordinati Diaconi, Sacerdotisve. contactus siquidem talium instrumentorum, vt clauium, calicis, & similium rerum, & non sola eorundem instrumentorum porrectio tantum, de necessitate Sacramenti esse videtur: quoniam verba formæ uidentur ostendere, quod tactus sit de necessitate Sacramenti: quia dicitur: accipe hoc, uel illud; manuum præterea impositio ab Episcopo, cum ordinatur aliquis Sacerdos, ac ab astantibus ibi Sacerdotibus, fieri necesse est. De materia uerò aliorum, & singulorum Ordinum, tunc ad plenum dicemus, cum de unoquoque eorum, ac eorundem ministrorum scientia disputabimus: nunc ergo de huius Sacramenti forma uerba faciamus, dicentes.

Materia Ordinis in generali quænam sit.

Ordinatũ oportet tangere instrumentũ, q᷑ sibi porrigitur tangendum.

Ordinis Forma quæ sit in generali. *Cap.* C X X X V I I.

SAcri autem Ordinis Forma in generali est illa potestas, quam Episcopus ordinans tradit ordinato, qua postmodum ipse exequitur officium sibi iniunctum ab ordinante: qui ei dixit: Accipe potestatem faciendi, exequendive id officium, ad quod ordinatus es.

Forma Ordinis quæ sit.

Ordinis Minister quis sit. *Cap.* C X X X V I I I.

SAcri quidem Ordinis ministrum esse solum Episcopum, & non alios, & Sacri Canones, & Concilia, Romanusque etiam Cathechismus communiter uno ore testantur: Canones qui hoc testantur ijdem, habentur apud Gratianum dist. 23. cap. Diaconus, & cap. Subdiaconus, cum sequentibus: Concilia verò hoc idem fantur, præsertim Concilium Tridentinum in Sess. 23. cap. 4. & can. 7. Cathechismus

Minister Ordinis quænam sit.

Gratianus

Cõc. Trid.

Digitized by Google

verò idipsum confitetur millies, dum de Ordinis Sacramento differit. Quamuis Abbates etiam aliquando suis subditis minores ordines, vt primam tonsuram, conferre minimè prohibeantur, iuxta Concilij Tridentini permissionem. Intentio autem ministri in hoc Sacramento esse debet, quæ & in alijs requiritur, scilicet vt intendat facere quod facit Ecclesia.

Seß. 23. ca. 10

Intentio ministri in Sacram.

Ordinis effectus quis sit. Cap. CXXXIX.

Effectus quidem sacri Ordinis est diuinæ gratiæ collatio, ad ritè exequendum, & exercendum officium suum in Ecclesia Dei: vel secundum alios effectus Ordinis est augmentum gratiæ, vt homo fiat idoneus minister Christi. Vnde Catechismus dicit, quod hoc Ordinis Sacramentum in anima eius qui Sacris initiatur, sanctificationis gratiam efficit, qua idoneus, habilisq; ad rectè munus suum exequendum, Sacramentaque ministranda reddatur: quemadmodum etiam Baptismi gratia quilibet ad alia Sacramenta percipiẽda aptus efficitur: tribuit etiam hoc idem Sacramentum aliam gratiam præcipuam, videlicet, potestatem, quæ ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum refertur, qua sacerdos Domini nostri corpus, & sanguinem verum conficere potest.

Cathechis.

Matrimonium quid sit. Cap. CXL.

Matrimonium est viri, & mulieris coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem continens, cum diuini, & humani iuris communicatione: eiusdem enim coniuges religionis, secundum leges esse debent.

Sacramentũ Matrimonij q̃d sit

l. 1 ff. de ritu nuptiarum.

Quotuplex sit Matrimonium. Cap. CXLI.

Sed aduertendum est, quod quadruplex distinguitur matrimonium. Primum est carnale, inter virum & mulierem; de quo paulò superius dictum est. Secundum est morale, inter Deum, & animam. Tertium est allegoricum, inter Christum, & Ecclesiam. Quartum est anagogicum, inter Deum, & animam in Ecclesia triumphante per coniunctionem gloriæ.

Quadruplex est Matrimoniũ.

Matrimonialis coniunctio quotuplex sit. Cap. CXLII.

Qvoniam supra in diffinitione Matrimonij dictum fuit, esse viri & mulieris coniunctionem; ideo ad intelligentiam huiusmodi diffinitionis dicendum, ac proinde sciendum est, quod duplex est coniunctio in matrimonio; sicut duplex est mors, correspondens illi. Est enim coniunctio spiritualis per consensum animorum, quæ soluitur per mortem spiritualem; qua homo moritur mundo per religionis ingressum.

Cõiunctio est duplex in Matrimonio.

Mors est duplex.

Nota.

Digitized by Google

ingressum. Alia est coniunctio carnalis per comixtionem sexuum, quę soluitur per mortem carnalem.

Quæ sit materia Matrimonij. Cap. CXLIII.

MAteria Sacramenti Matrimonij sunt personæ legitimæ, hoc est, quæ contrahere possunt, ut in neutra sit aliquod impedimentũ. Vel secundum alios, materia Matrimonij est mutuus consensus inter virum & mulierem. Tridentinum Concilium Sessio. 24. cap. 1. de Reformatione. *Matrimonij materia quæ sit. Conc. Tri. Sess. 24. capit. 1*

Matrimonij Forma quæ sit. Cap. CXLIIII.

POrrò prędicti Sacramenti Matrimonij Forma est: verba contrahentium, quibus mutuus eorum consensus, & coniugalis fidei promissio mutua exprimitur, scilicet: Blanca accipio te in meam vxorem: Deinde à sponsa, scilicet, à Blanca subditur, & respondetur: Ioannes Francisce, accipio te in meum legitimum maritum. Vel secundum Summam Sacramentorum: uerba unius coniugis sunt materia, & uerba alterius sunt forma: puta uerba, quæ primò proferuntur, sunt materia; & quæ proferuntur vltimò, sunt forma, quæ perficiunt Sacramentum. Huius uerò Sacramenti minister, secundum Concilium Tridentinum in Sess. 24. cap. 1. & in multis alijs locis, de Reformatione, regulariter est solus ipse parochus: vnde dicit dictum Concilium sic: Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorũ mutuo consensu intellecto, dicat: Ego uos in Matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, Amen. De intentione quæ habenda est in Sacramentis conficiendis, & conferendis, vide suprà de alijs Sacramentis. Et Conc. Trid. Sess. 7. Can. 11. *Forma Matrimonij quæ sit. Materia Matrimonij, et eiusdē Forma. Summa Sacram. Minister Sacramēti Matrimonij quis. Sess. 24. c. 1. de refor. Intētio ministri. Cōc. Trid. Sess. 7 Canon. 11.*

Bona Matrimonij quænam sint. Cap. CXLV.

SVnt autem Matrimonij bona, quibus illud ipsum honestatur, tria, scilicet Sacramentum ipsum, Fides, & Proles. Per Sacramentum quidem manet uinculum eius prorsus indissolubile, qualiscunq; fiat alter coniugum, siue adulter, siue sterilis, siue hæreticus. Per fidem verò excluditur à coniugali societate adulterium, & quicquid coniugem, vel comparem fraudare potest: Fides enim hoc loco accipitur pro fidelitate. Proles denique suscipienda, ac religiosè educanda Deo, est profectò honestus, uereque Christianus coniugij finis. *Bona Matrimonij quæ sint. c. quemadmodum, de iureiuran. Fides. Finis uerus Matrimonij.*

Virtus, & effectus Matrimonij qui sit. Cap. CXLVI.

SAnè effectus Matrimonij; secundum Hostiensem in Summa in titulo de Matrimonijs, §. quis sit effectus, numero 20. Est primò; quia dos est aliqua. Secundò, quia filij legitimi sunt in potestate: ex quo enim *Effectus Sacramenti Matrimonij quis. Hostien.*

enim contractum est Matrimonium legitimum, dos datur; & filij, qui nascuntur, fiunt in potestate contrahentium. Instit. de patria potestate. §. 2. Tertius est effectus, quod ex quo tenuit inter fideles semel contractum Matrimonium, nullatenus dissoluitur, nisi per mortem. vt Authen. de nupt. §. deinceps, col. 3. Quartus est matrimonii effectus, quod mulier non habet potestatem sui corporis, & econtra; nec alter altero inuito potest vitam mutare, nec ad religionem conuolare. cap. sunt qui dicunt, 27 q. 2. & c. commissum, de Sponsalibus. Quintus effectus est, quod vir cogitur reddere debitum, & sic Matrimonium consumare, licet affinitas superuenerit. Sextus est etiam effectus, ac tanta vis, ac virtus Matrimonij, dicit Alexander Papa; vt filij, qui antea sunt geniti; post contractum Matrimonium legitimi habeantur: Ecce ergo quanta sit vis Matrimonij, ut illegitimos faciat legitimos: Euenit enim aliquando, vt liberi, qui statim, vt nati sunt, in potestate parentum non fiant; postea autem redigantur in potestatem patris; qualis est is, qui à muliere libera procreatur, cuius Matrimonium minimè legibus interdictum fuerat; sed ad quam pater consuetudinem habebat, qua vxore ducta postea, ex Imperialibus cōstitutionibus in potestate patris efficitur. vt habetur Instit. de nup. §. finali.

Instit. de pat. pot. §. 2 Authen de nupt. §. deinceps. 1. Cor 7. c. sunt, 27. q. 2 c. commissum, de Spōsal. c. tāta, qui filij sint legit. Instit. de nup. §. vltimo.

DE VIRTVTIBVS CARDINALIBVS.
Virtutes Cardinales, quæ & quot sint.
Cap. CCLVII.

HOc loco, prius quam propositam quæstionem soluamus, cuidam tacitæ obiectioni respondendum esse existimaui: Roget enim aliquis: cur primo hic de Theologicis Virtutibus, postmodum de Cardinalibus non dicitur, seu disputatur? cui respondemus, quod cum nemo sine fide secundum Apostolum placere possit Deo: consequens est etiam, vt nemo de Domini sorte esse, aut Domini sortem habere possit sine fide: cum ergo fides sit fundamentum, secundum prædictum Apostolum, ex quo consurgere ad Domini sortem quemcunque fidelem oporteat, vt verè, ac realiter Domini sortem sortiatur, eademque potiatur: iccirco bene fuit nos tractasse primo omnium de fide; quam initiandum prima tonsura; vt clericus; id est, de Domini sorte expeditius ipse fiat, habere necessario oportet. Verum quoniam post Fidem subsequitur Spes, & Charitas, secundum enumerationem quam de illis facit Paulus, dicens: Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc ideo etiam fuit benè post Fidem, de Spe, & Charitate paulò post tractare, ac deinceps de nonnullis spectantibus ad scientiam eius, qui creandus est clericus. Meritò nunc ergo, (viso, & tractatu iam habito de Theologicis Virtutibus, scilicet, Fide, Spe, & Charitate) subsequitur, vt de Virtutibus Cardinalibus aliqua dicamus. Sunt igitur quatuor Virtutes Cardinales, nempe: Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia; quæ aliquando non solum Cardinales, sed & Politicæ vocantur, aliquando verò humanæ, aliquando

Author respondet cuidam tacitæ obiectioni. Hebra. 11. Clericus. 1. Cor. 13. Virtutes Cardinales sūt quatuor. Cur Cardinales dicātur, cur humanæ, & cur Politicæ, & consuetudinales.

autem

autem dicuntur consuetudinales: Dicuntur autem ideo Cardinales metaphoricè; quia sicut ostium vertitur in cardine; ita in his vertitur & regitur vita hominis: vel ideo Cardinales nuncupantur: quia sicut ostium versatur in cardine, ita omnes aliæ virtutes ad istas quatuor, vt species ad sua genera principaliter reducuntur. Vocantur etiam Politicæ, quia ordinatur in his vita ciuilis, & hominem poliunt, & ornant. Dicuntur etiam humanæ, quia humano studio acquiruntur, nisi diuinitus infundantur. Appellantur etiam consuetudinales, quia non ex uno actu, sed ex consuetudine nascuntur: uel quia honestas humana se magis exercitat in istis: sicut & Sanctorum deuotio se magis exercitat in uirtutibus Theologicis. *Nota.*

Quid sit vnaquaeque istarum virtutum. Cap. CXLVIII.

EST autem Prudentia, humanarum rerum, atque malarum utrarumque discretio.

Iustitia est Virtus, singula secundum iusti electionem æqua ratione diiudicans.

Fortitudo est, considerata periculorum susceptio, & diuturna laborum perpessio.

Temperantia est rationis dominium, in libidinem, & alios motus importunos: unde Prudentiæ est scire, quid possit. Temperantiæ est non præsumere, quod non possit. Iustitiæ est id uelle omnibus, quod æquum sit. Fortitudinis est uelle plus quam possit. Item prudentia rectificat Rationabilem, fortitudo Irascibilem, Temperantia Concupiscibilem, Iustitia uerò rectificat omnes virtutes, prout natura Iustitiæ comprehendit non solum specialem Iustitiam, quæ est in commutationibus, uel distributionibus; sed etiam legalem, quæ est omnis uirtus: prout eius actus pertinet ad debitum obedientiæ præceptorum: ipsa enim Iustitia generalis comprehendit uirtutes, ordinantes ad proximum; ut est Aequitas, & Liberalitas: & ordinantes ad se ipsum, sicut Innocentia, & Pœnitentia: & ordinantes ad Deum, sicut Latria, Pietas, & Obedientia. Ex quibus colligitur, quòd secundum Imperatorem Iustinianum; Iustitia suum unicuique tribuit, scilicet, Deitati cultum, & obedientiam, humanitati iura, scilicet, maiori reuerentiam, compari concordiam, minori disciplinam, sibi ipsi compunctionem, & pœnitentiam pro peccatis.

Diffinitiones prædictarũ Virtutum.

Officium Cardinalium Virtutum

Nota.

Per virtutes Cardinales anima rectificatur i suis viribus.

Nota, q Iustitia ordinat ad proximum, ad seipsum, ad Deum.

Insti. de iusti & iu. §. iustitia.

Nota.

Species Prudentiæ quæ, & quot sint. Cap. CXLIX.

PArtes autem Prudentiæ, seu species sunt tres, scilicet: Intellectus, siue intelligentia; quod idem est, quod ratio: Prudentia, & Memoria. Prima sic describitur; Intelligentia est per quam animus ad audiendum licita trahitur; vel Intelligentia est per quam animus prospicit, quæ sunt. Prouidentia verò est virtus, per quam aliquid videtur futurum, antequam factum sit: vel Prouidentia, seu ratio est contraria

Prudentiæ partes q et quot sint.

Intelligentia quid.

Prouidentia quid.

Digitized by Google

traria vitiorum cautela. Memoria est uirtus ad dimittendum vitia, virtutes recoléns: vel Memoria est, p quam repetit quis ea quæ fuerũt.

Memoria quid.

Species Iustitiæ quæ, & quot sint. Cap. CL.

AT Iustitiæ partes sunt sex, scilicet, Religio, Pietas, Gratia, Vindicatio, Obseruantia, Veritas. Religio est virtus, quæ superioris naturæ (quam diuinam vocant) curam, cęremoniamque affert. Pietas, est, per quam homo omni creaturæ se benignum ostẽdit: vel Pietas est, per quam coniunctis sanguine, & beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia est virtus, quæ Deo, & hominibus suum reddit amabilem possessorem: vel Gratia est, in qua amicitiarum, & officiorũ alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur. Vindicatio est virtus, per quam uis, & iniuria, & omne, quod obscurum est; defendẽdo, atque vlciscendo propulsatur. Obseruantia est virtus, quæ disponit hominem, ut impendat cuilibet reuerentiam, qualem debet; Vel est virtus, per quam homines aliqua dignitate antecellentes, cultu quodam, & honore dignantur. Veritas est uirtus, per quam immutata ea, quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.

Partes Iustitiæ quot, & quæ. Religio qd. Pietas qd. Gratia quid. Vindicatio quid. Obseruantia quid. Veritas quid.

Partes Fortitudines quænam sint. Cap. CLI.

FOrtitudinis partes sunt quatuor; Magnificentia; Fiducia; Patientia; & Perseuerantia. Magnificentia est magnarum, & excelsarum rerum cum ampla quadam animi propositione cogitatio, atque administratio. Fiducia est uirtus, per quam in magnis, & honestis rebus multum ipse animus cum certa spe fiduciæ in se collocauit. Patientia est honestatis & vtilitatis causa, rerum arduarum atque difficiliũ uoluntaria, & diuturna perpessio. Perseuerantia est uirtus, quæ facit hominem cum spe de bono in melius proficere. Vel est uirtus in ratione benè considerata stabilis, & perpetua permansio.

Fortitudinis partes q, et quot. Magnificẽtia quid. Fiducia quid. Patientia quid. Perseuerãtia quid.

Temperantię Species quæ, & quot. Cap. CLII.

TRiplicem quidem parit temperantia progeniem, scilicet; Continentiam, Clementiam, & Modestiam. Continentia est virtus, cohibens motus carnis illicitos. Vel est virtus, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur. Clementia est, per quam motus animi, in odium alicuius temeritate concitati, comitate, uel hilaritate retinentur. Vel est uirtus, per quam erga omnes ita nos habemus, quod de nobis nemo conqueri potest. Modestia est uirtus, per quam pudor honestus charam, & stabilem authoritatem cõparat.

Temperãtia partes quæ. Continentia quid.

Digitized by Google

DE DONIS SPIRITVSSANCTI.

Spiritussancti Dona quæ, & quot. Cap. CLIII.

LIcet omnes habitus dati diuinitus, possint dici generaliter dona Dei: specialiter tamen, & appropriatè septem sunt dona Spiritussancti, quæ per ordinem Isaias enumerauit, à summo incipiens vsque ad vltimum descendendo: Sunt enim hæc, scilicet: Donum sapientiæ, Donum intellectus, Donum Consilij: Donum fortitudinis, Donum scientiæ, Donum pietatis, Donum timoris. Primum donum dat nobis, quod adhibeamus illud ad studium, & scientiam diuinorum, & sacræ scripturæ. Secundum dat nobis, per quod aperitur nobis intelligentia eorum, quæ legimus in sacra scriptura. Tertium consilij donum dat nobis, per quod rectè eligimus viuere, & attingere regnum nobis promissum per Christum legiferum nostrum. Dat nobis quartum donum fortitudinis, per quod roboramur ad patiendum, & tolerandum aduersa propter Christum, & iustitiam, vt patet in Martyribus. Quintum dat nobis donum scientiæ, per quam discernimus nostra bona opera, & viuimus secundum præcepta. Sextum donum tribuit nobis: per quod cultum uerum, & latriam Deo tribuimus, & in rebus dubijs saniorem partem eligimus, & ei adhæremus. Septimum timoris dat nobis donum, per quod amore quodam filiali diuina mandata seruamus, atque præcepta, & Deum exacerbare, & ipsi displicere, omni conatu, & affectu cauemus.

Dona Spiritussancti quot. *Isai. II.* *Nota.*

Quare septem sint Spiritussancti dona. Cap. CLIIII.

SEptem igitur sunt dona multiplici ratione. Primò nempè, ut per hæc septem dona expellantur septem uitia, ita scilicet: ut timor expellat superbiam: pietas inuidiam: scientia iram, quæ est quasi quædam insania: fortitudo accidiam: Consilium auaritiam: sapientia luxuriam. Humilibus ergo, secundum Augustinum; congruit donum timoris: Mitibus congruit donum pietatis, Lugentibus congruit donum scientiæ: Esurientibus donum congruit fortitudinis. Misericordibus donum congruit consilij: Mundis corde congruit donum intellectus. Pacificis donum congruit sapientiæ. Dicuntur etiam esse septem dona propter regimen actiuæ, & contéplatiuæ uitæ. Contemplatiua si quidem tria dona debet habere, scilicet Timorem ad reuerentiam maiestatis: Intellectum ad intelligentiam ueritatis. Sapientiam ad gustum bonitatis. Actiua uerò uita debet habere Pietatem ad agendum: Fortitudinem ad sustinendum: Scientiam ad discretionem pietatis, Consilium ad discretionem fortitudinis.

Dona Spiritussancti cur sint septem. *Ira quid.* *Augusti. in homil. omniũ Sanct.* *Septẽ dona regunt actiuam & cõtẽplatiuã vitam.*

Donum

Donum timoris quidnam sit. Cap. CLV.

Timoris donum quid sit.
In compen. Theo. lib. 5 cap. 39.
Nota qui sint doni timoris fructus.

ENumeratis itaque Spiritussancti donis; consequens nunc est; vt vniuscuiusque doni diffinitionem proferamus: & quidem timoris donum est; secundum Theologos, fuga mali; vel est, secundum alios, fuga animi, ne perdat quod diligit. Istud timoris donum cum aduenit cordi nostro, docet nos præterita mala emendare, docet bona operari, conseruat hominem in bono, misericordiam meretur, confert prolongationem vitæ, & temporalium prouisionem, facit orationem exaudiri, gloriam æternam meretur: quæ omnia dicuntur fructus doni timoris, seu quos confert donum timoris.

Species timoris quot sint.

Timoris species quæ, & quot sint. Cap. CLVI.

Timor naturalis qd.
Timor humanus qd.
Timor mũdanus qd.
Timor seruilis quid.
Timor initialis quid.
Timor filialis quid sit.

PLanè species timoris sex esse referuntur, nempe, timor naturalis, timor humanus, timor mundanus, timor seruilis, timor initialis, & timor filialis. Timor naturalis est, quo quilibet naturaliter timet nocumentum naturæ. Timor humanus est, quo quis nimis timet pelli suæ; vel est, quo quis ex deliberatione tantum timet pœnam sui corporis. Timor mundanus est, quo quis timet omittere, quæ mundi sunt, seu suis rebus spoliari. Timor seruilis est, quo quis timet peccare principaliter propter pęnam, vel ne incurrat in pœnam gehennæ. Timor initialis est, quo quis timet gehennam, & offensam Dei: vnde quasi duos habet oculos, vnum ad gehennam, alium ad Deum, & hic est principalior. Timor filialis est, quo quis timet Dei offensam, vel separationem à Deo.

Quidnam sit vnumquodque sequens Spiritussancti donum, Pietatis, scilicet, Scientiæ, Fortitudinis, Consilij, Intellectus, & Sapientiæ. Cap. CLVII.

Diffinitio vniuscuiusque doni Spũssancti.
Donũ Pietatis quid.
Donũ Sciẽtiæ quid.
Donũ Fortitudinis quid.
Donũ Consilij quid.
Donum Intellect⁹ qd.
Donum Sapientiæ qd.

NVnc aliorum sequentium Spiritussancti donorum (facta iam primi doni, s. timoris, diffinitione) diffinitiones in mediũ afferamus; quarum quidem prima esse debet doni pietatis: & quidem pietatis donum est ex benignæ mentis dulcedine omnibus auxiliatrix affectio. Donum verò scientiæ est lumen spirituale, acceptum à Deo; in quo videntur rationes operabilium, pertinentium ad vitam, per quas sanctè, & meritoriè viuamus. Donũ fortitudinis est affectio animi, qua cupiditas terrena deprimitur, nullaque aduersitas formidatur. Donum consilij est lumen immissum à Spiritussancto, omnia dubia dissoluens, & indubitanter in aggressione arduorum dirigens, quæ Deus ad statum perfectionis pertinere propalauit. Donum intellectus est quoddam lumen spirituale infusum ad cognitionem Dei in creaturis. Donum denique sapientiæ est quoddam lumen, sub quo videntur, & gustantur diuina per experimentum.

De

De fructibus Spiritussancti.

FRuctus verò Spiritussancti ab Apostolo ad Gal. duodecim enumerantur, hoc est, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, & Castitas. *Fructus Spiritussancti qui. Galat. 5.*

Vtilitas fructuum Spiritussancti qua. Cap. CLVIII.

Fructuum Spiritussancti effectus

PRimus omnium fructuum Spiritussancti fructus est Charitas, quæ radix est omnium bonorum; per quā cætera prosunt bona, & quæ ipsa non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. Secundus fructus est Gaudium, hoc sanè præstans, vt homo spiritualis, alacriter lætanterque seruiat Deo. Tertius est Pax, quæ quidem eo spectat, vt in huius mundi procellis animi seruetur tranquillitas. Quartus verò Spiritussancti fructus est Patientia, quæ in duris ferendis est sita. Quintus est Longanimitas; quæ magnitudinem animi in futuris bonis expectandis declarat. Sextus fructus est Bonitas, quæ nulli nocet, sed benè vult omnibus. Septimus est Benignitas, inuitans ad familiaritatem, dulcis alloquio, moribus temperata. Octauus fructus est Mansuetudo, quæ omnes iræ motus sedat, & mitigat. Nonus fructus est Fides in proximum, vt fideles pactorum, ac promissorum obseruatores simus. Decimus fructus est, Modestia, quæ omnem fastus, & arrogantiæ adimit suspicionem. Vndecimus fructus est Continentia, qua non solum ab escis, sed etiam ab omni nequitia abstinemus. Duodecimus fructus demum est Castitas, quæ mentem castam in corpore casto conseruat.

Primus fructus. Secundus fructus. Tertius fructus. Quartus fructus. Quintus fructus. Sextus. Septimus. Octauus. Nonus. Nota. Decimus fructus. Vndecim⁹. Duodecimus.

DE OPERIBVS MISERICORDIAE.

Quot sint opera Misericordiæ. Cap. CLIX.

SAnè operum Misericordiæ appellatione, tum corporalia, tum spiritualia opera significantur: Corporalia sunt septem hoc est, Pascere esurientem, Potare sitientem, Hospitari peregrinos, Operire nudum, Visitare infirmum, Redimere captiuum, Sepelire defunctum. Quæ ideo opera misericordiæ corporalia nuncupantur, & dicta sunt; quoniam ad corporalem miseriam proximi subleuandam exercentur. Spiritualia verò opera sunt pariformiter in numero septem, quæ sunt: Peccantes corrigere; Ignorantes docere; Dubitantibus rectè consulere; Pro salute proximi Deum orare; Consolari mœstos; Iniurias illatas æquo animo ferre; Offensam remittere delinquentibus: quæ quidem opera misericordiæ spiritualia ideo dicta sunt; quod ad spiritualem proximi ægestatem releuandam referantur.

Operū misericordiæ tū corporalium, tum Spiritualiū enumeratio. Cur corporalia opera appellētur. Cur Spiritualia opera dicta sint.

Mise-

Digitized by Google

Misericordia quid sit. Cap. CLX.

Quid sit Misericordia. August.

SEd dicet hic aliquis: quid est Misericordia? cui respondemus, quod Misericordia; secundum Augustinum in libro nono de Ciuitate Dei; est alienæ miseriæ in corde nostro compassio: qua profectò, si possumus, subuenire compellimur. Vel Misericordia est tristitia de alienis malis. Vel est virtus, per quam animus noster super calamitate afflictorum mouetur.

Quisnam præcipiat exerceri erga proximum nostrum opera Misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia. Cap. CLXI.

Opera Misericordiæ exerceri Deum præcepisse constat. Isai. 58. Psal. 111.

HÆc autem Misericordiæ opera corporalia, atque etiam spiritualia erga proximum nostrum exercere, atque excolere nos docuit Deus, & Dominus noster Iesus Christus: Frange; dicit Dominus Isaiæ, esurienti panem tuum, & ægenos, vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Item Psaltes: Iucundus homo, qui miseretur, & cómodat, disponet sermones suos in iudicio, quia in æternum non commouebitur: Vir enim eleemosinarius non commouebitur in æternum, nec separabitur à præmio æterno, & à gloria cœlesti; quia gaudium suum nemo tollet ab eo. Et Christus Dominus. Quod vni (inquit) ex meis minimis fecistis, mihi fecistis: Venite ergo benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me, infirmus, & visitastis me, in carcere eram, & venistis ad me. De sex istus habemus in Euangelio, at de septimo opere habemus apud Tobiam, qui tollebat corpora mortuorum de platea, & sepeliebat ea, & derelinquebat prandium, & mortuos abscondebat in domo sua, & nocte sepeliebat eos. De spiritualibus item exercendis similiter dicit Christus, & Apostoli eius, pulchrè quidem, ac passim: Christus enim ait: Si peccauerit (loquens de primo omnium Misericordiæ spirituali opere) in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Item ait Paulus ad Timothæum. Peccantes coram omnibus argue. De secundo spirituali opere, quod est, vt doceamus ignorantes, sic fatur Daniel: Qui ad iustitiam erudiunt multos; fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates: & Paulus, Et si, inquit, præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lænitatis. De tertio Ecclesiasticus sic differit; Si tibi est intellectus, responde proximo, scilicet, dubitanti, & consilium petenti: sin autem sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris. Item Prouerb. Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici consilijs anima dulcoratur. De quarto, scilicet, vt oremus pro persequentibus, & calumniantibus, ait Christus

Matth. 25. Tobiæ 2. & 12. Matth. 18. 1. Timot. 5 Daniel. 12 Galat. 6. Ecclesi. 5. Nota. Prouer. 27

Dominus:

Digitized by Google

Dominus: Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus, &c. De quinto spirituali opere, quod monet, vt mæstos consolemur; dicit Paulus: Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt & ipsi possimus consolari eos, qui in omni præssura sunt per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo. De sexto, scilicet; vt iniurias illatas æquo animo feramus, sic pariter fatur Paulus: Debemus autem nos, firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere: & alibi: Supportantes inuicem, & alibi: Patientes estote ad omnes. De septimo, & vltimo misericordiæ spirituali opere, quod est, vt offensus remittat offensam delinquentibus, sic demum offensis loquitur Christus Dominus: Si dimiseritis, inquit, hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis, nec Pater cœlestis vester dimittet vobis peccata vestra. Porrò sicut offensus tenetur remittere offensam delinquenti: ita & offensor tenetur reconciliare sibi fratrem, quem offendit: unde idem Dominus: Si offers, inquit, munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & uade prius reconciliari fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum. Nouissimè nota quod de primis Misericordiæ operibus, hoc est, de corporalibus, datur iste Versus.

Matth. 5. Rom. 5. Colos. 3. 1. Thes. 5. Matth. 5. Nota. Matth. 5. Nota.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo. Versus.

De secundis, hoc est, de spiritualibus datur iste alter.

Consule, corrige, solare, Doce; Remitte, fer, ora. Versus.

DE OCTO BEATITVDINIBVS.

Quænam sint Euangelicæ legis Beatitudines. Cap. CLXII.

HÆ sanè sunt legis Euangelicæ Beatitudines; quas ore Sacro Christus Dominus noster discipulos suos docuit, dicens, scilicet, (Beatitudines quæ, & quot.)

1 Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
2 Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.
3 Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.
4 Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur.
5 Beati Misericordes; quoniam ipsi Misericordiam consequentur.
6 Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt.
7 Beati Pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur.
8 Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Vel sic easdem Beatitudines expeditius, ac breuius enumera, & erunt eædem cum primis iam enumeratis, licèt solum septem esse uideantur, dicens; Spiritus paupertas, Mititas, Luctus, Esuries iustitiæ, Misericordia; Munditia cordis;

Digitized by Google

Excluduntur p Beatitudines septe peccata capitalia. Pax per quas quidem septem beatitudines, septem vitia capitalia excluduntur. nam Paupertas spiritus excludit Superbiam; Mititas Iram; Luctus Inuidiam; (quoniam qui luget pro peccatis aliorum, non inuidet illis) Esuries iustitiæ Accidiam; Misericordia Auaritiam, Munditia cordis, Gulam; quia cordis munditia non seruit ad modum bruti animalis. Pax excludit Luxuriam, quia gustato spiritu, desipit omnis caro.

Quid sit beatitudo. *Cap.* CLXIII.

Beatitudo quid. VErum, si quis roget, quidnam sit Beatitudo, ei quidem respondemus; quod Beatitudo est status omnium bonorum, aggregatione perfectus. Vel Beatitudo est gratia non cuicunque; sed verè sapienti nota, faciens ad suauitatem conscientiæ propinqua gloria: vnde secundum Beatum Augustinum: *August.* ille Beatus est, qui omnia quæ vult, habet; nec aliquid vult, quod non decet.

Beatitudines Euangelicæ ad quid à nobis obseruari debeant. *Cap.* CLXIIII.

Beatitudinũ obseruãtia cur nobis præcipiatur. CÆterum aduertendum est, quòd, secundum Canisium; ideo octo prædictæ Beatitudines à nobis debent diligenter custodiri, ac obseruari: quoniam ipsæ Euangelicæ Beatitudines maxima pars quidem sunt legis Euangelicæ; quam Christus legifer noster in monte tradidit ore suo sacro, ad hoc quidem, vt consideremus omnes, quod *Esai 33. Matth. 5. 2. Timot. 4* Christiana iustitia vltra fidem aliud complectitur, & postulat, scilicet, Spiritus paupertatem, Mititatem, Luctum, Esuriem iustitiæ, Misericordiam, Munditiam cordis, ac Pacem: & vt etiam sciremus, quòd iustis corona iustitiæ (vt Paulus illam vocat) vel merces plena, æternaque non sine labore obuenit: vt benè Iacobus etiam hoc innuit, dicens: Beatus uir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

Compendiosa omnium octo Beatitudinum declaratio quæ sit. *Cap.* CLXV.

Breuis beatitudinum legis euangelicæ expositio. CIrca has octo legis Euangelicæ Beatitudines obserua primo omnium; quod ideo prima Beatitudo est Paupertas spiritus; quoniam, secundum Beatum Ambrosium; *Ambros.* Paupertas spiritus est parens quædam, generatioque virtutum: quia qui contempserit sæcularia, ipse merebitur sempiterna; nec potest quisque meritum regni cœlestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus emergendi non habet facultatem. *Paupertas spiritus qd.* Secundo obserua, quòd Paupertas spiritus hoc loco pro abstinentia ab amore mundi, i. ab amore carnalium voluptatum, & deliciarũ, ac propriæ excellentiæ, accipitur: *Amor mundi.* hæc enim tria complectitur amor mundi. *Mititas qd.* Tertio nota circa secũdam Beatitudinem, quod Mititas eadem est cum

Digitized by Google

est cum mansuetudine: mansuetus verò est, qui nullam amaritudinem animi sentit, secundum gloss. super Matth. ex quo patet, quod mansuetudo est purgati animi: & sic potest dici, quòd mansuetudo est species fortitudinis mediante patientia: Differunt tamen mansuetudo, & patientia, quoniam patientia est in sustinentià molestiarum corporalium, mansuetudo uerò in sustinentia contumeliarum. Obserua quarto, quod Luctus est lugere pro peccato, et ipsum odisse, ita quod insurgamus ad destructionem ipsius. Lugere autem de malo vt fugiamus ipsum, inquantum auertit ab amico, sic lugere est solius Charitatis. Lugere uerò de quolibet malo speciali, est cuiuslibet virtutis: quælibet enim virtus luget de suo contrario. Quinto obserua, quod esuries iustitiæ est uehemens desiderium iustitiæ, siue summi boni. Est autem esuries iustitiæ potius Beatitudo quàm esuries aliarum Virtutum Cardinalium; quoniam per iustitiam immediatè coniungimur Deo, quod non fit per alias virtutes Cardinales. Obserua sexto, quod Misericordia est per quam pro terrenis cœlestia meremur. Obserua septimo, quòd munditia cordis, est, qua clarificatur cor, & mundatur ad uidendum Deum, & ardentissimè eundem diligendum. Obserua octauo, quod Pax est status virtutum; in quo est delectatio in Deo sine contradictione carnis, mundi, & Diaboli, uel si aliqua alia est, inefficax est. Pacificis verò ideo magis attribuitur esse filios Dei, quàm alijs; quia licèt Misericordia maximè assimilet hominem Deo, quantum ad opera exteriora: tamen quantum ad interiora magis assimilat Pax. Obserua nono, quod octaua Beatitudo; quæ est; Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; dicitur redire ad caput, quia idem præmium sibi promittitur, quod primæ beatitudini, scilicet, regnum cœlorum: & nota, quod illi persecutionem patiuntur propter iustitiam, qui parati sunt superare mortem, & tentationem mortis; & ideo talium est regnum cœlorum, ideoque beati sunt.

Mansuetudinis et Patientia differentia notabilis. *Luctus est lugere pro peccato.* *Lugere de malo, & lugere de quolibet malo qui sit.* *Esuries iustitia quid.* *Misericordia quid.* *Munditia quid.* *Pax quid.* *Nota.* *Pacificis attribuitur esse filios Dei.*

DE SENSIBVS CORPORIS, SEV EXTERIORIBVS.

Sensus exteriores, seu sensus corporis quot, & quinam sint. Cap. CLXVI.

NVnc de sensibus corporeis, seu de sensibus, quos quidam sensus exteriores vocant, dicentes, quærimus quot, & quinam sint sensus corporales; Et quidem huiusmodi sensus sunt quinque, videlicet; Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, & Tactus: per quos; Hieremia attestante; tanquam per fenestras ingreditur ad animam peccatum, & per peccatum mors sæpenumero, nisi diligenti animaduersione cohibeantur, ne capiantur amore rerum vanissimarum. Vnusquisque enim dicitur habere; secundum Glossam in l. quod meo, §. finali; perfectam cognitionem secundum operationem, seu materiam subiectã,

Sensus corporis quot, & qui sint. *Hierem. 9.* *l. quod meo. ff de acqui. poss.*

Digitized by Google

& benè dicit Gloſſa: per ſenſum enim cognoſcimus particularia; per intellectum verò cognoſcimus uniuerſalia. Eſt enim ſenſus illa uis animæ, qua homo cognoſcit res corporeas præſentes.

Circa vſus ſenſuum qui peccetur. Cap. CLXVII.

VNde circa primum ſenſum dicimus, omnem aſpectum libidinoſum eſſe mortale peccatum, ſecundum quod dicit Dominus in Euangelio: Qui, inquit, uiderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo: nullum enim peccatum, inquit Auguſtinus, adeo eſt ueniale, quod non fiat mortale, dum placet. Vnde Iob uolens ſe ab huiuſmodi uiſus, aut aſpectus periculo præſeruare, pepigit fœdus cum oculis ſuis ut ne cogitaret quidem de uirgine; & Pſaltes ne incurreret illud idem peccatum; Auerte, inquit, oculos meos ne uideant uanitatem, puta aliqua ſpectacula turpia, choreas, hiſtriones, laſciuos, ioculatores, & huiuſmodi ad talem delectationem uel libidinem trahentes ſpectatores, ut in mortale corruant peccatum. At auditu peccamus, cum illicita, turpia, inhoneſta, obſcœnaque audimus cum delectatione: Qui enim ex Deo eſt, uerba Dei audit, non cantilenas, non comœdias, non amatoria uerſuum uerba, nec cantica lyræ obſcœna, nec ſaltatricis, aut amaſiæ uocem: & ideo dicit nobis Dominus: Videte, inquit, quid audiatis; quaſi dicat; videat omnis, ne vt Eua, ſerpentem audiat, ac lignum uetitum reſpiciat. Itaque Dei filium audire, in quo Dominus ſibi complacuit, ac verbum eius, debemus, ac deinde eius Prophetas, Apoſtolos, Prædicatoreſque ita, vt omnem intellectum noſtrum captiuemus in obſequium Domini noſtri Ieſu Chriſti. Odoratu item ita vti debemus; ut non modum in aliquo excedat, aut nimia delectatione ſe delectet in odoribus: nam ſi quis odorat, aut olfacit aliquid ſine neceſſitate, aut ſine vtilitate; ſed ſolum delectatione ſenſuali: uel etiam portans apud ſe odores; vel ſe abluens, uel lymphis, aut aquis, nimio odore fragrantibus ſe aſpergens; peccat quidem: quoniam ſupradicta concitant hominem ad luxuriam, quæ damnatur, ut mortale peccatum; cum maximè prædictorum talium odor, aut olfactus vſque ad operationem proſilit. Idem dic etiam de mulieribus, utentibus odoribus ad ſui concupiſcētiam extra Matrimonium, mortaliter agere creduntur communiter ab omnibus: idcirco dicit Dominus ipſis mulieribus: Auferam, inquit, murenulas, & olfactoria à uobis; & erit pro ſuaui odore fœtor. Guſtu uerò peccamus, ſi nimis comedimus, uel bibimus; uel ſi ob cibi dulcedinē comedimus, uel uinū pp guſtum bibimus, & non ad ſuſtentationem corporis. Tactu demum peccamus; ſi manu fidem dedimus eā violādo, ſi aliena rapimus, ſi clā aliquid abſtraximus, ſi aliquem percuſſimus, ſi pedibus ad perpetrandum malum ambulauimus: uel ſi libidinoſa delectatione aliquam, aliquemve, & non propter neceſſitatem, aut conſuetudinem, aut utilitatem, tetigimus: nam ſi ſolus conſenſus in delectatione mortalis eſt, multo fortius talis tactus. Nunc de ſpiritualibus ſenſibus ſubodoremus aliqua ſub breuitate.

Marginal notes: Matth. 5. / Auguſt. / Iob. 31. / Pſal. 118. / Auditus. / Ioan. 8. / Diſt. 37. c. ſacerdotes. / Amos. 5. / 2. Par. 9. / Mar. 4. / Geneſ. 3. / Matth. 3. / Luc. 11. / 2. Cor. 10. / Odoratus. / Iſai. 3. / Guſtus. / Tactus. / Nota.

DE

DE SENSIBVS SPIRITVALIBVS.

Spirituales sensus quot, & qui sint. Cap. CLXVIII.

SVnt autem sensus spirituales pari modo quinque, scilicet; Perceptio, Cogitatio, Conscientia, Subtilitas, Animositas: per quos quidem percipit anima spiritualia, quæ in sponsi sui pulchritudine percipere fas est. *Sensus spirituales qui sint. Anima percipit spiritualia.*

DE SEPTEM PECCATIS CAPITALIBVS, *Quæ communiter Mortalia appellantur.*

Quot, & quæ sint peccata mortalia. Cap. CLXIX.

AD hæc mortalia peccata, seu capitalia, septem esse dicimus; quæ ita enumerantur in libro, qui nuncupatur Officium Beatæ Mariæ Virginis à Sancta Matre Ecclesia, scilicet: Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, & Accidia: quæ dicuntur esse septiforme caput, seu capitalia, secundum Magistrum Sententiarum, quoniam ex eis, veluti capitibus ac fontibus, oriuntur omnia mala: nullum enim malum est, quod non trahat originem ab aliquo horum prædictorum. *Peccata mortalia septẽ esse dicuntur. lib. 2. dist. 43. Hæc 7 peccata cur capitalia nũcupẽtur*

Peccatum quid sit. Cap. CLXX.

DIffinitur autem peccatum ab Augustino in libro primo retractationum, cap. 15. & ab Ambrosio in libro de Paradiso, cap. 8. multis modis, & primo ab Augustino sic: Peccatum est voluntas, consequendi, quod iustitia vetat. Secundo sic ab eodem diffinitur, scilicet: Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Tertio sic ab Ambrosio: Peccatum est præuaricatio legis diuinæ & cœlestium inobedientia præceptorum. Quarto peccatum est spreto incommutabili bono, rebus mutabilibus adhærere. *Peccatum quid. August. Ambros.*

Quid sit peccatum secundum rem. Cap. CLXXI.

DE peccato quidem tenendum est, quod non est substantia, vel res aliqua; sed defectus, & corruptela; & dicitur peccatum nihil, propter tria; Primo propter defectum, quia peccatum non est aliqua res naturalis, sed corruptio boni. Secundo propter effectum, quia peccatum annihilat, & deficere facit à vero esse. Tertio propter despectum, quia vilem facit hominem, & indignum præmio. *Peccatum nihil ppter tria dicit. Nota.*

Digitized by Google

Quid sit peccatum secundum nomen. Cap. CLXXII.

Peccatũ dicitur macula. Reatus. Pollutio Delictum. Pœna. Culpa. Offensa. Prauaricatio. Vitium. Scelus. Nephas. Crimen.

PEccatum habet multa nomina: vocatur enim macula; quia imaginem animæ deformat. Item Reatus, quoniam ad pęnam ęternam obligat. Item dicitur pollutio, & hoc quantum ad contagionem contractam ex terrena delectatione. Item vocatur pœna, inquantum respicit peccatum primi hominis, in quo natura nostra corrupta fuit. Item delictum, secundum quod est recessus à dignitate gratiæ habitæ. Item vocatur culpa, prout respicit pœnam. Item offensa, & hoc quia contra Deum est. Item pręuaricatio, & hoc inquantum mandatum Dei respicit. Item vitium, idest, defectus bonorum naturalium. Item peccatum dicitur peruersitas, prout est conuersio ad bonum commutabile. Item uocatur scelus propter iniuriam Dei magnam. Item nefas, prout est illicitum personæ perpetranti. Item vocatur crimen, prout dignum accusatione, & pœna.

Effectus peccati quis sit. Cap. CLXXIII.

Mala quæ faciat homini peccatum. Nota bene. Genes. 1. Hierem 3. Prouer. 18 Genes. 8. 1.Reg. 31. Gene. 4. Peccatum ex alio nascitur. Abissus abyssum inuocat.

MVlta mala facit homini peccatum, ante mortem, in morte, & post mortem. Ante mortem hæc mala operatur. naturalia vulnerat, idest, intellectum, memoriam, ingenium, & huiusmodi, quæ per peccatum obtenebrantur, & uitiantur: gratuitis spoliat, idest virtutibus: animam maculat; ad pœnam æternam obligat; Genes.1. Quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Conscientiam amaricat; Ierem.3. Vide quam malum, & amarum est, te dereliquisse Deum tuum. Cor indurat, prouer.18. Peccator cum in profundum peccatorum uenerit, contemnit. Insensibilem reddit. Genes. 8. Visus est ei quasi ludens loqui. Animam occidit, quia uera uita, idest, Deo, priuat. 1.Reg.31. Saul irruit in gladium suum. Ad alia peccata trahit: exemplum habemus de Cayn, Genes.4. Qui egressus in agrum occidit fratrem suum Abel. Quod autem peccatum nascatur ex alio, sic apparet. Superbia enim quia vult omnes excellere; dolet, si aliquis ei æquetur, & sic ex ea nascitur inuidia. Inuidia uerò quia de facili irascitur ei, cui inuidet, & ideo ex ea nascitur Ira. Sed ira cum non potest se uindicare tristatur, & ideo ex ea nascitur Acedia. Acedia uerò consolationem quærens, facit auarum. Auaritia autem, quia in temporalibus abundat, potest magis exercere gulam. Gula uerò propter uentris repletionem de facili spumat in libidinem, & ita generat Luxuriam. Item peccatum bona quæ fiunt, infructuosa reddit, & quantũ ad meritum, & quantum ad præmium. Item peccatum ex homine infernum facit: quia in peccatore est ignis Auaritiæ, fætor Luxuriæ, tenebræ Ignorantiæ, uermis Conscientiæ, sitis Concupiscentiæ, & Dæmones propter effectum, & huiusmodi. Sequitur, quod peccatum in morte grauat hominem: quia in morte priuatur homo solatio uisibilium, quæ dilexit, scilicet, cibo, potu, amicis, rebus, lumine, requie,

In morte homo priuatur multis, propter peccatum.

&

Digitized by Google

& proprio corpore, quod nunquam in tali forma suscipiet, imo uellet non habere, sicut quando pro dimidia parte corrosum est a uermibus, quia stupebit anima peccatoris, quando corpus resumendum uidebit. Turbabitur peccator, quando uidebit in morte concursum Dæmonũ ad animam. Postremo uidendum est, qualiter peccatum præmat hominem post mortem. Confusionem habebit ex malorum operum denudatione: Num. 3. Reuelabo pudenda tua in facie tua, Exprobrationem Christi audiet in Iudicio. Matth. 5. Esuriui & non dedistis mihi manducare, & requie, & luce priuabitur. Matth. 22. ligatis manibus, & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores. Vnde non ualebit ei ille cantus: Requiem æternam &. Suffragijs Ecclesiæ non gaudebit. Isai. 66. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. In infernum præcipitabitur, ac à Deo, & electis, omnibusque bonis separabitur. Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. A statu pœnitendi cadet. Ierem. Transit æstas, finita est messis. omnis spes misericordiæ præcidetur. Isai. 30. Non remanebit testa, ut portetur igniculus, scilicet, charitatis de incendijs, aut hauriatur parum aquæ de fouea scilicet, diuinæ misericordiæ. Hæc & multa huiusmodi mala, & nocumenta eueniunt homini peccatori, quæ cum innumera esse comperiantur, ideo supradicta enarrata hic sufficiant.

Nota.
Num. 3.
Matth. 5.
Matth. 22
Isaia 66.
Matth. 25
Hierem.
Isaia. 30.

Quotuplex sit peccatum. *Cap.* CLXXIIII.

SEd aduertendum nobis est, quòd peccatum; ultrà ea, quæ de eo generatim supra diximus, est duplex, uidelicet, Originale, & Actuale. Originale peccatum est carentia originalis iustitiæ: uel peccatum originale est carentia debita Iustitię, per inobedientiam Adæ factum, quam comitatur carentia uisionis diuinæ: & dictum est Originale peccatum, quod à uitiosa nostra origine illud trahamus, uel quod sit originalis Iustitiæ priuatio, qua Deus Adamum primum nostrum parentem ordinauit, cum illum ipsum rectum, iustumque ad imaginem, similitudinemque suam condidit. At Actuale peccatum est, quod opere, uel omissione perpetratur. Vel peccatum Actuale est carentia propriæ Iustitiæ, causata per inobedientiam propriæ uoluntatis.

Peccatum quotuplex.
Actuale peccatum quid.

Quotuplex sit peccatum Actuale. *Cap.* CLXXV.

INsuper actuale peccatum est duplex, scilicet Veniale, & Mortale. Veniale peccatum est, quod hominem usque ad reatum perpetuæ mortis non grauat, sed pœnam meretur & facilè indulgetur. Vel Veniale peccatum est amor uoluptatis in creatura citrà Deum, uel præter legem Dei, non autem contrà. Mortale uerò peccatum est inobedientia mandatorum diuinorum, idest, dictum, factum, concupitum, contra legem Dei.

Actuale peccatum quotuplex.
Veniale quid.
Mortale peccatum quid.

Digitized by Google

Veniale peccatum quomodo mortale fieri possit. Cap. CLXXVI.

Peccatum veniale potest fieri mortale quatuor modis.

AMplius sciendum est, quod actus, qui ex se est de genere uenialis, potest fieri mortalis quatuor modis. Primo ex conscientia: quia quicquid fit contra conscientiam, ædificat ad Gehennam, etsi sit contra conscientiam erroneam: & hæc est ratio: quia cum in peccato duo sint, scilicet, auersio, & conuersio; penes primum iudicatur peccatum; quoniam auersio à Deo est quasi formale, & conuersio ad creaturam, est quasi materiale: quamuis ergo leuare festucam, uel calamum, de terra, uideatur esse leue; tamen quando fit contra conscientiam, peccatum est: quia spernitur bonum incommutabile, & ita fit auersio à creatore. Secundo ex complacentia; Vnde Augustinus, Nullum, inquit, peccatum adeo est ueniale, quod non fiat mortale, dum placet. Tertio ex dispositione: quia frequenter per lapsum in uenialia, disponitur homo ad mortalia; & hoc secundum illud Gregorij: Vitasti inquit, saxa grandia; uide, ne obruaris arena: & hoc ideò dicit: quia sæpè de minimis peccatis uenitur ad magna, sicut de modica scintilla quandoque surgit magnus ignis. Eccle, 19. Qui inquit, modica spernit, paulatim decidet. Quarto ex progressu, quia quando insurgit veniale, si non prohibetur, posset progredi usque ad mortale, non quia ipsum ueniale in substantia posset fieri mortale; sed quia ex ipso occasionaliter fieret progressus ad mortale.

In peccato duo sunt. Nota. Augusti. Gregor. Eccl. 19.

Rursus Peccatum duplex est. Cap. CLXXVII.

Peccatum rursus duplex. Iustitia q. bus cõstet. Psal. 33.

RVrsus vtrumque peccatum iam dictum duplex esse comperitur, commissionis, nempè, & omissionis: Iustitia enim duabus partibus constat: quæ sunt declinare à malo, & facere bonum: sicut scriptum est per Psaltem: Declina inquit, à malo, & fac bonum. Qui ergo deflectit ad malum, peccat commissione: qui verò omittit facere bonum, & præsertim, qui non præstat munia, & officia debita vocationis, & ministerij sui; peccat omissione.

Triplex rursus reperitur esse Peccatum. Cap. CLXXVII.

Iterum peccatum triplex esse cõperitur. Peccatum cordis. Peccatum oris. Peccatum operis.

ITem triplex esse peccatum demonstratur; nempe, peccatum cordis, peccatum oris, & peccatum operis. Cordis quidem peccatum est transgressio legis diuinæ per inordinationem intrinseci motus mentis. Oris uerò peccatum est transgressio legis diuinæ oris instrumento uel medio facta. Sed operis peccatum est transgressio legis diuinæ per inordinationem aliorum extrinsecorum motuum, & ex consuetudine. Nunc ad septiforme peccatorum Actualium caput redeamus, & de Superbia primò dicamus.

Quid

Digitized by Google

Quid sit Superbia. Cap. CLXXVIII.

SCiendum nobis est antequam ad Superbiæ diffinitionem deuenia- mus, quod peccatorum Actualium mortalium vnum est initiũ; duplex radix; triplex fomentum; septiforme caput. Vnum initium dicitur Superbia; iuxta illud; Initium omnis peccati Superbia. Duplex verò radix est, scilicet, timor malè humilians, & amor malè accedens: omnis autem timor ortum habet ab amore: nullus enim timet aliquid perdere, nisi quia amat illud habere. Triplex peccati fomentum, sunt tria, quæ sunt in mundo, scilicet Concupiscentia oculorum, Concupiscentia carnis, & Superbia vitæ. At septiforme caput: sunt Superbia, Inuidia, Auaritia, Gula, Ira, Luxuria, & Accidia. De hoc ergo Septiformi capite differere uolentes, ab initio auspicandum esse uidetur congruum, & commodum, ab ipsa Superbia, quę est Regina omnium vitiorum, & Mater. Est igitur Superbia peruersæ celsitudinis appetitus. Vel Superbia est animi tumor, quo Deus contemnitur, proximus despicitur: & proprio appetitui super rationem obtemperatur. Sed Inuidia est odium felicitatis alienæ. Vel Inuidia est tristitia de bono alterius. Auaritia uerò est immoderatus amor habendi. Vel Auaritia est quarumlibet rerum insatiabilis, & inhonesta cupido. Gula uerò est immoderata cibi auiditas. Vel Gula est uorax edacitas naturæ finibus non contenta. Ira uerò est ulciscendi libido. Vel est immoderata cupiditas puniendi eum, à quo læsum se quis arbitratur. Luxuria est incontinentia corporis ex pruritu libidinis nascens. Vel est inordinatus appetitus rei Venereæ. Demum Accidia est langor animi immoderatus, & nimia desidia ad benè operandum; vel Accidia est quoddam tedium benè operandi.

Peccator. actualium unũ est initium, et duplex radix. Eccl. 10. Timor ab amore procedit. Triplex fomentũ peccati. Septiforme caput. Superbia est omniũ uitiorũ mater. Inuidia quid sit. Auaritia quid. Gula qd. Ira quid. Luxuria quid. Accidia quid.

Species Superbiæ quænam sint. Cap. CLXXIX.

LIcèt de speciebus Superbiæ, diuersi diuersa dicant, ac diuersimodè ab eisdem enumerentur: quatuor tamen tantum eas esse propono hic, adhærens dictis Theologorum, sic determinantium in libro aureo illo, qui Theologicæ veritatis Compendium nuncupatur. ij enim inquiunt: quatuor sunt Species Superbiæ. Prima est, cum homo à seipso æstimat se habere bonum, quod habet. Secunda est, si desuper sibi datum credit, & pro suis meritis accepisse se putat. Tertia est, cum iactat se habere bonum, quod non habet. Quarta est, quando cæteris despectis, singulariter vult videri.

Species Superbiæ quatuor.

Rami, seu filiæ Inuidiæ quæ, & quot. Cap. CLXXX.

INuidia; secundum Gregorium Magnum, in libro trigesimo primo Moralium, cap. 31. habet quinque filias. Prima est odium, quod est uelle malum alicui, & nolle bonum. Secunda est exultatio in ad-

Inuidia filia quinq. Greg. Magnus li. 31. Mor. c. 31.

Digitized by Google

uersis proximi. Tertia est afflictio in prosperis proximi. Quarta est susurratio, quæ est detractio latens. Quinta est detractio, & hæc fit in aperto, quia intendit melior apparere illo qui detrahit.

Auaritiæ quæ, & quot sint filiæ. Cap. CLXXXI.

Auaritiæ filiæ septem. Obduratio. Violentia. Inquietudo. Periurium. Fallacia. Fraus. Proditio.

ITem filiæ Auaritiæ sunt septem, secundum prædictum Beatum Gregorium ibidem. Prima est obduratio cordis, quæ fit omittendo eleemosynam. Secunda est violentia, hæc fit nocendo alicui palàm per facta mala, quam uocat Isidorus rapacitatem. Tertia inquietudo, hæc est appetitus lucri. Quarta est periurium, quod sæpè incidit in emptionem, & venditionem. Quinta est fallacia, quæ fit per uerba decipientis in occulto. Sexta est fraus, hæc est deceptio perfecta, & hoc in præsentia illius, qui decipitur. Septima est Proditio, quæ est idem, quod deceptio, quæ fit in absentia decepti.

Filiæ Gulæ quæ, & quot. Cap. CLXXXII.

Filiæ gulæ quinque. Scurrilitas. Multiloquium. Inepta lætitia. Immunditia. Hebetudo mentis.

POrrò filiæ Gulæ sunt & ipsæ quinque. Prima est Scurrilitas: quia Gula mouet ad verba scurrilia: per gulam enim homo se habet inordinatè ad exteriores actus ad modum ioculatoris. Secunda est Multiloquium, scilicet, detractio, vituperia, & alia verba inania. Tertia est Inepta lætitia, idest, lasciuia carnis, siue gestus corporis inordinatus, lasciuiam mentis demonstrans. Quarta est Immunditia, quæ solet prouenire ex gula, vt est vomitus & eructationes fœtidæ, ac luxuria. Quinta est hæbetudo mentis, idest, subuersio rationis.

Filiæ Iræ quæ, & quot sint. Cap. CLXXXIII.

Filiæ Iræ sunt sex. Rixa siue audax uoluntas. Timor mentis. Cōtumelia. Clamor. Indignatio. Blasphem.

AMplius filiæ iræ sex esse notantur, quarum prima est Rixa, hæc est audax voluntas vindicandi iniuriā factam per se. Secunda est, tumor mentis, hæc est voluntas vindicandi causa fugiens aduersarium, ne cum eo colloquium habeatur propter æstimatas inimicitias. Tertia est Contumelia, quæ est voluntas, se vindicans per exprobrationem malorum. Quarta est Clamor, quæ est voluntas se vindicans in exaltando vocem per vituperium exprobratum, & ad aliorum aures perueniens. Quinta est Indignatio, quæ est uoluntas se uindicans per signum molestiæ, exterius declaratum. Sexta est Blasphemia, quę est voluntas, se uindicans per opprobrium Deo, vel Sanctis illatum.

Luxuriæ species, seu differentiæ quæ, & quot sint. Cap. CLXXXIIII.

Differētiæ Luxuriæ octo. Fornicatio. Meretricium.

AT differentiæ Luxuriæ sunt octo; Prima est Fornicatio, quæ est soluti cum soluta. Secunda est Meretricium, quod fit dupliciter, scilicet, per uagam libidinem cum diuersis peccando; uel cum publice

Digitized by Google

publice venali concubando. Tertia est Adulterium, quo coniugalis thorus vitiatur. Quarta est Stuprum, seu defloratio, quo, quaue virginalis integritas corrumpitur. Quinta est Sacrilegium, quo continentia Deo dicata læditur, vt in clericis, & religiosis Sacris Ordinibus sublimatis, & his, qui emiserunt votum continentiæ. Sexta est Incestus, quo vinculum consanguinitatis, uel affinitatis, vel compaternitatis corrumpitur. Septima est peccatum contra naturam, siue Sodomia, quo naturalis vsus peruertitur; quia semen effunditur extrà locum ad hoc deputatum. Octaua est libidinosus coitus, coniugalis, qui multipliciter accipitur; coitus enim cõiugalis aut licitus est, aut fragilis, aut impetuosus. Licitus est, quando fit causa prolis, vel ad ampliãdum cultum Dei, vel causa reddendi debitum, vel causa vitandi fornicationem non in se, sed in coniuge; & in istis supradictis modis nullum dicitur peccatum esse. Fragilis est, quando fit causa delectationis; & tunc distinguitur: quia si amor illius delectationis præponitur Deo, mortale peccatum est, si verò postponitur, veniale. Impetuosus coitus est, qui ex sola libidine proueniens, metas honestatis, & rationis transcendit, qualis est qui causa satiandæ libidinis per meretricias blanditias exercetur. Secundo cum fit contra naturalem modum. Tertio cum fit tempore prohibito. Quarto quando acceditur ad mulierem prægnantem, & vicinam partui, vel quæ est in fluxu menstruo.

Adulteriũ. Stuprum. Sacrilegiũ. Incestus. Contra naturam. Libidinosus coitus coniugalis. Licitus coitus. Nota. Fragilis coitus. Impetuosus coitus, qui fit quatuor modis.

Filiæ Luxuriæ quæ, & quot sint. Cap. CLXXXV.

Luxuriæ filia octo. Gregorius lib. 31. Moral. c. 31. August. Cæcitas mentis. Inconsideratio. Inconstantia. Amor sui. Præcipitatio. Odiũ Dei. Affectus præsentis sæculi. Desperatio futuri sæculi.

SEd Filiæ Luxuriæ sunt Octo, secundum Beatum Gregorium in præallegato libro trigesimoprimo Moralium, cap. 31. Prima est Cæcitas mentis; quia secundum Augustinum; in opere Luxuriæ tota ratio absorbetur. Secunda est Inconsideratio mortis, scilicet, & inferni. Tertia est Inconstantia, scilicet, ad cogitandum desiderandumque nunc istud, siue illud. Quarta est Amor sui, scilicet, quo aliquis desiderat longam vitam, ad hoc, vt expleat voluptatem suam. Quinta est Præcipitatio, qua quis præcipitanter recurrit ad peccandum, exponens se periculo mortis propter Luxuriam faciẽdam. Sexta est Odiũ Dei; quia Deus abstrahit se ab eis, & punit eos, qui sequuntur carnis delicias, ad quas inclinat Luxuria. Septima est Affectus præsentis sæculi, scilicet, appetitus bonorum, diuitiarum, sanitatis, fortitudinis, & huiusmodi; per quæ luxuriosus finem suum consequitur. Octaua est Desperatio futuri sæculi; quæ est diffidentia gloriæ, vel veniæ consequendæ, & hæc est filia Luxuriæ consumatæ.

Accidiæ Filiæ quæ, & quot sint. Cap. CLXXXVI.

Accidiæ filia sex. Malitia. Desperatio.

ACcidiam demum habere sex filias dicit idem Gregorius in præcitato loco. Prima uocatur Malitia, quæ est uoluntas machinandi malum alicui: cum enim quis iniuriatur alij, tunc irascitur, & postea tristatur. Secunda est Desperatio; quia diffidentia meritorum,

mater

mater est diffidentiæ præmiorum, ex qua iterum oritur tristitia. Tertia est Pusillanimitas, quæ nascitur ex diffidentia, proueniente ex consideratione propriæ infirmitatis, uel operis arduitatis. Quarta est Rancor, qui est inueteratum odiū. Quinta est Torpor circa præcepta, idest, quædam insuasibilitas; propter quam homo non potest induci ad executionem mandatorum Dei. Sexta est Euagatio mentis circa illicita.

Pusillanimitas. Rancor. Torpor. Euagatio mentis.

Prædicta septem vitia capitalia cuinam comparentur.
Cap. CLXXXVII.

ADuertendum est, quòd septem prædicta uitia capitalia, comparantur septem bestijs. Superbia enim comparatur Leoni, Inuidia Cani, Ira Lupo, Accidia Asino, Auaritia Eritio, Gula Vrso, Luxuria Porco. Alio modo comparantur septem infirmitatibus. Superbia comparatur Inflationi. Inuidia Lepræ. Ira Frenesi. Accidia Lethargię. Auaritia Hydropisi. Gula Epilepsiæ. Luxuria Febri.

Septē vitiorum capitaliū Comparatio. Alia Comparatio.

Supradicta septem vitia quomodo curentur passione Christi.
Cap. CLXXXVIII.

SEd prædicta septem uitia Christi passione curantur. nam capitis Christi inclinatio in cruce curat Superbiam. Oratio pro inimicis Iram. Apertio lateris Inuidiam. Portatio crucis Accidiam. Traditio spiritus Patri, corporis cruci, matris discipulo, uestium crucifixoribus, hæc curant Auaritiam. Flagellatio Luxuriam. Potatio fellis Gulam.

Septem vitia capitalia Christi passione curantur, & quomodo. Ioan. 19. Luc. 23.

Quænam sint virtutes contra septem antedicta mortalia peccata.
Cap. CLXXXIX.

AD euitanda item iam sæpè dicta peccata mortalia; has septem uirtutes; quæ præmemoratis capitalibus vitijs opponuntur, summo quidem studio & amore, si vitam animæ quęrimus; consectari nos oportet, nempe: Humilitatem, quę est contra Superbiam; Patientiā, quę est contra Iram; Amorem proximi qui est contra Inuidiam; Largitatē, quę est contra Auaritiam; Abstinentiam, quæ est contra Gulam; Castitatem, quæ est contra Luxuriam. Sed virtutes delentes peccata sunt quatuor, scilicet, Pœnitentia, Ecclesiarum Visitatio, Indulgentia, Confessio. Restat modò, vt aliqua de peccatis Alienis, ac de peccatis clamantibus in cœlum, necnon & de peccatis in Spiritumsanctum, dicamus, ac disseramus, in primis quærentes sic.

Septē virtutes cōtra septem peccata mortalia. Virtutes delētes peccata sunt quatuor. Ad tria alia peccatorū genera transit Author.

Peccata aliena quæ, & quotnam sint. *Cap. CXC.*

PRæterea aduertendum nobis, quòd vltra Originale, Veniale, ac Mortale peccatum, comperiuntur quædam alia peccata, quæ peccata

Aliena peccata q̄ sint, & quot.

Digitized by Google

cata aliena à nostris maioribus nuncupata fuerunt, eo quod manibus alienis, seu opera aliena perficiantur: vel quod sint cum aliena persona, & non cum propria facta: quæ licèt non nostra sint propria maleficia: nobis tamen imputantur, nostrasq; conscientias coram Deo reas damnationis constituunt, ut quando verbi gratia causam efficacem furto, rapineve, aut alicui uiolentæ usurpationi dederimus, aut damnificationi: tunc in solidum ad satisfactionem, ac restitutionem tenemur, quod & suprà in septimo decalogi præcepto dictum fuit. Itaque prædicta aliena peccata istis infrascriptis uersibus, seu uerbis, continentur, scilicet: *Nota.* *Suprà cap. 46.*

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus;
Participans, Mutus, non obstans, non manifestans.

Quorum uersuum, uerborumve expositio; cum suprà diligenti elucidatione iam facta sit; ideo non est quod hic plura circa eam absumamus uerba: aliqua tamen hic etiam quæ huiusmodi nouem peccata aliena concernunt non obticenda censui: & breuibus agendo, capio primum uerbum illorum nouem uerborum, quod est: Iussio, & dico, quod ille, qui iussit furari, aut aliud quippiam mali committi, tenetur ad restitutionem totius: quando ex sua iussione secuta est præda, uel nomine suo facta, ratam habuit, aliàs non. Consilium, hoc est, intelligendum, quando ex hoc probabiliter creditur damnum secutum esse. Consensus, scilicet, cooperationis: si enim non cooperetur; quia sine eo fuisset factum, restituet quantum nocuit per se, uel suos; aut quantum habuit, uel expẽdit de rebus ablatis. Palpo, id est, adulator, laudãs raptores; quia ex hoc in solidum tenetur; quia non oportet laudando augere malitiam, ff. de ser. corrup. l. 1. §. persuadere. Recursus, id est, Receptator, qui etiam in solidum tenetur, C. & ff. de receptatoribus. Participans, idest, in crimine, sociando eos. Mutus, idest, qui uidet furtum fieri, & dolosè tacet, cum posset impedire: hic tamen non tenetur restituere, nisi ex officio ad hoc teneatur. Non obstans, idest, qui posset obstare, & non obstat; & de isto dictum est de muto. Non manifestans, idest, qui scit, ubi res furtiua est, uel rapta; nec indicat etiam cum de hoc interrogatur. *Iussio.* *Consilium.* *Consensus.* *Palpo.* *Recursus.* *Participãs* *Mutus.* *Nõ obstãs.* *Non manifestans.*

Peccata clamantia in cælum quæ, & quot sint. *Cap. CXCI.*

Peccata quatuor sunt clamãtia in cęlũ.

Est & aliud genus peccatorum, quod uócatur peccatum clamans in cęlum; quod quadruplex esse inuenitur. Primum est homicidium voluntarium. Secundum est peccatum Sodomiticum. Tertium est Oppressio pauperum. Quartum est Merces operariorum defraudata. De Primo dicit Deus ad Cayn homicidam. Quid fecisti? inquit; Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: nũc igitur maledictus eris sup terrã. De Secũdo dicitur Genes. 18. Clamor Sodomorũ, & Gomorrhęorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. De *Genes. 4.* *Genes. 18*

Tertio

Exod. 22. Tertio dicitur Exod. 22. Si læseritis eos, uociferabuntur ad me, & ego
Isai. 10. exaudiam eos. Et alibi Dominus per Isaiam dicit: Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes, & cum facerent causæ humilium populi mei. De
Iacob. 5. Quarto, ac ultimo dicit Apostolus, Iacobus, Ecce merces, ait, operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à uobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit. Et alibi.
Eccles. 34. Panis egentium, ait, uita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinis est.

DE PECCATO IN SPIRITVMSANCTVM.

Peccatum in Spiritumsanctum quid sit. Cap. CXCII.

Peccatum quando dicatur i Patrẽ, et quãdo in Filiũ, & quando etiã in Spiritũsanctum.

QVamuis generaliter omne peccatum sit contra Deum trinum, & unum: appropriatè tamen dicitur aliquod peccatum esse in Patrem, aliud in Filium, aliud in Spiritumsanctum. In Patrem enim peccatur ex impotentia, in filium ex ignorantia, in Spiritumsanctum ex malitia; hoc est, quando uoluntas potest, & scit resistere alicui malo, & tamen ex sola malitia illud eligit. Peccatum ergo in Spiritumsanctum est oblatam Dei munificentiam, quæ Spiritui sancto tanquam fonti bonorum tribui peculiariter solet, ex malitia contemptim abijcere.

Magister lib. 2. dist. 43.

Nota.

Peccatum in Spiritumsanctum quomodo irremissibile dicatur, & quare. Cap. CXCIII.

Quomodo irremissibile, & quare.

Matth. 12

DIcit Dominus in Euangelio, quod omne peccatum, & blasphemia remittitur hominibus; Spiritus autem blasphemia nõ remittitur: & quicunque dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritumsanctum, non remittetur ei, neq; in hoc, neque in futuro sæculo. Vnde peccatum hoc in Spiritumsanctum dicitur irremissibile in hoc sæculo, & in futuro, non quia dimitti nõ possit: sed quia raro, aut uix dimittitur in hoc sæculo, quãtum ad culpam, aut in futuro, quantum ad pœnam. Item quia non legitur dimissum, propter quod dicitur irremissibile: sicut Melchisedech dicitur sine patre, quia non legitur de eius patre. Item qui aduersatur fonti, ut dictum est, remissionis, scilicet, Spiritui sancto. Item propter impotentiam hominis: quia uix potest se preparare ad gratiam, quem tanta moles peccati premit.

Aliæ rationes quare peccatũ in Spiritũsanctum dicatur irremissibile.

Species

Species peccati in Spiritum sanctum quæ, & quot sint. *Cap. CXCIIII.*

HVius autem peccati in Spiritum sanctum sex sunt species; secundum omnes Theologos; quarum Prima est Desperatio. Secunda est Præsumptio. Tertia impugnatio ueritatis agnitæ. Quarta est Inuidẽtia Charitatis fraternæ. Quinta est Obstinatio. Sexta est finalis impœnitentia. Vel sic, & significantius dic, & eas enumera.

Species peccati in Spiritum sanctum quot sint.

Magister Sent. lib. 2. dist. 43.

1 De gratia Dei, uel salute sua prorsus desperare.
2 Diuina misericordia confidenter abuti.
3 Veritatem religionis aduersus suam ipsius conscientiam hostiliter oppugnare.
4 Pertinaci inuidia concitari grauiter ob alienæ salutis, & uirtutum fraternarum successum.
5 Obstinato, seu obfirmato animo in crimine scienter persistere.
6 Absque pœnitentiæ proposito peruersæ uitæ finem nullum facere.

Est enim Desperatio, quando homo ex falsa æstimatione propter peccata quæ fecit, uel bona, quæ omisit; desperat de Dei misericordia, credens Deum nolle, uel non posse sibi parcere, uel ipsum in gratiam recipere. Præsumptio uerò est, qua quis talem se existimat; quòd Deus eum, etiam peccantem non excludet à sua gratia; uel non puniet; & sic paruipendit diuinam iustitiam. Impugnatio item Veritatis est, quando ueritatem fidei agnitam impugnat, ut licentius peccet. At Inuidentia charitatis fraternæ est, quando quis non solum inuidet personæ fratris, sed etiam inuidet gratiæ Dei crescenti in mundo. Verum Obstinatio est, quando quis firmat propositum suum in hoc, quod peccato hæreat. Demum finalis impœnitentia est quędam peccati circunstantia, quæ significat propositum non pœnitendi. Nunc de peccatis cordis, oris, operis, & omissionis similiter aliqua in medium afferamus; dicentes, quæ sint peccata quæ corde, ore, opere, necnon & omissione perpetrantur.

Desperatio quid sit.

Presũptio quid.

Impugnatio ueritatis agnita quid.

Inuidẽtia charitatis fraterna quid.

Obstinatio quid.

Finalis impenitentia quid.

De aliis quatuor generibus peccatorum.

De peccatis cordis, hoc est, quæ sint peccata cordis. *Cap. CXCV.*

PEccata cordis sunt hæc: Cogitatio, Delectatio, Consensus Desiderium mali, Voluntas peruersa, Infidelitas, Indeuotio, Præsumptio, Desperatio, Timor male humilians, Amor male accedens, Suspicio, Ira, Inuidia, Odium, Exultatio in aduersis proximi, Personarum acceptio, Perfidia, Affectus parentum carnalis, Inepta lætitia, Sæculi tristitia, Impatientia, Auaritia, Superbia, Perplexitas, Obstinatio mali, Tædium boni, Accidia, Inconstantia, Pœna pœnitentię, Dolor, quia non fecit plus malum, Hypocrisis, Amor placendi, Verecundia de bo

Peccata cordis quæ sint.

Nota bene omnia.

no

Digitized by Google

no opere, Amor priuatus, Sensus singularis, Ambitio dignitatum, Vana gloria de bonis naturæ, uel fortunæ, uel gratię, Verecundia de pauperibus amicis, contemptus admonitionum, Immisericordia.

Oris peccata quæ sint. Cap. CXCVI.

Peccata oris quæ. Nota bene omnia.

PEccata oris hæc sunt: Crebra iuratio, Periurium, Blasphemia, Nomen Dei irreuerenter assumere, Veritatem impugnare, De mendacio, & uanis alios instruere, Contra Deum murmurare, Irreuerenter horas dicere, Detractio, Adulatio, Mendacium, Vituperium, Maledictio, Infamatio, Contentio, Comminatio, Impugnatio Veritatis agnitæ, Impugnatio charitatis fraternæ, Seminatio discordiæ, Proditio, Falsum testimonium, Mala consilia, Derisio, Contradictio obedientiæ, Inuertere facta bona Ecclesijs, Placitare, Ad iram hominem prouocare, Repręhendere proximum in aliquo, quod ipse faciat, Vaniloquium, Stultiloquium, Proferre uerba otiosa, uel superflua, uel curiosa, & Iactantia, Verborum politio, Peccatorum defensio, Clamor, Risus, Cachinnus, Turpiloquium, Lenocinium, Cantare cantilenas sæculares, In cantu diuino magis studere uocem frangere, quàm deuotè psallere, Murmurare, Verba scurrilia proferre, In iniusta causa aduocare, Malum commendare.

Peccata operis quæ nam sint. Cap. CXCVII.

Peccata operis quæ sint. Nota bene.

SEd peccata operis sunt hęc: Gula, Luxuria, Simonia, Sortilegium, Violatio dierum solennium, Sacrilegium, Indignè communicare, Votorum fractio, Apostasia, Dissolutio in diuino officio, Scandalizare suo malo exemplo proximum, & corrumpere, Lędere hominem, uel in rebus, uel in persona, uel in fama, Furtum, Rapina, Vsura, Deceptio, Ludus, Venditio iustitiæ, Exactio indebita, Telonia iniusta, Auscultare mala, Iocolatoribus dare, Necessaria sibi subtrahere, superflua sumere, Vltra uires proprias quicquam aggredi, Consuetudo peccandi, Recidiuatio, Simulatio, Tenere officium, ad quod non sufficit, uel quod sine peccato non agitur, Choreizare, Nouitatem inuenire, Maioribus rebellare, Minores opprimere, Delinquere Visu, Auditu, Odoratu, Gustu, & Tactu, Lucta, Osculis, Muneribus, Itineribus, Nutibus, Mendacijs, Scripturis, Circunstantias aggrauantes in confitendo omittere, quæ sunt tempus, locus, modus, numerus, persona, mora, scientia, ętas; Tentationem præuenire, seipsum ad peccatum cogere.

Circunstātia aggrauantes peccata quæ.

Peccata

Digitized by Google

Peccata omissionis quæ sint. Cap. CXCVIII.

PEccata denique omissionis sunt hæc: De Deo non cogitare, Ipsum non timere, vel amare, Gratias de beneficiis non agere, opera, quæ quis facit ad ipsum non referre, De peccatis, sicut debet non dolere, Ad gratiam recipiendam se non præparare, Gratia accepta non vti, nec eam seruare, Ad inspirationem diuinam se non conuertere, voluntatem suam voluntati Diuinæ non conformare, Ad orationes dicendas non attendere, Orationes debitas omittere, ea, ad quæ tenetur ex uoto, uel præcepto, uel officio, negligere, Communionem, & confessionem semel in anno non expedire, Parentes non honorare, Seipsum non recognoscere, & reprehendere, Conscientiam negligere, Ecclesias, & prædicationes fugere Tentationibus non resistere, Pœnitentias iniunctas negligere, aut negligenter facere, Et quæ statim facienda sunt differre, Bonis proximi non gaudere, & malis non condolere, Iniurias non remittere, fidem proximo non seruare, & beneficiis non respondere, Delinquentes non corripere, Lites non sedare, Ignorantes non instruere, Afflictos non consolari, Admonitionibus non acquiescere. Nunc demum referamus aliquid de hominis nouissimis, quærentes, quæ dicantur esse hominis nouissima.

Peccata omissionis quæ. Nota.

Transitio ad hominis nouissima.

DE QVATVOR HOMINIS NOVISSIMIS.

Nouissima hominis quæ, & quotnam sint. Cap. CXCIX.

NOuissimo loco admonendi sumus, quòd quatuor sunt, quæ homo semper memorare, ac in iis meditari debet, quę quidem sunt, videlicet: Mors, Iudicium, Infernus, & Regnum cœlorum. Vel sunt dies obitus, Dies extremi iudicii, Infernus, uel damnatio æterni supplicii, Regnum cœlorum, uel beatitudo regni futuri. Quæ sanè quatuor supradicta ideo dicta sunt hominis nouissima: quoniam inter cætera omnia quæ homini accidere possunt extremum, ultimumque locum sibi uendicant. Mors enim est ultima rerum linea: post mortem uerò sequitur Iudicium: statutum siquidem est omnibus, inquit Paulus, semel mori: post hoc autem Iudicium. Sed alii iudicantur, quos in mortali peccato mors opprimit, ut pœnis ad inferos addicantur: Alii uero iudicantur, quos ex hac uita migrantes ornat nuptialis illa uestis charitas; vt uita in cœlesti regno perbeata perfruantur, & hoc est quod Euangelica ueritas asserit; procedent, inquit, qui bona egerunt in uitam æternam: qui verò mala, in supplicium æternum. Tractatus primus, seu liber, finit fæliciter.

Hominis nouissima, quæ sint, & quot.

Mors.

Iudicium.

Matth. 25.

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMARIA SINGVLORVM CAPITVLORVM SECVNDI TRACTATVS.

1 *Ostiariatus Ordo quid sit.*
2 *Ostiariatus Ordo an sit artificium, vel ministerium.*
3 *Ordo Ostiariatus unde exordium habuerit.*
4 *Ordo Ostiariatus quando institutus sit.*
5 *Vnde dictus sit Ostiarius.*
6 *Ordinandus ad officium Ostiariorũ cum quibus coram Episcopo comparere debeat.*
7 *Episcopus quid dicat ei, qui ordinandus est ad Ordinem Ostiariatus, cum coram eo genuflexus est.*
8 *In quonam actu imprimatur character in Ordine Ostiarij.*
9 *Ordinis Ostiariatus materia quæ sit.*
10 *Ordinis Ostiariatus forma quæ sit.*
11 *Ostiarius postquam tetigit claues, ei ab Episcopo porrectas, quid eum facere faciat Archidiaconus.*
12 *Officium Ostiariorum quodnam sit.*
13 *Dignitas Ordinis Ostiariatus quæ sit.*
14 *Ad suscipiendum hunc Ordinem quid ante præexigatur.*
15 *Quid aliud præexigatur ante Ordinis susceptionem.*
16 *Illegitimus à quo dispensetur, ut ordinetur.*
17 *Quæ in hoc Ordine ætas requiratur.*
18 *Quæ scientia debeat esse ei, qui ad hunc Ordinem assumi cupit.*
19 *Ponit, quod Ordo prærequirit bonos mores in clerico.*
20 *Ordinationum tempus quodnam esse debeat.*
21 *Quæ interstitia seruare debeat ordinandus ad omnes Ordines suscipiendos.*
22 *Inhabiles ad suscipiendos Ordines quinam sint.*
23 *Quæ alia scire & curare debeat ordinãdus ad Ordinem Ostiariatus.*
24 *Ordinandus gradatim, & non per saltum ordinari debet.*
25 *Ordinatus ad minores Ordines quo gaudeat priuilegio.*

De scientia quam habere debet Ostiarius.

Ostiariatus Ordo quid sit. Cap. I.

NVnc Deo authore Ostiarij Ordinem discutiamus: dicentes Primò, quid ille sit: & an ille sit artificium, an verò ministerium. Secundò, vnde habuerit originem. Tertiò, vnde dicti sint Ostiarij. Quartò, in quo actu in Ordine Ostiariatus imprimatur character.

 racter.

racter. Quintò, quæ eiusdem Ordinis sit Materia. Sextò, quæ nam constituatur Forma. Septimò, quodnam Ostiarij sit munus, seu officium: Octauo, Ostiarij dignitas quænam, & quanta sit. Quare Ostiariatus Ordo nihil aliud est, quàm potestas, per quam ordinatus in Ostiarium, potest recipere dignos, & excludere indignos ad recipiendum Sacramentum Eucharistiæ. Vel Ostiarij, secundum Magistrum Sententiarum, idem sunt, quod Ianitores, qui in veteri testamento ad custodiā templi electi erant; ne ingrederetur in illud immundum in omni re, idest, aliquid in omnibus rebus: stabant Ostiarij (prout legitur in Libro primo Paralipomenon Cap. uigesimo sexto) in quatuor templi partibus, videlicet, in Oriente, in Occidente, Aquilone, & Austro, portas templi singuli ita obseruantes, ut in puncto non discederent à ministerio: Leuitæ enim quibus numerus ianitorū concreditus erat, eis cibos parabant. Hi autem Ostiarij hodierni, ecclesiæ Dei mancipati, ostijsque præsidentes, æditus imitantur, qui apud Gentiles erant, & ædem custodiebant: De quibus Iuris Doctores, ac Legislatores fantur in lege 1. ff. ne quid in loco sacro fiat. Et Iustinianus titulo de tutelis, §. tutores autem, dum inquit: Itaque appellantur tutores, quasi tuitores, atq; defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur.

Ostiariatus quid.

Lib. 4. dist. 24.

1. Parali. cap. 26.

Leuitis demū datum erat negotiū ianitorum.

Insti. de tutel. §. tutores.

Ostiariatus Ordo an sit artificium, vel ministerium. Cap. II.

CÆterum iste Ostiariatus Ordo non quidem ullatenus dicitur esse artificium, sed potius usus, ac ministerium. Nam Ostiarius (secūdum quod dicitur in lege, quę incipit: Textoribus, ff. de leg. 3.) non dicitur exercere artificiū, sed benè alium usum, uel ministeriū.

L. textor ff. de leg. 3.

Ostiariatus Ordo vnde exordium habuerit. Cap. III.

ETsi ex superiori capite potuimus cognoscere, unde Ordo Ostiariatus originem sumpserit: clarius tamē hoc loco loquentes, dicimus à veteri testamento ortum habuisse: nam legitur; ut iam supra dictum fuit in primo libro Paralipomenon, capite uigesimosextò; Ostiarios, seu Ianitores, electos fuisse ad custodiam templi; ut non ingrederetur in illud immundus. Ad hæc Constantinus quoque Imperator non modicam dedit postea huic Ordini authoritatem: qui omnino uolens, ut indies magis Ecclesia Dei ornaretur ad instar Imperialis militiæ: decreuit; ut Pontificale decus hoc ordine amplissimè præfulgeret; Vicarij Christi, ac Pōtificis Palatiū Ianitoribus custodiri, ac Ostiarijs, nō secus ac templū illud veteris testamēti custodiebatur ab antiquis illis Ostiarijs; Vnde sic sancitum ipse reliquit, nēpe: Et sicut, Imperialis extat decorata militia; ita & demū Sanctā Romanā Ecclesiā ornari decernimus: & queadmodū Imperialis potentia diuersis officiis, Cubiculariorū nēpe, Ostiariorū, atq; oīum excubitorū ornatur, ita & Sanctā Romanam Ecclesiam decorari volumus; vt amplissimè Pontificale decus præfulgeat. Nunc quādo Ostiariatus institutus fuerit, verba faciamus.

Ostiariatus Ordo vnde originē traxerit.

1. Paralip. c. 26.

Constantinus Imperator.

Ordo

Digitized by Google

Ordo Ostiariatus quando institutus sit. *Cap. IIII.*

QVando autem Ostiariatus Ordo fuerit institutus, quærimus: & quidem tunc à Domino nostro Iesu Christo illum institutū esse apud Psaltem legimus; quando dixit per os Dauid in Psal. 23. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. At verò apud Mattheum, & Ioannem institutum illum reperimus: quando ementes, & vendentes Christus eiecit de templo: tunc enim hoc Ostiarij officium Dominus in sua persona suscepit, ac eodem functus fuit, quando flagello de funiculis facto omnes eiecit de templo: & quando oues, & boues, & nummulariorum aes effudit, & mensas subuertit: ipse enim se Ostiarium significans, dicit: Ego sum ostium: per me, si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.

Ostiariatus Ordo quando institutus sit. *Psal 23.* *Matth 21.* *Ioan 10.*

Christus se dixit Ostiarium esse. *Ioan. 2.*

Vnde dictus sit Ostiarius. *Cap. V.*

SAnè ex libro septimo Etymologiarum sancti Isidori, duodecimo eius capite; legimus à Magistro Gratiano desumptum fuisse: Ostiarium esse ideo sic dictum, & nuncupatum; quod ostijs templi ipse præsit: ipse enim tenens claues Ecclesiæ, omnia intus, & extra custodit, atque inter bonos, & malos habens iudicium, fideles recipit, & respuit infideles; ac etiam excommunicatos.

Ostiarius vnde dict' sit *dist. 31. c. cleros.*

Ordinandus ad officium Ostiariorum cum quibus coram Episcopo comparere debeat. *Cap. VI.*

SEd prius quam ad vlteriora progrediamur, sciendum est, quemlibet suscepturum Ostiariatus Ordinem, oportere sic coram suo Pontifice; qui eum ad officium Ostiariorum suscepturus, seu ordinaturus est, comparere; nempe, cum superpellicio, idest, in superpellicio, ac cum vna candela in manibus eius genuflexum.

Quid secū habere debeat Ordinād' ad officiū Ostiariorum.

Episcopus quid dicat ei, qui Ordinandus est ad Ordinem Ostiariatus, cum iam coram eo genuflexus est. *Cap. VII.*

SVscepturus fili carissime, officium Ostiariorum: vide quæ in domo Dei agere debeas. Ostiarium oportet percutere cimbalum, & campanam: aperire Ecclesiam, & Sacrarium: & librum aperire ei, qui prædicat: Prouideas igitur, ne per negligentiam tuam illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt aliquid depereat: certisq; horis domum Dei aperias fidelibus, & semper claudas infidelibus: stude etiam, vt sicut materialibus clauibus Ecclesiam visibilem aperis, & claudis: sic & inuisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium dictis, & exemplis tuis

Instruit et admonet Episcopus Ostiarium.

Nota.

Digitized by Google

claudas Diabolo, & aperias Deo, vt diuina verba, quæ audierint, corde retineant, & opere compleant, quod tibi Dominus perficiat per misericordiam suam.

In quonam actu imprimatur character in Ordine Ostiariatus. Cap. VIII.

In Ostiariatus Ordine in quo actu character imprimatur. D. Thom.

PLanè si quis quærat: dum Ordo Ostiariatus confertur, in quonam actu in eo Ordine character imprimatur: respondebimus, quod de mente Sancti Thomæ in quarto Sententiarum, distinctione vigesima quarta; in traditione clauium ostiorum Ecclesiæ infigitur character, dum maximè dicit ordinans ordinato in Ostiarium: sic age, tanquam rationem redditurus de rebus, quæ clauibus istis recluduntur.

Ordinis Ostiariatus Materia, quæ sit. Cap. IX.

Ordinis Ostiarij Materia quæ. Nota.

SEd Ordinis Ostiarij Materia est clauis, seu claues ostiorum ipsius Ecclesiæ, quas ordinans tanquam materiam ordinis huius Ostiariatus ordinato in Ostiarium porrigit, datque ac tradit: quas claues, seu materiam ordinatus tangere debet manibus, vel saltem vna manu, vel saltem digito: non enim sola eleuatio manuum sufficit; sed necessarius omnino videtur contactus: ergo omnino has claues, seu hanc materiam sic ab Episcopo ordinato in Ostiarium porrectam, & assignatam ad tangendum, tangere debet: quod & supra diximus etiam, dum de Ordinis Materia in generali verba fecimus.

Ostiariatus Ordinis Forma quæ sit. Cap. X.

Forma Ostiariatus ordinis quę.

POst Ordinis Ostiarij Materiam, sequitur necessario ipsa prædicti Ordinis Forma; quæ est illa Episcopi, seu ordinantis alterius uerborum prolatio, quam ordinato in Ostiarium facit ordinans, cum dicit: Accipe potestatem aperiendi Ecclesiam, & Sacrarium, & claudendi infidelibus, porrigens claues ad tangendum eas ipsi ordinato: ex decreto enim Concilij Toletani, quod Gratianus registrauit in suo libro, quem hodie Decretum vocamus Canonum; Ostiarius cum ordinatur, postquàm ab Archidiacono instructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat conuersari; ad suggestionem Archidiaconi tradit ei Episcopus, seu alter, qui sit ordinans, claues portarum Ecclesiæ de altari, dicens: Sic age, sic viue, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus clauduntur. Clauium ergo porrectio, ac traditio, & uerba præmissa sunt huius Ordinis Ostiariatus substantialia; cœtera uerò sunt solennitatis.

Dist 23 c. Ostiarius.

Substantialia Ordinis Ostiariatus, ac solennia quæ.

Ostia-

Ostiarius postquam tetigit claues, ei ab Episcopo porrectas; quid eum facere faciat Archidiaconus. Cap. XI.

POstmodum Ostiarius factus ab Episcopo per Archidiaconum ducitur ad ostium Ecclesiæ; quod illud claudat, & aperiat: similiter & ad campanas quoque ab eodem ducitur, quarum funes accipere, & campanas idem Ostiarius pulsare debet. Tum reuertitur ante Episcopum. *Ostiarius quò ducatur post acceptas claues.*

Officium Ostiariorum quodnam sit. Cap. XII.

SAnè Ostiarij officium, seu munus est, primò templi claues, & ianuam custodire, & ab aditu templi, idest, Ecclesiæ arcere eos, quibus ingredi interdictum est. Secundo ad Sanctum etiam Missæ Sacrificium Ostiarius assistere debet; ne quis propius quam par sit ad Sacram aram, seu altare, accedat, & Sacerdotem rem diuinam facientem interpellat. Tertio alia etiam ei ministeria commissa esse comperiuntur: vt ex ritibus, qui ad eius consecrationem adhibentur, perspici potest: quæ ferè omnia suprà posuimus, dum scripsimus eam admonitionem, quam facit Episcopus ipsi ordinando: Nam Episcopus claues ab altari acceptas ei tradens, quem Ostiarium vult instituere; Sic age, inquit; quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ ijs clauibus recluduntur. Cura sit etiam Ostiario, inquit Clemens Pontifex. de consec. dist. 1. cap. nemo per ignorantiam ex admonitione maioris: ne quis negligens, aut ignarus ad uelum, idest, cortinam (quæ, secundum Cardinalem à Turrecremata in eodem præcitato capitulo, in Ecclesijs extendatur præsertim in festiuitatibus) ianuæ domus Domini manus incognitè, idest, improuidè, tergat: sed statim coercitus discat omnis homo: quia velum atrium domus Domini est. Hoc tamen Ostiarij munere, seu officio sæpenumero solet fungi Sacrista, qui dicitur habere officium Ostiarij. Vnde Syluester in Summa, in verbo: Ordo Secundo, dicit: Ad Ostiarium autem pertinet inter bonos, & malos habere iudicium: quia bonos recipit, & respuit malos: ex quo videtur; secundum Petrum de Palude; quod Sacrista, qui officium habet Ostiarij; non prohibendo excommunicatum ab ingressu Ecclesiæ, ex hoc ipso recipiat ipsum ad diuina magis, quàm ille, cuius audit Missam, & consequenter sit suspensus ab ingressu Ecclesiæ.

Officium Ostiarij quod. *Supra c. 7.* *De consec. dist. 1. cap. nemo.* *Cardinalis à Turrecremata.* *Syluester.*

Ordinis Ostiariatus dignitas qua. Cap. XIII.

DEmum de dignitate huius Ordinis Ostiariatus sic differit Romanus Chathechismus: Magnam, inquit, in antiqua Ecclesia huius Ordinis dignitatem fuisse ex eo intelligitur; quod his temporibus in Ecclesia seruari animaduertimus. Nam thesaurarij officium, qui erat *Dignitas Ostiariatus qua.*

Digitized by Google

idem Sacrarij custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiam nunc habetur.

Ad suscipiendum hunc Ordinem quidnam ante praexigatur. Cap. XIIII.

Ordo quilibet quidẽ characterẽ prarequirat.

DIcunt autem Sanctus Thomas, & Syluester, quòd ante susceptionem cuiuslibet Ordinis præexigitur character Baptismi de necessitate; ut dicitur in cap. veniens. extrà de presbytero non baptizato: non autem prærequiritur character Confirmationis de necessitate, sed de congruo solum. Vnde si non confirmatus ordinetur, recipit Ordinis characterẽ, licèt videatur facere contra Concilium Tridentinum, quod iubet præmitti ante Ordinem; imò etiam ante primam tonsurã, ipsum Confirmationis Sacramentum.

Sess.23.c.4

Ordinandus legitimus esse debet.

Quid aliud praexigatur ante huius Ordinis susceptionem ab ordinando. Cap. XV.

c.1.ext. de fil presb.

Prima causa cur in ordinãdo legitima requirantur natalia.

SEcundo loco ipse Ordo præsupponit non solum iam dictum Baptismi characterem, sed etiam ipsius ordinandi prærequirit ex legitimo matrimonio procreationem; prout disponit Pontifex in cap. primo, extra de filiis presbyterorum: Cuius rei causa est, secundum Abbatem in dicto cap. primo; quoniam excellentia, seu Ordinis dignitas prohibet, ordines conferri turpibus, & infamibus: c. inter dilectos, de excessibus prælatorum. Secundò, quoniam detestatio criminis paterni facit detestare quandoque illud idem in filijs. C. ad legem Iul. Maiest. l. quisquis. Tertia causa est, ipse timor paternæ incontinentiæ, quæ timetur in filio, qui non solet in vitijs sectandis, se vt plurimum non dissimilem patri exhibere, secundum quod dicit Glos. in c. secundo, de filijs presbyterorum in sexto. quæ Glossa Quartã addit causam, scilicet, scandalum illorum inter quos talis illegitimus promouetur. Hoc tamen, quod diximus, limitatur, & fallit, si huiusmodi illegitimi, aut monachi fiant, aut in congregatione Canonica regulariter viuant.

Illegitimus quib' rationibus non possit ꝓmoueri ad Ordines.

Secunda causa.

C. ad legẽ Iul. Maie. l. quisquis.

Tertia cã.

Quarta causa.

Illegitimus à quo dispensetur, vt Ordinetur. Cap. XVI.

ADuertendum tamen est, quòd Papa dat Episcopis facultatem, vt cum illegitimè natis ipsi dispensent in minoribus Ordinibus, & beneficio sine cura, ita vt promoueri possint illegitimi tales ad Ordines minores, & etiam ad beneficia sine cura; non autem ad alia curata, nec minus ad dignitates, & personatus. Hoc ergo habet refugium illegitimus ac spurius, nempè, ad suum Episcopum, ut suum adimpleat votum. Ad Sedem verò Apostolicam recurrere debet; cum ad sacros Ordines promoueri cupit: quia in Sacris Ordinibus non sufficit Episcopi dispensatio, sed requiritur Papæ relaxatio, vt dicitur in cap. 1. de filijs presbyterorum in sexto.

Illegitimus dispẽsatur ad suscipiẽdos minores Ordines ab Epo, ad Sacros verò à Papa.

Qua

Quæ ætas in hoc Ostiariatus Ordine requiratur. Cap. XVII.

TErtio Ordo etiam præexigit ætatem, ideò videndum est, quæ ætas in Ordinibus requiratur. Sanè in tonsura requiruntur septem anni completi: septenni ergo potest conferri prima tonsura: vt est textus in cap. finali, de temporibus ordinandorum. in 6. & ibi Glossa, in verbo infanti, quæ adducit alios textus, & iura per Gratianum notata, in dist. 27. cap. de his, & dist. 77. cap. in singulis. Ad Quatuor verò minores Ordines post septem annos assumi possunt omnes ordinari volentes, vt dicitur in dis. 77. dicto cap. in singulis, & per totam illam dist. Hoc idem notatur, & per Rebuffum in sua beneficiorum Praxi; dum de requisitis ad bonam collationem verba facit. Quæ verò ætas requiratur ad Subdiaconatus, & Diaconatus; ac demũ Presbyteratus Ordines, infrà dicemus, quando de vnoquoq; eorũ Ordinũ disputabimus.

Aetas in minoribus & remissiùs in maioribus, uel Sacris Ordinibus requisita.

Qua scientia esse debeat ei, qui ad Ordinem Ostiariatus assumi cupit. Cap. XVIII.

QVartò Ordo, inquam quilibet præsupponit ac requirit scientiam, nam ordinari volens ad Ostiariatus ministerium, saltem linguam Latinam scire debet, secundum dispositionem Sacri Concilii Tridentini, necnon etiam & Sacrorum Canonum, qui suprà in præcedenti capitulo iam citati sunt à nobis. Vnde Isidorus detestās ignorantiam, sic monet Clericos, & Sacerdotes: Elaborandum est, inquit, Sacerdotibus, vt ignorantiam à se, quasi quandam pestem abijciant; & paulò infrà, in cap. ignorantia, dist. 38. reddit rationem Gratianus: quia ignorantia est mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei, qui docendi officium in populo Dei susceperunt: Quicunque ergo Clericus, ac Sacerdos scientiam repellit, repellet eum Deus, ne officio suo, vel etiam Sacerdotio fungatur ei, inquit Oseas. Vnde hodie imperiti Ecclesiarum Rectores, qui non sunt apti Sacris officijs, à Sacro Concilio Tridentino priuantur suis beneficiis, si in sua perseuerauerint inscitia.

Minores Ordines nō nisi literatis, & latinā linguā scientib. cōferri debent.
Cōc. Trid. Sess. 23. c. 11.
Dist. 38 c. ideo.
Dist. 38. c. ignorātia.
Osea 4.
Sess. 21. c. 6

Ponit, quòd Ordo prærequirit bonos mores in Clerico. Cap. XIX.

QVinto loco requirit Ordo à Clerico bonos mores, qui præualent diuitijs, ac facultatibus omnibus. Vnde Modestinus Iurisconsultus; neque enim, inquit, facultas, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, vt bona electio, & benigni mores: ea propter ipse Dauid clamabat, dicens: Bonitatem, disciplinam, & scientiam doce me: prius bonitatem, & sic bonos mores expetit, quàm alia; sic & Clericus illius exemplo edoctus, facere debet: & quod in Clerico reperiri debeant boni mores, ac in omnibus Ecclesiasticis personis, attestatur textus in cap. cum in cunctis, extrà de electione, in principio.

Boni mores maximè Clerico sunt necessarij.
L. Scire. §. eos qui. ff. de tut.
Nota.
Psal 118.
cap. cum in cunctis, de elect.

Ordina-

Ordinationum tempus quodnam esse debeat. Cap. XX.

Quibus diebus uel temporibus qs debeat Ordinari.

Minores Ordines q. bus diebus cōferri possint.

SExto loco poscit etiam tempus suum à iure statutum: vt nempe, qui ordinari desiderat, in quatuor temporibus, aut Sabbatho Sancto; vel Sabbatho ante Dominicam de Passione, ordinetur. Veruntamen minores ordines conferri possunt diebus Dominicis, & alijs festiuis diebus: Sacri verò conferri debent in prædictis quatuor temporibus, vel Sabbatho Sancto, vel Sabbatho de passione: nec valet consuetudo, vt extra hæc prædicta tempora sacri ordines conferantur; nisi Papa hoc nobis indulgeat: pro hoc, quod diximus, facit textus in cap. 1. & in cap. de eo, & in cap. sanè, De temporibus ordinationum.

Ordinandus quanam interstitia seruare debeat ad suscipiendos omnes ordines. Cap. XXI.

Quæ interualla singulis Ordinibus interponenda sint. Dist. 77. ca. in sing. cum seq. L. presbyterum, C. de Episcopis, & clericis. Sess. 23. c. 12.

OMissis antiquorum Canonum interuallis, ac temporum interstitijs illo tempore seruandis, quibus ab vno Ordine ad alium ascēdebatur: (quæ quidem erant, ut post septem annos fieret Ostiarius, & post septennium fieret Lector, & Exorcista, in quibus officiis staret usque ad duodecim annos, & sic uersabatur quinquennio inter Lectores, & Exorcistas; exinde fieret Acolytus, & staret in acolytatu usque ad uigesimum annum: postea in uigesimo primo anno fieret Subdiaconus: postmodum in uigesimo sexto anno fieret Diaconus: demum in trigesimo primo anno fieret presbyter;) dicamus, quòd ordinandus in suscipiendis Minoribus, (de maioribus siquidem Ordinibus aliter, quam Episcopo uideatur disponit Concilium Tridentinum) non alia tēporum interualla seruare debet, quàm suo Episcopo, seu Ordinario uidebitur; prout idem Sacrosanctum Conciliū in hac temporum obseruatione se ad eum omnino remittit, ut nempè secundum præscriptum, ac præfinitum tempus, quod præscripserit ei Episcopus, in unoquoque munere, in Ecclesia, cui adscriptus erit, se exerceat: ut eo accuratius, quantum sit huius disciplinæ pondus possit edoceri. Habes textum in cap. 11. Sess. 33. in Concilio Triden. & capite decimoseptimo, eadem Sessione. Verum enimuerò Episcopus, si ei videbitur, poterit etiam omnes quatuor Ordines uni, aut duobus eadem die conferre, dummodo non uideatur generalis Ordinatio, ut habetur in citato cap. De eo, & ibi Glo. de temporibus Ordinationū.

Conc. Tri. cap. 17.

Ordines oēs Minores una & eadem die uni personæ per Epm cōferri possunt.

Inhabiles ad suscipiendos Ordines quinam sint. Cap. XXII.

SEd aduertat qui ordinari uoluerit, ne aut de facto, aut de iure ordinari prohibeatur: & de facto quidem prohibetur mulier, quia mulier ordinari omninò prohibetur: cum Christus hoc Ordinis Sacramentum solis masculis, & non mulieribus conferri instituerit:

tum

Digitized by Google

tum quia huic Ordini competit officium doctrinæ: mulieri uerò docere non permittitur, iuxta illud Pauli 1. ad Timothæum 11. Docere autem mulieri non permitto. Tum quia Ordo constituit ordinatum in aliquo gradu eminentiæ suprà non ordinatos: at mulier respectu uiri statum subiectionis habet, propterea subdit prædictus Apostolus, cum dixerat; Docere mulieri non permitto, neque dominari in uirũ. De iure uerò Ordinari prohibetur, primò, non habens legitimam ætatem, de quò suprà dictum est. Secundò, nec illiteratus, de temp. ord. c.fi.lib.6 Tertiò, nec criminosus: unde existens in mortali non debet promoueri. cap.ex tenore. & c. ad res.de temporibus ord. Quartò, nec Bigamus. Quintò, nec ille, qui solẽnis fuit pœnitens. dis. 50. c.ex pœnitentibus. Sextò, nec neophitus, dist.48 c.qm̃, & c.sicut. Septimò, nec curialis, idest, propter aliquod officium curiæ obligatus. dis. 51.c.1.2.& 3. Septimo, nec ratiocinijs obligatus. C.de Episcopis, & Cle.l.quisquis. Octauò, nec seruus, nisi prius manumissus sit.c.1.& 2.de ser.non ord. Nono, nec ilegitimus, vt suprà diximus. Decimò, nec peregrinus, nisi habeat literas authenticas dimissoriales a suo ordinario. Concil. Trid.cap.16.sess. 23. & c.cum nullus, de ætat. & qualit.in sexto. Vndecimò, nec infamis. Duodecimò, nec irregularis. Decimotertiò, nec suspensi, interdicti, vel excommunicati. Decimoquartò, nec ordinati in Subdiaconos, vel Diaconos à Papa: quia sine eius licentia ab alio non possunt ad superiores ordines promoueri. c.cum in distribuendis, de temp ord. Decimoquintò, nec coniugatus, nisi velit intrare religionem.c.fin. de temp.ord.in sexto. Decimosextò, nec Hermafroditus. Decimoseptimò, nec hystriones, secundum Glos.in cap. donare, dist.86. quia sunt infames. Vltimo nec obligatus ad faciendum aliqua indecentia, puta ad ministrandum in balneis, uel tabernis, aut purgandum cloachas, & huiusmodi promoueri non debent ad Ordines; tũ etiam Corpore uitiati, Leprosi iugi lepra, Furiosi, Lunatici, Caduci, Infantes, Non bibentes uinum: de quibus in c. ipsi. 11.q.7.c.comperimus, de consecr.dist.2.c.fin.de temp.ord.in 6. neque Homicidæ, quia sunt irregulares.

Paul. 1. ad Timot. 11.
Nota.
Dist. 36. c. acutius.
Dist. 53. c. legem.
Sessio. 23. cap 16.

Quæ alia scire, & curare debeat Ordinandus ad Ordinem Ostiariatus. Cap. XXIII.

VLtimo loco obseruare debet quilibet promouendus ad Ostiariatum; quod à proprio Episcopo ipse ordinari debeat; quod si quis ab alio promoueri petat: à suo proprio Episcopo; uel sedeuacante, à succedentibus in iurisdictione Episcopi, obtinere debet literas dimissoriales: nam dimissoriæ, tonsuram, & Ordines præcedere debent: & ideo non ualet ratihabitio Episcopi, nec ipse hoc ratum habere potest; sed tantum Papa per litteras perinde hoc ualere approbare potest: quia ratum quis habere non potest, quod suo nomine gestum non est. per reg.de reg.iur.lib.6. c.cum quis, de sent.excom. & ideo caueat ab hoc ordinandus ad hunc, & alios Ordines.

Ordinandus ab alio, quàm à pprio Episcopo debet habere literas dimissoriales

Ordinan-

Digitized by Google

Ordinandus gradatim, & non per ſaltum ordinari debet.
Cap. XXIIII.


Per ſaltum nullus eſt ordinãdus.

ITem talis ordinandus animaduertat ne vnum pro alio accipiat Ordinem: vt videlicet caueat, ne primò capiat Lectoratus Ordinem, prius quam cęperit Oſtiariatus: aut Acolytatus, prius quam Exorciſtatus Ordinem aſſecutus fuerit, & ſic deinceps de alijs dico.

Ordinatus ad Minores Ordines quo gaudeat priuilegio.
Cap. XXV.

Clerici, qui Eccleſiaſtici fori non gaudeant priuilegio. Seſſ. 23 c. 6

NOuiſſimè conſtitutus in ordine Oſtiariatus, & prima tonſura initiatus, fori priuilegio haudquaquam gaudet, ſecundum Synodũ Tridentinam, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruiat, vel in Seminario, aut in aliqua Schola, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad Maiores Ordines ſuſcipiendos verſetur. Nunc ſtylum noſtrum ad officium Lectoris conuertamus.



SVM-

Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM TERTII TRACTATVS.

De scientia, quam habere debet Lector.

Lectoratus Ordo quid sit. *Cap. I.*

DE Lectoratus Ordine dicturus, ab eius sanè diffinitione exordiar primum, deinde unde ille dictus sit aperiam: postmodum quomodo Lector instituatur absoluam: Quartò vnde sumpserit originem Lectoratus Ordo dicam. Quintò in quo actu in Ordine Lectoratus imprimatur, aut figat character proponam: Sextò discutiẽda erit eiusdẽ Ordinis materia: Septimò disputandũ de prædicti Ordinis Forma. Octauò discutiendum officium Lectoris quidnã sit in genere. Nonò differendũ erit, qñ hoc ipsum officiũ adimpleuerit Christus

Dominus

Digitized by Google

Dominus noster. Decimo indagandum erit prædicti Lectoris officium, ac scientia circa Lectiones legendas, & circa pronunciationem, ac uim accentuum. Quocirca Lectoratus Ordo nihil aliud est, quàm potestas per quam ordinatus in Lectorem potest legere in Ecclesia Dei Lectiones, & Prophetias, idest, Veteris, & Noui Testamenti libros.

Lectoratus Ordo quid sit.

Lector unde dictus sit. Cap. II.

Lector unde dicatur.

LEctor, secundum Isidorum. 21. dist.c.cleros, à legendo, Psalmista à Psalmis canendis dicti, uocatiuè sunt: Lector enim prædicat, idest, legit, ac recitat populis uoluntatem Dei, & quid sequi debeant proponit: Psalmista uerò canit, ut excitet ad compunctionem animos audientium: licèt & quidam Lectores ita miserabiliter pronuncient; ut quosdam ad luctum, lamentationemque compellant. Lectores etiam pronunciatores uocantur ob id, quòd palam, siue à longe pronunciant: tanta enim, & tam clara esse debet eorum uox, ut quamuis longè positorum aures impleat.

Ordinandus in Lectorem quibuscum rebus Episcopum adire, & coram eo apparere debeat. Cap. III.

Quæ secum habere oporteat ordinādi ad Ordinē Lectoratus.

ESt iam dictum à nobis supra in secundo nostro tractatu, uidelicet, de scientia, quam habere debet ordinari uolens ad officium Ostiariorum, in capite septimo; quod quicunque ad aliquem minorem Ordinem promoueri cupit, adire debeat suum proprium Pontificem; & coram eo cum superpellicio, idest, in superpellicio, ac cum una candela in manibus eius genuflexus comparere: quod idem Lectori seruandum esse dicimus, ac eum hic etiam aduertimus.

Quænam ab Episcopo fiat admonitio ei, qui coram eodem iam apparuit genuflexus, Ordinem Lectoratus suscepturus. Cap. IIII.

ELectus, frater carissime, ut sis Lector in domo Domini Dei nostri, officium tuum agnosce, & imple: potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam perfectionis æternæ. Lectorem siquidem oportet legere ea, quæ prædicat, & Lectiones cantare, & benedicere panem, & omnes fructus nouos: Stude igitur uerba Dei, uidelicet, Lectiones sacras distinctè & apertè ad intelligentiam, & ędificationem fidelium absque omni mendacio falsitatis proferre, ne ueritas diuinarum Lectionum incuria tua ad instructionem audientium corrumpatur. Quod autem ore legis corde credas, atque opere compleas: quatenus auditores tuos uerbo pariter, & exemplo tuo docere possis: ideoque dum legis in alto loco Ecclesiæ stes, ut ab omnibus audiaris, & uidearis, figurans positione corporali, te in alto uirtutum gradu debere conuersari; quatenus cunctis, à quibus audiris, & uideris, cęlestis uitæ formā præbeas, quod in te Deus impleat per gratiam suam. Postea dat Episcopus eidem

Lectori

Digitized by Google

Lectori Lectionarium, seu Codicem Euangeliorum, aut etiam Pontificale: demum orat pro eo, & super eo.

Lectoratus Ordo, vel Lector vti instituatur. Cap. V.

SAnè Lector cum ordinatur; facit de illo verbum Episcopus ad plebem, indicans eius fidem, ac vitam, atque ingenium: post hoc spectante plebe, tradit (iuxtà decretum Tholetani Concilij 23. dist.c. Lector) ei Codicem in quo lecturus est; dicens: Accipe, & esto relator verbi Dei: habiturus, si fideliter, & vtiliter impleueris officium tuum, partem cum eis, qui verbum Dei ministrauerunt. Codicis itaque traditio, & verba præmissa sunt de substantia huius Ordinis, cætera sunt solennitatis; prout & Durandus attestatur.

Lector quomodo instituatur.

Substantialia Ordinis Lectoratus quæ.

Ordo Lectoratus vnde sumpserit originem. Cap. VI.

PLanè hunc Lectoratus Ordinem non perperam fortè dicemus principium sumpsisse à lege veteri, seu ab Esdra, qui dicitur attulisse legem coram multitudine uirorum, & mulierum, & legit eam distinctè, & aperiè in platea in conspectu uirorum, & mulierum, & sapientium; & intellexerunt, cum legeretur ab eo; & de hoc fatur textus, seu liber secundus Neemeniæ, qui est Esdræ 11. cap. octauo. Vel hic ordo, secundum Magistrum Sententiarum, initium à Prophetis accepisse uidetur: quibus dicitur: clama, ne cesses quasi tuba exalta uocem tuam.

Vnde habuerit originem Lectoratus.

Nee 8.

Magister Sentent.

Isaia 58.

In Lectoratus Ordine in quo actu character imprimatur. Cap. VII.

INsuper aduertendum est, quod in ordine Lectoratus in hoc actu imprimitur character, scilicet, in traditione libri Lectionum, in Matutinis legendarum, & Prophetarum, cum debita forma uerborum, scilicet; Accipe librum, & esto relator uerbi Dei, & cætera, quæ paulò antè in medium attulimus.

In quo actu in Ordine infigatur character.

Quæ sit Materia Ordinis Lectoratus. Cap. VIII.

POrrò Ordinis Lectoratus Materia est ipse liber, qui traditur ordinato, continens lectiones legendas in Matutinis, & Prophetas, seu Prophetias, qui liber dicitur Lectionarius. Aut ipsa materia erit Missale, aut ipsum Pontificale.

Materia Ordinis Lectoratus q.

Ordinis Lectoratus Forma quæ sit. Cap. IX.

AD hæc Forma Ordinis Lectoratus est hæc sequens uerborum prolatio, scilicet; Accipe; inquit ordinans; potestatem, & esto uerbi Dei relator, porrigens dictus ordinans ipsum Lectionarium.

Forma Ordinis Lectoratus quæ.

Lecto-

Digitized by Google

Lectoris munus, seu Officium quodnam sit. Cap. X.

Officiũ Lectoris q̃d.

AD lectorem autem pertinet, inquit Magister Sententiarum, lectiones pronunciare, & ea, quæ Prophetæ uaticinauerunt, & Apostoli dixerunt, populis prædicare, idest, legere, recitando, non autem prædicando; quia illud est officium Sacerdotum: quinimmo nec populum ipse potest salutare; quandoquidem Carthaginiense Concilium præcipit Lectoribus, qui parati sunt ad legendum lectiones, ne populum salutent: quia forte solebant lecturi in pulpito aliquam salutationem nobis ignotam præmittere; vel dicebant: Dominus vobiscum, quod Sacerdotibus solum permissum est dicere. Vnde ideo hodie tales Lectores dicunt: Iube domne benedicere; quando lecturi sunt lectiones: de quibus uerbis uide quæ dixi infrà in tractatu de scientia Subdiaconi. Romanus uerò insuper Catechismus de Lectoris officio loquens, sic ipse quoque fatur, scilicet: Ad Lectorem, inquit, pertinet in Ecclesia ueteris, & noui testamenti libros clara voce, & distinctè recitare, præsertim uerò eos, qui inter nocturnam Psalmodiam legi solent. Item ad eum quoque spectat, prima religionis Christianæ rudimenta, scilicet, signum crucis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolũ fidei, ac cætera huiusmodi; de quibus suprà tractatu primo, de scientia eius, qui initiandus est prima tonsura, cap. quinto fusius diximus; fidelibus tradere. Item ad eiusdem Lectoris officium pertinet panem, & omnes nouos fructus benedicere, & reliqua huius generis: de quibus omnibus suprà paulò ante diximus.

Lector cur non dicat, cũ legit Lectiones, Dominus vobiscum sed iube dõne bñdicere.

Lectoris officium quando Christus adimpleuerit. Cap. XI.

Christus quãdo adĩpleuerit. Lectoris officium.

HOc autem Lectoris officium adimpleuit Christus Dominus noster; quando in medio Seniorum (Luc. 4.) librum Isaiæ prophetæ aperiens legit distinctè ad intelligendum, dicens: Spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, &c. de qua re uide c. uni. de sacr. vnct.

Ca. vni. de sacr. Vnct.

Officium Lectoris, ac scientia, quæ esse debeat circa verborum prolationem, sensumq; verborum, ac vim accentuum. Cap. XII.

Sciẽtia Lectoris in legendis lectionibus quãta esse debeat.

QVi ad hunc Lectoris gradum, inquit Magister Sententiarum; prouehitur, literarum scientia esse debet instructus; vt sensum verborum intelligat, vimq; accentuum sciat, distinctè vt legat: & de confusione prolationis intellectum auferat. Attendat item quid indicatiuè, quid interrogatiuè legendum sit, & vbi sit in oratione facienda distinctio. Hæc enim malè seruata, intellectum turbant, & alios ad risum prouocant. Itemque auribus, & cordi consulere debet vox Lectoris.

Qui-

Digitized by Google

Quibusnam alijs conditionibus præfulgere debeat ordinandus ad Ordinem Lectoratus. Cap. XIII.

NOn tantum ijs, quæ modo suprà diximus, ordinandum in Lectorem oportet esse munitum, verumetiam & sanctis fontis baptismatis aquis tinctum, ac lotum esse conuenit: Quinimmo & Chrismatis oleo, idest, Sacramento Confirmationis, linitum esse vult Sacrum Concilium Tridentinum: de charactere uerò Baptismi dicitur in cap. veniens. de presbytero non bapt. *Ordinād° ad Lectoratū baptizatus, & confirmatus esse debet. Sess. 23. c. 4.*

Assumendus ad Ordinem Lectoratus debet esse legitimus. Cap. XIIII.

AMplius qui insigniri petit Ordine Lectoratus; se ex legitimo matrimonio coram ordinante præsentare debet; secundum dispositionem legis Canonicæ, in cap. 1. extra, de filijs presbyterorum. & ratio est, secundum Abbatem, quia Ordinis dignitas prohibet Ordines conferri turpibus, & infamibus personis. c. inter dilectos, de excessibus prælat. Secundo quia detestatio criminis paterni facit detestari quandoque illud idem in filijs. C. ad l. Iul Maiest. l. quisquis. Tertiò, quia timor paternæ incontinentiæ timetur in filio. glos. in c 2. de filiis presbyterorum, in sexto. De hac re uide supra tractatum de scientia ordinandi ad Ostiariatus Ordinem: & quis cum illegitimo tali possit dispensare ibi fusius dictum est. *Ordo Lectoratus exigit legitima natalia. Abbas ca. inter dilectos, de excess. prælat.*

Aetas ordinandi ad Ordinem Lectoratus quæ esse debeat. Cap. XV.

QVi vult assumi in numerum Lectorum, debet saltem annorum esse septem cum dimidio, secundum quod uidetur nobis innuere glos. in cap. in singulis, dist. 77. ꝙ & sup. diximus. *Aetas quæ requiratur ad ordinādum in Lectorem.*

Quanta præditus esse debeat scientia qui promouendus est ad Ordinem Lectoratus. Cap. XVI.

COncilium Tridentinum in Sessione uigesimatertia, capitulo undecimo, præcipit ordinandos ad minores Ordines, linguam Latinam scire debere; & ideo prouideat talis ordinandus, vt quæ legit intelligat; aliàs si à susceptione Ordinis talis repellitur, sibiipsi imputet: Vide supra tractatu secundo, capit. 14. ne decipiaris defectu scientiæ tuæ modicæ. *Literatura ordinandi ad ordinē Lectoratus. Sess. 23. c. 11.*

Digitized by Google

Promouendus ad Lectoratus Ordinem bonis moribus praeditus esse debet. Cap. XVII.

Bonos mores debet habere ordinandus in Lectorem. Sess. 23. c. 5. & c. 7.

AD haec hic Ordo Lectoratus requirit etiam à promouendo bonos mores: de quibus Parochus, & Magister scholae testimonium perhibere possunt, quemadmodum edixit Concilium Tridentinum.

Ordine Lectoratus decorandus, tempus, in quo possit ordinari obseruare debet. Cap. XVIII.

Tēpus ordinandi Lectoris.

DAbit etiam operam in hoc, qui assumi desiderat ad Lectoratus Ordinem, ut in quatuor temporibus promoueatur; aut in Sabbatho ante Dominicam Passionis Domini; uel etiam in Sabbatho Sancto: quae tempora ad conferendum Ordines instituta sunt per summum Pontificem. in cap. 1. & in cap. de eo, & in cap. de sanc. de temp. ordinationum. Hunc tamen Lectoratus Ordinem etiam in diebus Dominicis, aut festiuis poterit assequi, seu obtinere: quod non seruatur in Sacris Ordinibus, nisi Papa ex speciali mandato hoc alicui mandet Episcopo. Quae uerò interualla temporum interesse debeant à collatione unius Ordinis ad aliud, supra dixi; ideo ibi videto.

cap 1 & c. de eo. & c. sanc. de tēpor ord. Sup c. 21. tract. 2.

Quinam promoueri ad Ordines non valeat. Cap. XVIIII.

Inhabilis ad promouendū qs. Cōc. Trid. Sess. 23. c. 11. Sup. ca. 22. tract. 2.

PRomoueri verò ad hunc Lectoratus Ordinem non poterit ille primo, quem non scientiae spes maioribus Ordinibus accommodum futurum ostendat. neq; mulier, neque illiteratus, neque criminosus, neque bigamus, neque excommunicatus, interdictus, suspensus, neque neophitus, neque hermaphroditus, & huiusmodi, de quibus suprà tractatu secundo, capite uigesimo secundo.



SVM-

SVMMARIA SINGVLORVM CAPITVLORVM QVARTI TRACTATVS.

Digitized by Google

De scientia quam habere debet Exorcista.

Exorcistatus Ordo quid sit. Cap. I.

DE Exorcistarum Ordine tractaturi necnon & de eorundē Exorcistarum officio, ac Scientia demonstrationē institu turi; principio uidendum est nobis, quidnam sit Exorcistatus Ordo. Secundò, unde ille dictus sit. Tertiò, adspiciendum est, quando fuerit institutus. Quarto loco aduertendum est, in quonam actu in Ordine Exorcistatus imprimatur character. Quinto loco, quæ sit Exorcistatus Ordinis Materia. Sexto loco indagandum est, quæ prædicti Ordinis sit forma. Septimo differendum est, vnde huiusmodi Exorcistatus Ordo profluxerit. Octauo loco dicendum est, quem se præseferre debeat Exorcista antequam ad exorcizandum alios accedat. Nono considerandum est, quid, & quale habeat esse Exorcistarum officium. Decimo, & ultimo vidēdum est, quibusnam uerbis, seu quanam forma uerborum utatur Episcopus, cum Exorcistas ipse instituit. Quare Exorcistatus Ordo est potestas quædam, per quam ordinatus in Exorcistam potest expellere Diabolum, ne impediat aliquem à sumptione Sacramenti Eucharistiæ.

Exorcistatus Ordo quid sit.

Vnde dicatur Exorcista. Cap. II.

NVnc ad secundam quæstionem descendentes, nempè unde Exorcista dictus sit; dicimus: quod (secundum Isidorum. 21. dist. c. Cleros, & alios Summarum authores) Exorcista Græcè; Latinè dicitur adiurans, vel increpans: & consequenter Exorcizare est adiurare, vel increpare: Ad hoc enim Exorcista ordinatur, ut super Energumenum, aut Lunaticum, & obsessum à dæmonibus; uel etiam super Baptizatum aut Cathecumenum, habentes spiritum immundum, manū imponat; ac inuocet super eos nomen Domini, per quem adiuret, & increpet immundum talem spiritum, ut egrediatur ab eis: ne amplius ab huiusmodi immundo spiritu uexentur, seu dæmoniorum illusionibus agitentur.

Exorcista unde dictus sit.

Exorcizare quid sit.

Ordinandus in Exorcistam cum quibus rebus se Pontifici suo præsentare debeat. Cap. III.

QVemadmodum suscipiendum in Ordinem Ostiariorum, aut etiā Lectorum, se suo Episcopo genuflexum cū superpellicio, aut in superpellicio, & cum facula in manibus eius præsentare oportuit: ita non aliter ei, qui ad Ordinem Exorcistatus promoueri cupit, necesse est coram suo Ordinario ordinante apparere; nempè cum superpellicio, & candela alba in manibus eius.

Que

Digitized by Google

Quæ, & qualis fiat ab ordinante admonitio ei, qui suscipiendus est ad officium Exorcistarum. Cap. IIII.

ORdinande frater, ait Episcopus ad ordinandum; in officiũ Exorcistarum, debes noscere quid suscipias: Exorcistam enim eiicere dæmones,& dicere populo; vt, qui non communicat det locum: & aquam in ministerio fundere. Accipis itaque potestatem imponendi manum super Energumenos: & per impositionem manus tuæ, gratia Spiritussancti,& verbis Exorcismi, pelluntur spiritus immundi à corporibus obsessis. Stude igitur, ut sicut à corporibus aliorum dæmones expellis: ita à mente,& corpore tuo omnem immunditiam, & nequitiam eiicias: ne illis succumbas, quos ab alijs tuo ministerio effugas. Disce per officium tuum uitiis imperare; ne in moribus tuis aliquid sui iuris inimicus valeat uendicare. Tunc etenim rectè dæmonibus imperabis: cum prius in te eorum multimodam nequitiam superas. Quod tibi dominus agere concedat per Spiritum suum sanctum.

Exorcista genuflexus admonetur à Pontifice,& instruitur.

Nota.

Exorcistatus Ordo quando fuerit institutus. Cap. V.

SAnè Exorcistatus Ordo institutus fuisse à Christo videtur, tunc, quando saliua sua tetigit aures, & linguam surdi, & muti, dicens: Effata, quod est adaperire: per hoc docens nos spiritualiter debere aperire aures præcordiorum hominum ad intelligendum, & ora ad confitendum, vt pulso dæmone, Spiritussanctus vas suum recipiat. Hoc etiam officio Exorcistæ usus est Christus, cũ dæmoniacos multos sanauit. Similiter & quando de Maria Magdalena Septem dęmonia eiecit.

Exorcistatus Ordo quãdo fuerit institutus.

Luc. 18.
Math. 8.
Mar 7.
Nota.
Mar. 16.

Character in quonam actu in Ordine Exorcistatus figatur, aut imprimatur. Cap. VI.

PRæterea, si quæris in quonam actu in Ordine Exorcistatus character imprimatur: Respondet ad hoc tibi Sanctus Thomas in quarto Sententiarum, uigesimaquarta distinctione, quod in traditione libri Exorcismorum cum debita forma uerborum: nam eius munus est, memoriæ commendare,& manus, ut suprà dictum est, super Chathecumenos,& Energumenos ponere.

S. Thom.

Quæ sit Materia Ordinis Exorcistatus. Cap. VII.

VLterius aduertendum est, quod huius Ordinis Exorcistatus est Materia, prædictus liber Exorcismorum, qui ab Episcopo ordinãte traditur ad tangendum ordinato.

Materia Ordinis Exorcistatus quæ.

Digitized by Google

Forma Ordinis Exorcistatus quæ sit. Cap. VIII.

Forma prædicti Ordinis quæ sit.

SEd forma antedicti Ordinis Exorcistatus est huiusmodi: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manum super Energumenum, siue Baptizatum, siue Cathecumenum: & porrigit ordinans, dum hæc verba dicit, librum Exorcismorum, & de hac forma dicitur in cap. Exorcista, distinct. 23.

A quonam Ordo Exorcistatus descenderit. Cap. VIIII.

Ordo Exorcistatus à quo dimanauerit d. 21. c. Cler. Mag. Sēt. Matt. 12. Luc. 11.

NVnc septimæ quæstionis scilicet, à quonam profluxerit iste Exorcistatus Ordo respondentes, & paucis satisfacientes, dicimus; huiusmodi Exorcistatus Ordinem descendisse (adhærentes verbis Magistri Sententiarum) à Salomone; qui quendam modum exorcizādi inuenit, quo dæmones adiurati, ex obsessis corporibus pellebantur: Huic autem officio mancipati Exorcistæ (vt dictum est) vocati sunt. de quibus Christus in Euangelio; Si ergo, inquit, in Beelzebub eijcio dæmonia, filij vestri, scilicet, Exorcistæ, in quo eijciunt?

Quanam verborum forma ordinans vtatur, cum Exorcistas facit, seu instituit. Cap. X.

Forma quanā sit creādi Exorcistas. c. Exorcista, dis. 23 Substātialia Ordinis Exorcistatus quæ sint.

LIcèt supra videatur esse dictum; obiter tamen; quibusnam verbis, seu quanam forma verborum vtatur Episcopus cum Exorcistas instituit; Attamen hoc vltimo loco distinctius, & expeditius hoc edocendi sunt ipsi Exorcistæ. Quare Episcopus; iuxta decretum Tholetani Concil. dist. 23. cap. Exorcista, cum eos instituit, librum in quo Exorcismi continentur, eis porrigit, dicens: Accipe, & comenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos, siue Baptizatos; siue Cathecumenos. Libri ergo acceptio, & verba præmissa sunt de substantia huius Ordinis: Cætera sunt solennitatis.

Exorcista qualis esse debeat. Cap. XI.

Oportet mūdā esse manū, quæ vult aliorū sordes abluere. Nota Luc 4.

SAnè Exorcista debet habere spiritum mundum, qui spiritibus immundis imperat; & malignum expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno: ne medicina, quam alijs facit, sibi non prosit; & dicatur ei: Medice cura teipsum.

Ordinandus in Exorcistam Baptizatus, & Confirmatus esse debet. Cap. XII.

Ordinād⁹ in Exorcistā Baptizatus & Confirmatus esse debet.

CErtum est, quod ille, qui cupit ordinari, & promoueri ad Ordinem Exorcistatus: Baptismatis sacro fonte ablutus esse debet: vt sancitur in c. veniens, de presbytero non baptizato. non tamē de necessi-

necessitate Confirmatus esse debet: quia si ordinaretur quis, Ordinis characterem reciperet. Hodie tamen Concilium Tridentinum non tantum ante Ordinem Exorcistatus uult præmitti, & dari Confirmationem ordinando; sed etiam antequam quis tondeatur, idest, Tonsuram accipiat. *Sess. 23. c. 4.*

Ad Exorcistatus Ordinem promouendus ex legitimo Matrimonio natus esse debet. Cap. XIII.

NOn solum autem characterem Baptismatis habere debet ordinãdus: Verum & quod ex legitimo Matrimonio procreatus sit, necessarium est: sic enim disponitur in cap. 1. extrà de filijs presbyterorum. & pro hoc uide, quæ suprà scripsi in tractatu de scientia Ostiarij: vbi referuntur causæ huius nostri dicti. *Ordinandus ex legit. matri. natus esse debet. Causa cur Ordinãdi ebeat esse legitimè remissiuè.*

Cuius ætatis esse debeat Ordinandus in Exorcistam. Cap. XIIII.

DIctum est sanè suprà, quod ad accipiendum primam Tonsuram septem anni requirantur completi. cap. finali, de temporibus ordin. in 6. Ad Exorcistatus autem Ordinem post septem annos quilibet ordinari potest: sicut notatur per Glo. in cap. in sing. dist. 77. & per totam etiam illam distinctionem. *Quæ ætas requiratur in Exorcistatus Ordine.*

Scientia qua ornatus esse debeat assumendus in Exorcistam. Cap. XV.

POrrò promoueri uolens ad Ordinem Exorcistatus, profectò saltem Linguam Latinam scire cogitur: prout dispositum fuit à Sanctis patribus Sacri Concilij Tridentini, in Sessione vigesima tertia, cap. vndecimo. *Scientia qua pditus esse debeat ordinãdus ad Ordinẽ Exorcistatus. Sess. 23. c. 11. & 7.*

Bonis moribus ornatus ad Ordinem Exorcistatus assumit debet. Cap. XVI.

QVilibet Ordo bonos præexigit insuper mores; & ideo ordinari desiderans ad Ordinem Exorcistarum, illis multum decoratus esse debet: præualent enim ij diuitiis, ac facultatib. omnibus. Non enim facultas, neque dignitas ita sufficiens est ad fidem, ut boni mores secundum humanas leges. *Boni mores reperiri debent in ordinando. L. scire. ff. de tut.*

Ordinandus in Exorcistam, quo tempore se promoueri facere debeat. Cap. XVII.

QVi item ordinari in Exorcistam properat: in quatuor temporibus, aut in Sabbatho Sancto, vel Sabbatho ante Dominicam de Passione; hoc agat, idest, ordinetur. Vel etiam in diebus Domi- *Quo tẽpore quis debeat ordinari.*

Digitized by Google

c. de eo, & c. ſanè. de temp. ord. nicis, & alijs feſtiuis diebus: quia Minores Ordines etiam diebus Dominicis, & feſtiuis conferri ſolent. vt diſponunt iura Canonica in cap. de eo, & in cap. ſanè de temp. ordin.

Promouendus in Exorciſtam quæ temporum interualla ſeruare debeat. Cap. XVIII.

Interſtitia Ordinum quæ ſint.

DIximus ſuprà in Tractatu de ſcientia Oſtiarij, quænam ſint interſtitia ſeruanda in ſingulis Ordinibus ſuſcipiendis: iccirco require ibi plenius: ne ſcripta ſcribere, & facta facere videar. Vnum eſt, quod quatuor Minores Ordines vni, aut duobus, vna & eadem die ſimul conferri poſſunt. d. cap. de eo, de temp. ordinan. Sacri vero in annis vigintiduobus, & in annis 23. & annis 25. conferuntur.

Cõc. Trid. Seſ 23. ca. 12. & 13.

Qui ſit inhabilis ad Ordinem Exorciſtatus. Cap. XIX.

Quis ordinari nõ poſſit ad Ordinẽ Exorciſtatus.

NVlla præterea mulier, nullus non habens ætatem legitimam, nullus illiteratus, nullus criminoſus, nullus bigamus, nullus Curialis, nullus ſeruus non manumiſſus, nullus illegitimus, nullus peregrinus, nullus infamis, nullus irregularis, nullus excommunicatus, aut cenſura aliqua innodatus, nullus Hermaphroditus, nullus denique initietur Minoribus Ordinibus; quem non ſcientiæ ſpes maioribus dignum oſtendat, ſecundum Concilium Tridentinum, & nullus huiuſmodi: (de quibus ſuprà dictum eſt in Tractatu de ſcientia Oſtiarij,) ad Exorciſtatus Ordinem aſſumi præſumat, ſtantibus prædictis.

De Sciẽtia Oſtia. c. 21. & 22. vt ſuprà.

Exorciſtæ officium circa quæ verſetur. Cap. XX.

CVm ſuprà dixerimus Exorciſtis omnibus cum ordinantur poteſtatem eſſe datam nomen Domini inuocandi ſuper eos qui ab immundis ſpiritibus obſidentur: Conſequens eſt; ad eoſdem pertinere & Exorciſmos memoriter retinere, & manus ſuper Energumenos, & Cathecumenos exorcizando imponere: ut bene dicitur in cap. perlectis, diſtinct. 25. Debent etiam Exorciſtæ, ſecundum Concilium Carthaginienſe; ipſis Energumenis, in domo Dei adſiſtentibus uictum quotidianum opportuno tempore miniſtrare. Sed nota, quod hoc officium nos tunc quidem adimplemus; cum per noſtras orationes uitium diaboli de homine expellimus; ſicuti fecit Chriſtus, qui de Maria Magdalena ſeptem dæmonia, vt dictum eſt, eiecit.

c. perlectis. diſt. 25. c. omni die, diſt. 5. de conſecr. Nota.

Digitized by Google

Exorcista quis dicatur præsens, & quis futurus.
Cap. XXI.

SEd prius quàm huic tractatui manum imponamus extremam, aduertendum nobis est; quod duo uidētur reperiri Exorcistarum genera: dictorum enim Exorcistarum quidam præsens nuncupatur; quidam verò futurus: & quidem Exorcista præsens, idest, iam Ordinatus, debet Exorcismos memoriter tenere, manusque super Energumenos, ac cæteros iam supradictos exorcizando imponere: vt benè dicitur in cap. perlectis, distinct. 25. At futurus Exorcista, idest, Ordinandus ad Ordinem istum, cum ipse ordinatur accipere debet de manu Episcopi librum, in quo Exorcismi sunt scripti, prout manifestè apparet in cap. Exorcista, dist. 23. Vbi dicitur: Exorcista cum ordinatur accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti exorcismi sunt, dicente sibi Episcopo: Accipe, & comenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manum super Energumenum, siue Baptizatum, siue Cathecumenum. ex quibus supradictis concluditur, præsentem Exorcistam habere potestatem exorcizandi; futurum verò debere talem potestatem accipere. *Exorcista duobus modis consideratur.*

Quisnam prædictorum Exorcistarum habeat exorcizare.
Cap. XXII.

VNde si quæritur modo, quisnam prædictorum Exorcistarum debeat exorcizare, presens ne, an futurus; dicimus, quod exorcizare pertinet ad Sacerdotem principaliter, ad Exorcistam tantūmodo instrumentaliter; sed certè, licet exorcizare sit proprium officium Exorcistæ: tamē de consuetudine totū fit à Sacerdote in quamplurimis. *Præsens, an futur' Exorcista debeat exorcizare.*

Exorcizandus quisnam sit. Cap. XXIII.

SEd quando quis est exorcizandus? dico, quod secundum Sanctum Thomam, & Augustinum in cap. sicut nostris, de consec. distinct. 4. ante Baptismum est exorcizandus; quod si non fiat; nihilo minus fiat post Baptismum susceptum. *Quando sit quis Exorcizandus.*

Exorcismus, & Cathechismus uti differant.
Cap. XXIIII.

Est tamen aduertendum, quod magnum discrimen est inter Exorcismum, & Cathechismum. Exorcismus enim, ut habetur de consec. distinct. 4. in cap. ante. 20. dies. est adiuratio contra Diabolum, & ordinatur ad remouendum malum etiam operando, vel efficiendo: vnde propter hoc Exorcistæ Græcè, Latinè adiurantes dicuntur, siue increpantes. Cathechismus verò est instructio credendorum *Exorcism', & Cathechism' qualiter inter se differāt.*

explicitè,

Digitized by Google

explicicè, Baptiſmum præcedens; ordinans ad bonum, nihil efficiendo, ſed inſtruendo tantum: Vnde dicitur à Cathechizo, ideſt, doceo, uel inſtruo: & de hoc habetur in cap. per Cathechiſmum, de cognat. ſpir. lib. ſexto, & cap. Ante baptiſmum, de conſecr. diſt. 4. Nunc uidendum eſt, an exorcizanti hominem, qui ſit dæmoniacus: liceat adiurare talem dæmonem, ut dicat nomen ſuum, uel aliquid tale propalet.

Exorcizans dęmoniacum, vtrum poſſit dęmonem adiurare, vt nomē edat, vel huiuſmodi.

Exorcizanti dæmoniacum; vt dæmon nomen edat, aut Societatem, vel vexandi cauſam deſignet, et huiuſmodi; num adiurare liceat. Cap. XXV.

AT ſi quæratur utrum exorcizanti (dum dæmoniacum exorcizat) adiurare liceat dæmonem illum, ut dicat nomen, & ſocietatem ſuam, & cauſam uexandi hominem, & huiuſmodi: dicemus, quod ſicut licet ei adiurare eum, ut non noceat; ita etiam licet ei adiurare eum, ut exeat; quia non exeundo nocet. Itemque etiam exorcizans licitè adiurat eum imperatiuè, ut ſuum nomen fateatur, ſimiliter, ut dicat cauſam uexandi hominem, ut eam ad cautelam amoueamus; ſimiliter, ut dicat ſocietatem ſuam, ut imperemus exeunti, ut ſecum quantum poteſt ſocios trahat; quæ omnia talia ordinantur non ad conſequendum beneficium per eos, ſed ad nocumentum repellendum; nam & hæc omnia Sancti leguntur imperaſſe, & hac etiam ratione non ſolum licet adiurare dæmones non obſidentes, ne adiuuent obſidentes, ſed etiam ſuperiores, vt expellant inferiores.

Exorcizator an curioſa vel nō facietia ad expulſionē dęmonis poſſit imperare.

Exorcizator an poſſit quærere à dæmone curioſa, aut imperare ei non facientia ad eius expulſionem. Cap. XXVI.

SI autem Exorcizator imperet dæmoni, ut dicat curioſa, & nihil ad expulſionem dæmonis facientia; non quia illi credat, ſed quadam leuitate, & curioſitate ductus; peccat tunc quidem talis Exorcizator grauiter; non tamen uidetur mortaliter peccaſſe: quia non uidetur mortale; niſi cum quis adiurat obſecratiuè, aut ad aliquid conſequendum, puta ſeruitium, obſequiumue aliquod, uel notitiam quod iſte talis non facit, quia ei, ut dictum eſt, non credit: quod ſi ei crederet, ut necromantici; credo eſſe mortale; quia pertinet ad amicitiam. Itaque ex ſupradictis apparet, quod adiurare dæmones imperatiuè, uel compulſiuè, non ad aliquid per eos obtinendum; ſed ad eorum nocumentum repellendum, puta adiurando, ne nobis, aut ſocio, tanquam noſtri aduerſarij in curſu huius uitæ ſpiritualiter noceant: eſt licitum ſecundum poteſtatem nobis traditam à Chriſto. Luc. Dedi, inquit, uobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſupra omnem uirtutem inimici. &c.

Exorcizatori quomodo liceat adiurare dæmones. Luc. 10.

Exor-

Digitized by Google

Exorcizanti num liceat adiurare creaturas irrationabiles.
Cap. XXVII.

Similiter si quæratur vtrum liceat adiurare creaturas irrationales, respondebimus; quod si adiurentur secundum se absoluté, est uanum, quia nec imperium, nec obsequium intelligunt, & est illicitum: quia uané assumitur nomen Domini. Si veró adiurentur relatiué, idest, habendo respectum ad Deum, à quo mouentur, est licitum respectu Dei deprecatiué quomodo Sancti miracula faciunt. At si respectu dęmonis imperatiué adiurantur, ne huiusmodi irrationabilibus creaturis tanquam instrumentis vtatur ipse dæmon ad nocendum, (quemadmodum adiurantur hodie ipsi Dæmones ab Exorcistis Ecclesiæ,) licitum similiter esse hoc videtur adiurandi genus.

Adiurare creaturas irrationabiles num Exorcizantis sit licitũ.

Adiuratio licita & illicita esse quando dicatur.
Cap. XXVIII.

Est autem adiuratio licita adiuratio deprecatiua ad omnes subiectos, & non subiectos, vt puta, si Episcopus sic aliquem subditum suum, vel etiam non subditum suum adiuret, scilicet; Adiuro te, ac rogo per Deum, vt mihi dicas, quid scias de tali re: vel adiurat subiectum imperando, dicens: Adiuro te per Deum, ac præcipio, vt mihi dicas hæc, & hæc: Vnde apparet, quòd adiuratio licita est deprecatiua ad subiectos, & ad non subiectos: sed imperatiua ad subiectos tantum. At adiuratio illicita est adiuratio imperatiua ad non subiectos; sicut adiurauit Christum Caiphas, dicens: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. Non enim homo poterat Deo imperare, vt Caiphas homo Imperauit Domino nostro Iesu Christo: & proinde hæc talis imperatiua adiuratio dicitur illicita: quemadmodum illicita dicitur esse etiam aliis modis: Primò, si fiat imperatiuè ad subditum, sed quantum ad aliquid, in quo non est subditus. Secundò, si fiat imperatiuè ad non subditum. Tertiò, si fiat ad Dæmones deprecatiuè. Quartò, si fiat ad Dæmones imperatiuè ad aliquid addiscendum, vel per eos consequendum. Quintò, si fiat ad eosdem imperatiuè ex leuitate, aut curiositate. Sextò, si fiat ad irrationalia, secundum se, vt dictum est. Septimò, si fiat ad Deum, vel homines, vel Angelos, vel Dæmones, aut irrationalia leuiter, id est, sine reuerentia diuini nominis, aut sine necessitate. Est autem adiuratio, secundum Diuum Thomam secunda secundæ, quæst. 90. aut diffiniri potest adiuratio sic, scilicet; Adiurare est aliquam personam, vel rem, imperando vel obsecrando, inducere ad aliquid faciendum, vel non faciendum, ex inuocatione alicuius sacræ rei: sicut Apostolus Romanos adiurat, dicens: Obsecro vos per misericordiam Dei, &c. & Ecclesia adiurat Christum, dicens: Per crucem tuam, & cætera.

Adiuratio licita, & illicita quæ.

Adiuratio licita est deprecatiua ad subiectos, & non subiectos.

Imperatiua verò est ad subiectos tantum.

Adiuratio imperatiua cur dicatur illicita.

Illicita adiuratio est illicita multis modis.

S. Thom.


Adiuratio quid sit.

Rom. 12.

An

An omnis Exorcista, aut etiam Sacerdos possit hodie sine licentia exorcizare, aut adiurare. Cap. XXIX.

VErum maximè est nobis aduertendum; quòd hodie non omnis Exorcista, aut etiam Sacerdos exorcizabit, aut adiurabit sine superiorum suorum licentia, & authoritate; quod quidem fit: ne, dum quis se Exorcistam, aut adiuratorem exhibet, incantatorem, aut necromanticum, aut superstitiosum illum detegamus; ut usu sæpenumero euenire solet. Vitam ergo, scientiam, doctrinam, mores, & qualitates omnes adiuratoris, ac sanctimoniam ante omnia vult superiorum authoritas cognoscere; deinde hac habita notitia, adiurandi facultatẽ, & exorcizandi impartitur: ne sub prætextu boni, malum aliquod machinaretur adiurator circa personam adiurandam. Benè verũ est, quod Parochi solent hodie de consuetudine suos adiurare Parochianos, absque alia superiorum licentia: quam quidem licentiam assequi uidentur in eo, quod Parochiale beneficium obtinent, cuius vigore Confessiones etiam audiunt, vt dicitur in Concil. Trid. Sess. 23. c. 15. Licet ergo in sua Ordinatione Exorcista, & Presbyter omnis, exorcizandi potestatem accipiat; nullus tamẽ ad exorcizandum se idoneum reputare debet, nisi parochiale beneficium habeat; aut ab Episcopo, & superiore suo approbetur ad adiurandum idoneus.



SVM-

Digitized by Google

SVMMARIA SINGVLORVM CAPITVLORVM QVINTI TRACTATVS.

De scientia, quam habere debet Acolythus.

Præfatio earum rerum, quæ de Acolythatus ordine dicenda sunt. Cap. I.

POstquam aliqua hucusque de cæteris Ordinibus Minoribus prælibauimus, ideo nunc reliquũ est, ut de alio quarto, s. & ultimo Ordine, scilicet Acolythatus, similiter aliqua subodoremus. Præ cęteris igitur alijs circa hunc Ordinẽ quęremus primò quidnã sit Acolythatus Ordo. Secũdò Acolythi unde dicti sint. Tertio, unde

Acolythatus

Acolythatus Ordo sumpserit originem. Quartò, quis instituerit in Ecclesia Dei Ordinem Acolythatus. Quintò, in Acolythatus Ordine in quo actu imprimatur, seu figatur Character. Sextò, quænam sit Ordinis Acolythatus Materia. Septimò, quænam eius sit Forma. Octauò, sub quibus verbis Acolythi ordinentur, seu instituantur. Nonò, quosnam Acolythi nostri temporis dicatur imitari. Decimò, quodnam Acolythorum sit officium. Vndecimò, quando Christus Acolythorum munus adimpleuerit.

Acolythatus Ordo quid sit. Cap. II.

Est autem Ordo Acolythatus nihil aliud, quam potestas quædam, per quam ordinatus in Acolythum potest funalia, idest, intorticia, seu cęreos in sacrario præparare, ac eadem vna cum vino, & aqua suggesta pro Eucharistia ad altare Dei portare; subdiaconisque ministrantibus porrigere, seu mauis præparare, eisque operam dare.

Acolythi vnde dicti sint. Cap. III.

Acolythus vnde dicatur.

Acolythus, secundum Beatum Isidorum; in cap. Cleros, dist. 21, dicitur Gręcè, Latinè verò dicitur Ceroferarius, à deportandis cæreis, quando legendum est Euangelium, aut Sacrificium offerendum; tunc enim accenduntur Luminaria ab Acolythis: & deportantur ab eisdem non ad fugandas aeris tenebras; cum sol eo tempore rutilet; sed ad signum lætitiæ demonstrandum: vt sub typo luminis naturalis, corporalis, illa lux ostendatur: de qua in Euangelio legitur; Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vel Acolythus; secundum aliquos dicitur accensor, eo quia, luminaria in Sacrario, vel etiam in altaris ministerio accendat, vt dictum est. Vel Acolythus dicitur assectator, comes, ministrans, quod ministros maiores, puta Subdiaconos, & Diaconos ad altaris ministerium peragendum comitetur, aut assectetur, eisque, ut dictum est, det operã.

Luminaria cur accendãtur quãdo legitur Euãgeliũ.

Acolytatus Ordo vnde sumpserit originem. Cap. IIII.

Acolythi vnde initium suum duxerint. Exod. 27.

Et aduerte, quod Ordo Acolythatus, seu mauis Acolythi, ab Aaron, & filijs eius huius ministerij sumpserunt exemplum: vnde legitur in Exod. Præcipe; inquit Deus filijs Israel, vt afferant oleum de arboribus oliuarum purissimum, piloque contusum: vt ardeat lucerna semper in tabernaculo testimonij: & collocabunt eam Aaron, & filij eius, vt usque mane luceat coram Domino. Quod ergo tunc, & olim Sacerdotes agebant, hoc nunc Acolythi faciunt, & adimplent in ministerio lucernarum: quoniam præparant luminaria, vt dictum est, in Sacrario. Multa quidem non solum in nouo, verumetiam in ueteri Testamento superaddita legi Mosaycæ legimus, & mutata: vt etiam dicitur in cap. non debet, de consang. & affinit. Hinc Dauid in libro primo

c. nõ debet, de cõsan. et affin.

Digitized by Google

primo Paralipomenon dixisse perhibetur: Non erit officium Leuitarum, vt portent vltrà, idest, amplius Tabernaculum, & omnia vasa eius ad ministrandum. Itaque concludimus, quod huius officij formam illi gerebant in veteri testamento, qui lucernas componebant, & accendebant igne cęlesti ad illuminandas tenebras Aquilonares. *Paral. 23.* *Nota.*

Quis instituerit in Ecclesia ordinem Acolythatus. Cap. V.

NVnc verò Acolythatus Ordinem in Ecclesia Dei Christum Dominum nostrum instituisse, & ipsum Christum illum habere, nemo profectò ambigere potest: si quidem dum dixit Christus Scribis, & Pharisęis: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit lumen vitæ; tunc quidem dignoscitur ex illis verbis, ipsum Ordinem Acolythatus instituisse in Ecclesia Dei, & omninò illum exercere uoluisse: quod & Caterua Theologorum tenet, & seruat. *Acolytatus Ordo quando institutus sit. Ioan. 8.*

Acolythus, vt dignè suscipiat Ordinem Acolythatus; quas debeat habere qualitates. Cap. VI.

DE cōditionibus illius qui ordinari quærit ad Ordinē Acolythatus; volentibus nobis diligenter differere, profectò non sufficeret nobis annus ad dicendum de illis: vndè propterea hic multa paucis perstringam; & vbi mancus fortè uisus fuero alicui, talis poterit requirere suprà tractatum secundum; in quo quamplurima pro se comperiet. Itaque oportet primò ordinandum ad Acolythatus Ordinem esse Baptismatis charactere insignitum; Deinde Sacra Confirmatione, idest, Sacramento Chrismatis roboratum esse conuenit. Tertiò, debet ex legitima coniugum, seu mauis parentum coniunctione ortum duxisse, seu natum esse: Causa autem huius dicti supra exposita fuit. Quartò, annum saltem octauum ordinandus attigisse debet, vt innuitur cap. fin. de temp. ordinan. in sexto, & in cap. in singulis, dist. 77. Quintò, & scientia præditus esse debet: de qua meminit Concil. Trident. dum de qualitatibus ordinandorum verba facit. Sextò, moribus ornatus, & imbutus esse debet, prout disponit iam præpedictum Concil. Trident. cap. quinto & septimo. in temporibus à iure statutis, nempè in Quatuor temporibus, in Sabbatho ante Dominicam de passione, & in Sabbatho Sancto, ordinem accipere ipsum oportet. Benè verum est, quod aliquando in Dominicis diebus, & festiuis etiam poterit ordinari quis ad Ordinem hunc Acolythatus teste Pontific. c. sanè, & c. 1. & c. de eo, de temporibus ordinandorum. Octauò, ordinandus non debet esse Seruus, aut Infamis, aut criminosus, aut Bigamus, aut Neophitus, aut Excommunicatus, Interdictus, aut Suspensus, aut Cōiugatus, aut Hermophroditus, aut Mulier: quia talis repellitur ab Ordinibus suscipiendis, vt dictum est supra tract. secundo, cap. 21. & 22. de quibus, & alijs quamplurimis huiusmodi vide ibi. *Promouendus ad Ordinē Acolythatus quibus præfulgere debeat qualitatibus.* *Tract. de scientia Ostiarij & trac. de scientia Exorcist.* *Sess. 23. ca. 11. & c. 7. & c. 5.* *Inhabilis ad ordinandum* *Suprà cap. 21. & 22.*

Susceptturus

Digitized by Google

Susceptarus Acolythatus Ordinem superpellicio indutus, ac cum candela in manibns genuflexus coram ordinante apparere debet.
Cap. VII.

TEr, quaterque diximus; quemcunque uolentem vnum, aut etiam omnes quatuor insimul ordines accipere; semper in superpellicio oportere genuflexum se coram suo Episcopo ostendere cum candela in manibus eius. Cupienti igitur Ordinem Acolvthatus suscipere, & cum superpellicio, & cum candela necesse erit adesse suo Ordinario, aut alteri, de licentia eius Ordines conferre volenti.

Quæ admonitio fiat ab ordinante ad ordinandum in Acolythum.
Cap. VII.

Futurum Episcopus istruit Acolythum.

SVscepturus Carissime Acolythorum officium: pensa quod suscipis. Acolythum etenim oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum, & aquam ad Eucharistiam seu misterium sanguinis Christi ministrare: stude igitur susceptum officium dignè implere. Non enim Deo placere poteris; si lucem Deo manibus præferens operibus tenebrarum inseruias; & per hoc alijs exempla perfidiæ præbeas: sed sicut veritas dicit: Luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera uestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cęlis est; & sicut Apostolus Petrus ait: In medio nationis Prauæ, atque peruersæ positi, lucete sicut Luminaria in mundo. Sint ergo lumbi tui præcincti, & lucernæ ardentes in manibus tuis, ut filij lucis sis, & abijcias opera tenebrarum, & induaris armis iustitiæ. Fuisti enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filij lucis ambula. Quæ sit verò ista lux, quæ tantopere luceat Apostolus ipse demonstrat subdens: Fructus enim lucis, est in omni bonitate, Iustitia, & veritate. Esto igitur solicitus in omni iustitia, bonitate, & veritate, ut te, & alios, & Dei Ecclesiam illumines: tunc etenim in Dei Sacrificio dignè uinum suggeris, & aquam, si tu ipse Deo sacrificium per castam vitam, & bona opera oblatus fueris. Quod tibi Dominus concedat per misericordiam suam.

Luc. 12.
Ephes. 5.

In Acolythatus Ordine in quo actu imprimatur Character. Cap. IX.

AMplius, si quæratur in quo nam actu in Ordine Acolythatus infigatur, seu mauis imprimatur Character: ad hoc intrepidè respondebimus, secundum Beatum Thomam in 4. Sent. dist. 4. quod in traditione candelabri cum cęreo, ac urceolorum vacuorum; quibus aqua, & vinũ in Sacrificio ministratur; cum debita uerborum forma (de qua infra dicemus ab Episcopo prolata; Character imprimitur, & infigitur.

S. Thomas.

Acolytha-

Digitized by Google

Acolythatus ordinis Materia quæ sit. Cap. X.

Materia Ordinis Acolythatus quæ.

POrrò ordinis Acolythatus materia est candelabrum prædictum cum cęreo extincto; ac ipsi vrceoli vacui; quibus, ut prælibatum est, aqua, & vinum in Sacrificio Missæ ministratur.

Ordinis Acolythatus Forma quæ sit. Cap. XI.

Forma Ordinis Acolythatus q sit.

VErum Formam Ordinis huius Acolythatus esse dicimus verba, quę ab Episcopo proferuntur, quando ordinatis in Acolythos tradit Materiam, scilicet, Candelabrum, & Vrceolos aquæ, & vini vacuos; nempè hæc: Accipe Ceroferarium cum cæreo; & scias ad accendenda luminaria te mancipatũ esse in nomine Domini: & Accipe Vrceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiæ, & sanguinis Christi Sacramentum; & porrigit hæc dicens verba, Episcopus Candelabrum cum cęreo, & Vrcęolis. Præmissa igitur verba, & vtensilia, sunt huius Ordinis Acolythatus substantialia, cætera sunt de solennitate.

Substantialia Ordinis Acolythatus q̃ sint.

Acolythi sub quibus verbis ab Episcopo instituantur. Cap. XII.

Acolythus vti instituatur.

SEd si quis percunctetur, & roget aliquem Acolythum, quærens ab eo, non de Forma; sed dicat: quomodo, vel quibus verbis instituuntur ab Episcopo Acolythi: eadem potest in medium pro institutione Acolythorum afferre verba; quæ de ipsa Forma retulit: scito, quod quãdo ordinantur Acolythi hic ritus ab Episcopo, quo ad Formã Ordinis Acolythatus iam vsus est, seruari consueuit, scilicet: Accipe (postquam eos officij sui diligenter admonuit) cęroferarium cum cęreo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini. Deinde (traditis in hunc, quem dixi modũ, luminibus singulis eorum) tradit Vrceolos vacuos, dicens: Accipe Vrceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Dñi: hæc autem Forma institutionis Acolythorũ habetur apud Gratianũ registrata in c. Acolythus. dist. 23. quam quilibet potest per semetipsum conspicere.

Acolythorum officium quodnam sit. Cap. XIII.

Officiũ Acolythorum quod sit.

AD Acolythum pertinet in primis præparare luminaria in Sacrario. Secundo, ad eum spectat similiter vasa, in quibus ponitur ab eo vinum, & aqua pro Eucharistia conficienda pręparare. Tertio loco ad Acolythũ spectat iã dicta luminaria deferre ad Missæ Sacrificium, idest, cum Missæ Sacrificiũ celebratur: Itẽ & ipsa vasa portat ad altare, in quibus vinum, & aqua est positum, vt suggerantur in Eucharistiã Christi. Munus itẽ Quarto loco ipsius Acolythi est, ut ministros maiores, idest, Subdiaconos, & Diaconos in altaris ministerio assectetur, eisque det operam vbi est opus.

Digitized by Google

Acolythi cur teneant Candelabra in manibus donec incipiat dici: Chyrie eleyson. Cap. XIIII.

Candelabra cur teneantur in manib⁹ ab Acolythis donec dicitur Chyrie eleison.

SCiendum nobis est, quod Acolyti ante altare tenent in manibus Candelabra, & Luminaria; quæ Doctorem in Sacris literis solent adnotare, iuxta illud: O Doctor optime Ecclesiæ sanctæ lumen, &c. donec incipit dici Chyrie eleyson: ad notandum, quod Doctor opere debet exercere, quod docet, quodque non debet rudem populum deserere, donec sciat profiteri, & dicere: Domine miserere.

Acolythi cur cum Thuribulo, & incenso præcedant Diaconum, dicturum Euangelium. Cap. XV.

Acolythi cur Diaconũ dicturũ Euangeliũ præcedãt.

PRæterea ante Thuribulum præmittit Diaconus duos Acolythos cum faculis accensis. Primò; quia debet desiderium, & gaudium auditorum accendere, quatenus, & libenter, & gratanter audiant. Secundò Sacerdos, uel etiam Episcopus præmittit ante Diaconum duos Acolythos portantes Cæreos, & incensum; ad notandum, quod Christus præmittebat binos ante faciem suam in omnem Ciuitatem, quo erat uenturus; præferentes coruscationes miraculorum, & odorem uirtutum.

Acolythorum officium in vesperis dicendis. Cap. XVI.

ITem Acolythorum officium est, non solum ut Sacrosanctæ Missæ Sacrificio deseruiant, verumetiam, ut Vespertinis horis intersint: proinde præparata iam ab eis in Sacrario Luminaria accipere solent in manibus, tempore quo egressurus est Hebdomadarius de Sacrario, & astare ante sacrarij portam, & cum ipse egreditur, statim eum solent antecedere, & ad altare progredi, & cum peruentũ est ad illud genuflectere, seu reuerentiam facere ei primo debent; postmodum Canonicis, & aliis inibi ad canẽdum uesperas præparatis: post uerò inchoationẽ dictarũ Vesperarũ deponũt candelabra, quæ iterum cũ dicendũ est Capitulũ, assumunt, & ante facientẽ officiũ tenent ipsa Cãdelabra: Cũ etiã dicitur Oratio ab Hebdomadario ipsi similiter adstant ante faciem illius tenentes eadem funalia accensa: qua finita, remeant ante omnes ad sacrarium luminaque extinguunt.

Munus Acolythorum in diebus Litaniarum, Palmarum, similiter & Cœna Domini, Parasceue, & Sabbathi Sancti. Cap. XVII.

Munus Acolythorũ circa quanam alia versetur.

IN processionibus uerò, seu mauis in Litaniis Acolythi unus à dextris, & alter à sinistris mansionarij, portantis vexillum Sanctæ Crucis, an-

cis antecedere consueuerunt; sicut hodie in quamplurimis videre nobis licet. Similiter in processionibus in die Palmarum Acolythi cum candelabris accensis incedunt, a dextris vnus, & alter à sinistris Subdiaconi deferentis Crucem. Pariter etiam Acolythi in Cœna Domini solent Sacramentum continuè incensare usque ad locum præparatum, vbi pro die sequenti seruandum est. Officium item Acolythorum est in die Veneris Sancti; dum Sacerdos, & ministri orant prostrati ante altare, vnam mappam lineam, seu sindonem extendere super altare. Similiter eo die Acolythi cum duobus Thuribulis continuè Sacramentum incensant, dum de Sepulchro ad altare solitum defertur. In die verò Sabbathi Sancti Acolythi assumunt de carbonibus benedictis, & eos ponunt in Thuribulo. Solent item quinque grana incensi benedicti in vase deferre illomet die. Similiter & candelam accensam de nouo igne deferre, & alia multa, de quibus per Missale fusè dicitur in suis rubricis, & de quibus te Acolythe instruet Magister Cœremoniarum illius Ecclesiæ, in qua præstiturus es obsequium tuum, & vide quæ dixi infrà in tractatu de Scientia, quam habere debet presbiter in tracta.2.cap.45.cum sequentibus. *Author ubi.*

Acolythi nostri temporis quosnam imitentur. Cap. XVIII.

PRius quam extremam manum huic tractatui imponamus; visum etiam est mihi, & hoc dicere, nempe Acolythos nostri temporis imitari carminum scriptores, qui erant apud Gentiles, seu emunctores, siue luminum extinctores, qui lucernas emungebant, & luminaria concinnabant; vt Nadab, & Habiu, de quibus rationale diuinorum officiorum fatur.in cap.7.lib.2. *Acolythi nostri tẽporis quosnã imitari dicantur.*

Acolythorum Officium quando adimpleuerit Christus Dominus noster. Cap. XIX.

ACōlythorum munus, seu officium, adimpleuisse Dominum nostrum Iesum Christum; quando dixit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ; ex ijs, quæ supra diximus hoc eodem tractatu potest elucescere: iccirco non utar pro hoc explicando pluribus verbis. Verum nos Sacerdotes tunc hoc Acolythorum officium adimplemus; cum ignem verbi cœlestis: quo fratres ad cognoscendum Deum illuminentur, & inflammentur, prędicãdo ministramus, & dum lucem boni operis alijs ministramus. *Officiũ Acolythorũ qñ adimpleuerit Dominus noster.*

Duo Luminaria, quæ feruntur ab Acolythis, quid innuant. Cap. XX.

Cerei duo qui feruntur ab Acolythis quid significent.

FEruntur igitur duo Cœrei ab Acolythis; quando faciendum est sacrificium, vel celebrandum aliud quidpiam tale, in signum duo-

Digitized by Google

rum præconum, qui præcedent secundum aduentum, scilicet, Heliæ, & Enoch. Verum & quod sequitur aduertendum est.

Quænam alia scire, & curare debeat ordinandus. Cap. XXI.

Ordinandus ab alio q̃ à proprio Epõ, debet habere literas dimissoriales. Sess. 23 c. 8. & 10. Sess. 7. c. 10

Nemo per saltum promoueri debet

VLtimo loco scire debet quilibet ordinari cupiens, quod a proprio Episcopo ipse ordinari debet, secundum dispositionem Concilij Tridentini: quod si quis ab alio promoueri petat: à suo proprio Episcopo, vel Sede uacante à succedentibus in Iurisdictione Episcopi, obtinere debet literas dimissoriales, quas reuerendas quidam dicunt. Item talis Ordinandus animaduertere debet, nè vnum pro alio accipiat Ordinem: vt sæpe caueat, ne primo capiat Lectoratus Ordinem prius quam ceperit Ostiariatus: aut Acolythatus, prius quam Lectoratus Ordinem assecutus fuerit.

Ordinatus ad omnes quatuor Ordines Minores quonam gaudeat priuilegio. Cap. XXII.

Clerici q̃n non gaudeãt priuilegio fori Ecclesiastici. Sess. 23 c. 6

NOuissimo verò loco animaduertat constitutus in quatuor Minoribus Ordinibus: quod fori priuilegio nullatenus, secundum Concilium Tridentinum gaudet; nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat; vel in Seminario clericorum, aut in aliqua Schola, vel Vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Maiores Ordines suscipiendos versetur.



SVMMA-



SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
PRIMÆ PARTIS
SEXTI TRACTATVS.



1 *SVbdiaconatus Ordo quid sit.*
2 *Ordinem Subdiaconatus quis instituerit.*
3 *Ordinandus in Subdiaconum quomodo debeat accedere ad huiusmodi Ordinē, idest, quibus qualitatibus præditus esse debeat.*
4 *Subdiaconatus Ordinem suscepturus animo communicandi accedere debet.*
5 *Ordinandus in Subdiaconum quæ secum portare, ac circa se habere debeat, cum se coram ordinante præsentat.*
6 *Prima admonitio quæ fit ab ordinante ad ordinandum in Subdiaconum quæ, & qualis sit.*
7 *Secunda admonitio ad futurum Subdiaconum circa quæ uersetur.*
8 *In quo actu in Ordine Subdiaconatus character insigatur.*
9 *Materia Ordinis Subdiaconatus quæ sit.*
10 *Forma Ordinis Subdiaconatus quæ sit.*
11 *Subdiaconi institutio qualiter fiat.*
12 *Subdiaconus cur sic appelletur.*
13 *Subdiaconi nostri temporis quos repræsentent.*
14 *Ordinis Subdiaconatus officio quando Christus usus sit.*

Digitized by Google

DE SCIENTIA
QVAM HABERE DEBET
SVBDIACONVS.

Præfatiuncula in Tractatum de scientia Subdiaconi.

POSTQVAM; Deo authore; hucusque tractauimus de quatuor Minoribus Ordinibus; etsi non quantum res ipsa exigebat forte: nunc ideo Deo nobis præuio, & propitio, ad discussionem officij Subdiaconi transeamus; quærentes in primis quid sit Ordo Subdiaconatus; & an Subdiaconatus Ordo sit Sacer: quis instituerit hunc Ordinem; & quomodo ordinandus ad hunc Ordinem accedere debeat ad illum; & in quo actu in Ordine Subdiaconatus character imprimatur; & quæ Materia sit huius Ordinis; & quæ Forma; qua item forma verborum ordinans vtatur ad instituendum Subdiaconum; & quodnam sit officium Subdiaconi; Subdiaconusque cur sic appelletur; & Subdiaconi nostri temporis quosnam antiqui temporis imitentur; & officio Subdiaconatus quando Dominus Iesus Christus vsus sit; & cætera huiusmodi: de quibus in progressu nostri tractatus videbimus Deo dante.

Subdiaconatus Ordo quid sit. Cap. I.

Subdiaconatus ordo quid sit.

EST igitur Subdiaconatus Ordo quædam potestas, per quam ordinatus in Subdiaconum potest Sacra lintea, Vasa, Panem, & Vinum; ad Sacrificij vsum necessaria, parare, & ad Altare Dei ea portare.

Subdiaconatus an sit Ordo Sacer. Cap. II.

Subdiaconatus sit ordo sacer.

LIcet in primitiua Ecclesia reperiretur esse Ordo Subdiaconatus: nō tamen ipse reputabatur Sacer: verum noua Christi ecclesia, illum omnino Sacrum esse tenet, & declarat: & præsertim Innocentius Papa III. in cap. quod incipit; à multis, extra, de ætate, & qualitate ordinandorum. Cum itaque sic à Sancto illo Pontifice determinatum fuerit: ideo & nos huiusmodi Subdiaconatus Ordinem esse computandum inter Sacros Ordines, firmissimè tenere debemus.

Quæritur nunc quis instituerit hunc Subdiaconatus Ordinem. Cap. II.

HVnc profectò Subdiaconatus Ordinem instituisse Christum, quemadmodum & alios ordinasse, & instituisse supra diximus; firmissimè

Digitized by Google

firmissimè tenendum est cum tota Theologorum Schola: qui uno ore dicunt, Christum tunc ordinem hunc instituisse, & exercuisse, quando linteo se præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit, & extersit linteo quo erat præcinctus. Item & quando, secundum aliquos, in Cana Galileæ de aqua uinum fecit. Hoc autem officio congruè quidem, & dignè, & nos vtimur etiam, quando tantæ sumus munditiæ, quod consilio, & exemplo nostro cæteri à sordibus criminum lauentur.

Ioan. 13. Ration. diuin officiorum, lib. 2. cap. 8. Ioan 2.

Ordinandus in Subdiaconum quomodo debeat accedere ad huiusmodi Ordinem, idest, quibus qualitatibus præditus esse debeat. Cap. III.

SAnè ad susceptionem omnium Ordinum debitis cum conditionibus, & qualitatibus bonis accedendum est, & maximè Sacrorum Ordinum; unde propterea ordinandus ad Subdiaconatus Ordinem Baptismatis charactere in primis, & Sacra Confirmatione insignitus, confortatusque esse omninò debet. cap. ueniens, de presbyt. non baptizato, Conc. Trid. Sess. 23. c. 4. Secundò, Confessionem peccatorum suorum fecisse ante oportet. cap. fin. dist. 24. Tertiò, Tonsura, ac quatuor Ordinibus Minoribus ordinatus esse debet; dist. 24 per totum. Quartum debet accedere, ut sit legitimè natus. cap. 5. Sess. 23. per Concil. Trident. cap. 1. de filijs presby. Quintò, cum ætate sufficienti, & legitima debet accedere: Vnde ad Subdiaconatus ordinem qui uult promoueri, præseferre debet annos 22. Conc. Trident. Sess. 23. c. 12. Sextò, scientia ornatum accedere item ipsum oportet. idem Concil. cap. 5 & 7. & 11. Septimò cum bonis moribus. dicto Conc. eadem Sess. cap. 5. & 7. Octauò, cum approbatione præcedenti, quod in minoribus Ordinibus uersatus, ac approbatus sit, quo ad eorum exercitium, & instructionem. cap. 13. & cap. 17. Sess. 23. idem Concil. Nonò, cum continentia, splendore, & candore, quibus præfulgeat, accedere debet. dicto cap. 13. Sess. 23. Vnde Romanus Cathechismus de hac continentia sic fatur, dum de hoc ordine disserit; Primum enim, inquit Episcopus legem perpetuæ continentiæ huic ordini impositam esse admonet, edicitque neminem in Subdiaconorum Ordinem cooptandum; cui ultrò hanc legem accipere non sit propositum; & Esaias ait; Mundamini qui fertis vasa Dñi. Decimò, ordinãdus accedere debet cum tempore, i. in tpe, in quo à Sancta Dei Ecclesia statum est conferri huiusmodi Ordinem; unde consueuit Sancta Dei Ecclesia hunc Sacrum Ordinem in quatuor temporibus tantummodo, aut in Sabbatho Sancto, uel in Sabbatho ante Dominicam Passionis conferre, & nullatenus alio unquam tempore, nisi ex speciali Sedis Apostolicæ mandato, propter aliquam necessitatem, cap. 1. & c. de eo, & cap. sanè, de tempp. ordinan. & Conc. Trident. Sess. 23. cap. 11. Vndecimò, ordinandus accedere debet cum interstitiorum reseruatione, idest, seruatis temporum interstitijs, ut uidelicet, Primò quis exercitatus sit in ministerio uniuscuiusque Ordinis

Ad Subdiaconatus Ordinẽ quomodo sit accedẽdum. c. ad aures, de tempo. ordin. c. ignorantia, dis 38. Cõci. Trid. Sess. 23. c. 17. siquam probati. Cathechis. Nota. Esai. 52.

Digitized by Google

Minoris.dicto c.17. Concil.Trident.Deinde, non nisi post annum à susceptione postremi gradus, scilicet, Ordinis Acolythatus ad hunc Subdiaconatus Ordinem promoueri debet.cap.11.Conci.Trident.Sess.23. Tertiò in vigesimo secundo ætatis suæ anno, ad hunc Subdiaconatus Ordinem studeat promoueri. Quartò, promotus in Subdiaconum si per annum in eo non fuerit uersatus, ad altiorem non promoueatur. dicto cap.13. Concil. Trident. vtque primo Subdiaconatum deinde Diaconatum accipiat. Nec duos eodem die Ordines præsumat habere, sed seruatis à iure interuallis, de quibus supra dictum in decima conditione, quam habere debet Ordinandus ad Subdiaconatus Ordinem: Hos tales Ordines accipere licet. Duodecimò, Ordinandus sine crimine esse debet.cap.ex tenore, cap.ad aures, de temporibus ordinandis. Decimotertiò, ordinandus Bigamiæ non sit obnoxius.cap.debitum, de bigamis, dist.26.acutius. & ratio est; quia non est vnius postquam diuisit carnem suam in duas. Decimoquartò, vt non sit irregularis.cap.præcipimus.dist.34.Decimoquintò, non debet esse infamis.cap.infames, 6. q.1. Decimosextò, non Suspensus, non Interdictus, nec Excommunicatus.cap. alma mater. de sentent. excommun. lib. 6. Decimoseptimò, non coniugatus, nisi velit intrare religionem. cap. fin. de temp. ordin. in 6. Decimooctauo non sit Neophitus.cap.quoniam, & cap.sicut.dist. 48. Decimononò non sit ratiociniis obligatus. C.de Episcopis, & cler. leg.quisquis. Vigesimononò, non sit Seruus. cap.1.& 2. de Seruo non ordin. Vigesimoprimò, non sit Hystrio.c.donare, dist.86. Demum nullus Homicida, nullus Leprosus, nullus Furiosus, Lunaticus, Infans, Caducus, aut Hermaphroditus, aut mulier, aut etiam sine literis commendatitiis ad sacrum hunc suscipiendum Ordinem accedat; de quibus omnibus dictum est supra in tractatibus de Ordinibus Minoribus, & præsertim in tractatu de scientia illius, qui ordinandus est ad Ordinem Ostiarij.

Subdiaconatus Ordinem suscepturus animo communicandi accedere debet. Cap. IIII.

Ad communionem se pparare debet ordinãdus in Subdiaconum.

AMplius prospiciendum est etiam ei, qui futurus est Subdiaconus, & hoc nempe, quod hoc animo accedat ad suscipiendum hunc Ordinem; vt, post ordinem susceptum, aut potius post communionem ipsius Pontificis celebrantis Sacram accipiat Eucharistiam ab ipso ordinante, & celebrante: & ideò sua debet proprio sacerdoti confessus esse peccata priusquam accedat. nam & Apostolus inquit: Probet autem seipsum homo; & sic de pane illo edat. Igitur hoc etiam aduertat ordinandus in Subdiaconum: quia necessariò ipsum oportet in acceptione talis Ordinis communicare, siue ille sit solus, siue associatus, & cum alijs ordinandus.

Ordinan-

Digitized by Google

Ordinandus in Subdiaconum, quæ secum portare, ac circa se habere debeat cum se coram ordinante præsentat. Cap. V.

ANte Episcopum ordinantem genuflexum ordinandum in Subdiaconum apparere quidem oportet; amictuque amictum super caput, alba indutum, cingulo cinctum, in manuq; dextera manipulum habentem, ac super brachium sinistrum tunicellam gestantem, necnō & candelam etiam in manu dextera tenentem.

Sex sunt q secū habere dēt ordinandus in Subdiaconum.

Prima admonitio, quæ fit ab ordinante ad ordinandum in Subdiaconum quæ, & qualis sit. Cap. VI.

DIlectissimè frater ad sacrum Subdiaconatus Ordinē promouendus, iterū atque iterum considerare debes attentè, quod onus hodie vltrò appetis; Hactenus enim liber es: licetq; tibi pro arbitrio ad sæcularia uota transire. quod si hunc ordinem susceperis, amplius non licebit à proposito resilire: sed Deo, cui seruire, regnare est, perpetuò famulari: & castitatem illo adiuuante, seruare oportebit, atque Ecclesiæ ministerio semper esse mancipatum: proinde dum tempus est, cogita: & si in Sancto proposito perseuerare placet: in nomine Domini huc accede.

Admonetur ordinādus in Subdiaconū ab Epo primò, & qualiter.

Secunda admonitio ad futurum Subdiaconum circa quæ versetur. Cap. VII.

ADepturus, frater carissimè, officium Subdiaconatus, sedulo attende, quale ministerium tibi tradatur: Subdiaconum enim oportet aquam ad ministerium altaris præparare: Diacono ministrare: pallas altaris, & corporalia abluere: calicem, & patenam in vsum Sacrificij eidem offerre: oblationes, quæ ueniunt ad altare panes propositionis vocantur, suscipere: de quibus oblationibus tātum debet poni in altari, quantum possit populo sufficere: ne aliquid putredinis in Sacrario remaneat. Pallæ quæ sunt in substratorio altaris in alio uase debent lauari, & in alio corporales pallæ: Vbi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteum debet lauari, ipsaque lotionis aqua in Baptisterium debet infundi: Stude ergo, vt ista uisibilia horum exemplo perficias. Altare quidem Sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus, teste Ioanne, qui in Apocalypsi sua Altare aureum se vidisse perhibet stare ante thronum, in quo, & per quem oblationes fidelium Deo patri consecrantur: cuius altaris pallæ, & corporalia sunt membra Christi, scilicet, fideles Dei, quibus Dominus quasi vestimētis preciosis circundatur, vt ait Psalmista. Dominus regnauit decorē indutus est. Beatus quoq; Ioannes in Apocalypsi uidit Filium hoīs præcinctum Zona

Admonetur Secūdo ordinādus in Subdiaconū ab ipso ordinante.

aurea,

Digitized by Google

aurea, idest Sanctorum caterua. Si itaque humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda est à nobis aqua cœlestis doctrinæ, qua purificati, ad ornamentum altaris, & cultum diuini Sacrificij redeant. Esto ergo talis, qui sacrificiis diuinis, & Ecclesiæ Dei, hoc est, corpori Christi, dignè seruire ualeas, in uera, & Catholica fide fundatus: quoniã ut ait Apostolus: Omne, quod non est ex fide, peccatum est, Schismaticũ est, & extrà unitatem Ecclesiæ est: & ideo si vsque nunc fuisti tardus ad Ecclesiam, amodò debes esse assiduus: si usque nunc somnolentus, amodo uigil, si usque nunc ebrius, amodo sobrius: si usque nunc inhonestus, amodo castus. Quod ipse tibi præstare dignetur, qui uiuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum.

In quo actu in Ordine Subdiaconatus character infigatur. Cap. VIII.

In Subdiaconatus Ordine in quo actu character infigatur. S. Thom.

VLterius hanc de Subdiaconatus Ordine materiam tractantes; quærimus: in quo actu in Subdiaconatus Ordine figatur character: & quidem secundum D. Thomam 4. Sent. dist. 24. dicimus, quod in traditione calicis uacui cum patena sacra, cum debita uerborum forma; quia tenetur portare vasa Dominici (vt dictum fuit suprà) corporis, & sanguinis.

Materia Ordinis Subdiaconatus quæ. Cap. IX.

Subdiaconatus Ordinis Materia q̃ sit.

LIbrum Epistolarum insuper Materiam huius Sacri Ordinis Subdiaconatus esse dicimus; quemadmodum librum Euangeliorum, Materiam Ordinis Diaconatus esse manifestabimus.

Forma Subdiaconatus Ordinis quæ. Cap. X.

Forma Subdiaconat⁹.

SImiliter Forma huius Ordinis Subdiaconatus est: (postquam amictus capiti ipsius ordinandi impositus fuerit ab Episcopo, & Manipulus in brachio sinistro, & Dalmatia indutus, porrigendo librum Epistolarum:) Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro uiuis, quàm pro defunctis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.

Subdiaconi institutio qualiter fiat. Cap. XI.

Qua uerborũ forma utatur Eps ad ordinãdũ, ac instituẽdũ Subdiaconum.

SAnè iuxta Sacrorum Canonum ordinationes, & decreta, & præsertim apud Concilium Tholetanum distin. 23. cap. Subdiaconus. & apud Romanum Catechismum; cum Subdiaconus ordinatur ab Episcopo quidem (cum manus impositionem consecratoriam non accipiat) calicem, & Sacram patenam accipit uacuum, dicente sibi Episcopo: Vide cuius ministerium tibi traditur. De manu uerò Archidiaconi; pro eo, quod in eius adiutorium consecratur, accipit Vrceolos

Digitized by Google

vino & aqua plenos, una cum Lebete, seu manili, aliàs bacili, & linteolo, seu mauis manutergio, quo manus absterguntur, dicente Episcopo: vide cuiusmodi ministerium tibi tradatur, & ideo admoneo te, ut ita te exhibeas ut Deo placere possis. Ad extremum, cum Episcopus Sacris vestibus Subdiaconum ornauit, ad quarum singulas propria uerba, & cęrimoniæ adhibentur; tradit ei Epistolarum librum, ac dicit: Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia Sancta Dei, tam pro uiuis, quam pro defunctis. Præmissa itaque uerba, & vtensilia, sunt huius Sacri Subdiaconatus Ordinis substantialia; cætera uerò sunt de solennitate.

Nota pro cuius seruitio ordinetur etiã Subdiaconus.

Substantialia Ordinis Subdiaconi q̃ sint.

Subdiaconus cur sic appelletur. Cap. XII.

Legitur autem in capit. cleros, dist. 21. quod Subdiaconi Græcè hypodiaconi, seu mauis hypodiacones uocantur; verum Latinè nos Subdiaconos dicimus, qui ideo sic appellantur, quia subiacent præceptis, & officijs Leuitarum, seu Diaconorum: oblationes enim in tēplo, ut dictum est, à fidelibus suscipiunt, & Leuitis superponendas altaribus deferunt.

Subdiaconus, unde dictus sit.

Subdiaconi nostri temporis quos repræsentent. Cap. XIII.

Et quidem apud Hebræos Diaconi Nathinnei vocabantur, idest, in humilitate Domino seruientes: si quidem Subdiaconi Nathinneorum uices hodie in Ecclesia Dei repræsentant. De quibus in Esdra legitur, quod Dauid dederat Nathinneos ad ministeria Leuitarum: ex quorum Ordine fuit ille Nathanael, quem Dominus in Euangelio cōmendauit, dicens: Ecce uerè Israelita, in quo dolus non est. Nathinnei ergo ut dictum est, Hebraicè dicuntur, Latinè uerò in humilitate Domino seruientes, vel Deo oblati.

Subdiaconus nostri tpis quos rep̄sentet, aut quorũ uices.
1. Esdr. 8.
Ioan. 1.

Subdiaconatus Ordinis officio quando Dominus noster Iesus Christus vsus sit. Cap. XIIII.

Et quidem Christus hoc Subdiaconi officium impleuit, quando in Cana Galilææ de aqua uinum fecit; & quando cœna facta, mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit.

Christus qñ sit functus officio Subdiaconi.
Ioan. 2.
Ioan. 13.



SVM-

Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
SECVNDÆ PARTIS
SEXTI TRACTATVS.

De Subdiaconi Scientia circa Ministerium Sacrificij Missæ.

Subdiaconi officium quodnam sit. *Cap. I.*

Officium Subdiaconi quodnã sit.



SVbdiaconi uerò munus, & officium est; vt nomen ipsum declarat; Diacono ad altare inseruire. Secundò ad illum pertinet calicem, & patenam ad altare Christi deferre, & Leuitis, seu Diaconis tradere, eisque ministrare ad Sacrificij usum necessaria. Tertio, Episcopo, & Sacerdoti aquã, manile, & manutergium præbere debet, cum manus in Missæ Sacrificio abluunt. Quartò, ad Subdiaconum Epistolam, quæ olim à Diacono in Missa recitabatur, legere item spectat: qui etiam tanquam testis ad Sacrum assistit. Quinto, ad hoc etiam tenetur Subdiaconus, ut prohibeat ne Sacerdos Sacra faciens à quopiam perturbetur. Sexto, Subdiaconi munus est, oblationes in templum Domini delatas, à fidelibus suscipere, & Leuitis superponendas Altaribus porrigere. Septimo, Subdiaconi sunt etiam partes, ut corporalia, pallasque, vela, & uelamina Dominicæ Mensæ, quando sordida facta sunt, abluat intra sanctuarium, ac omnia etiam substratoria, de quibus meminit Clemens Papa, in cap. Nemo. el secundo, dist. 1. de Consecratione. & Magist. Sentent. dum de Diaconis disputat: & potest esse ratio cur non solum ad Diaconum spectet lauare substratoria, seu corporalia, & huiusmodi, sed ét ad Diaconum: quoniam vt dictum est in multis peragendis succedit hodie Subdiaconus Diacono. Octauo, ad Subdiaconum spectat nõ modo Epi-

do Epistolam cantare; uerũ & Missale clausum ante Sacerdotem celebraturũ portare. Nono, officium est Subdiaconi, post lectã per eum Epistolã, facere reuerentiam Sacerdoti, & pedes Pontificis deosculari. Decimò, dicto per Diaconũ Euangelio, munus est Subdiaconi ad Sacerdotem celebrantem portare librũ Euangeliorum apertũ, quẽ ad introitũ portauit clausum. Vndecimò, ad Subdiaconum spectat, ex præcepto Ecclesiæ diuinum quotidie officium recitare, scilicet Matutinum cũ Laudibus, Primã, Tertiam, Sextã, Nonã, Vesperas, & Completorium.

Subdiaconus cur in Missa Lectiones legat præter eius ferè officium. Cap. II.

SI quæris quare Subdiaconus legat Epistolã, seu Lectiones ad Missã, cum hoc sibi competere nullibi, vel ex nomine, uel ministerio, sibi concesso comperiatur: Respondet ad hoc Gulielmus in suo Rõnali, qđ in primitiua Ecclesia Diaconus non legebat Euangeliũ; quia hoc statutũ non erat: postquã uero illud statutũ fuit; præceptũ est ẽt, ut Subdiaconus, q Diacono subest, Epistolã, siue Lectionẽ legat. Vel dic, quia olĩ Epistola à Diacono recitabatur, ut testatur Sacer Catechismus; uerũ cũ Subdiaconus succedat loco Diaconi ad Lectiones, ac Epistolã legẽdã in Missa, ideo cõgruũ fuit, ut Diaconus ad Euãgeliũ cantãdum transcẽderet. *Subdiaconus cur ad Missam legat Epistolã cũ non reperiatur hoc sibi cõpetere.*

Subdiaconus, & Diaconus quo tempore Tunicella, & Dalmatica vtantur, & quonam tempore vtantur Planetis. Cap. III.

SCiant autem Subdiaconus, & Diaconus, quod Tunicella, & Dalmatica utuntur in Missa solenni, & in processionibus, ac ẽt benedictionibus, quandocunq; inseruiunt Sacerdoti celebranti. In diebus uerò ieiuniorum (præter quam in vigiliis Sanctorum,) & in Dñicis, & feriis Aduentus, & Quadragesimæ, ac in vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica Gaudete, etiam si eius Missa infra hebdomadam repetatur, & Dominica Lætare, Vigilia Natiuitatis Domini, Sabbatho Sancto in benedictione cærei, & in Missa, & quatuor temporibus Pentecostes) in cathedralibus, & præcipuis Ecclesiis, utũtur Planetis plicatis ante pectus; quã Planetã Subdiaconus dimittit, cũ lecturus est Epistolã, quam legit in Albis, & postea eã resumit, ut prius. In minoribus aũt Ecclesijs prædictis diebus ieiuniorũ Alba tantũ amicti ministrãt: Subdiaconus cum Manipulo; Diaconus etiam cum Stola ab humero dextro sub sinistrum pendente. *Subdiaconus et Diaconus in q busnã Ecclesiis Manipulo, & Alba utantur ac Stola.*

Subdiaconus cur in iam dictis ieiuniorum diebus Tunicella vtatur. Cap. IIII.

ET aduertendum est, quod Subdiaconus in dictis ieiuniorũ temporibus, in Missis solẽnibus, & pcessionibus, atq; bñdictionibus, ac solũ in pcipuis Ecclesijs, iõ Tunicella vtitur, ut discat occultam rõnem subli- *Tunicella cur utatur Subdiaconus in diebus ieiuniorum.*

sublimium rerum indagare: & iccirco in sublimibus, & Cathedralibus tantum Ecclesijs, & in solennitatibus magnis utitur ea, quia discipuli sublimia non intellexerunt, nisi postquam Dominus est glorificatus.

Casula, seu Planeta quam ob rem diebus prædictis ieiuniorum duplicetur. Cap. V.

cap. unum. dist. 25.

PLaneta uero propter multas rationes prædictis diebus, & temporibus ieiuniorum duplicari, ac plicari solet: quas rationes reperies positas infrà in tractatu de Scientia, quã habere debet Diaconus, & ideo ibi require fusè: plicatur autem sic planeta ante pectus Diaconi; vt liberius valeat ministrare, & ad ministerium Sacerdotale possit expeditius recurrere.

Subdiaconus lecturus Epistolam cur deponat Planetam. Cap. VI.

Planeta cur deponatur a Subdiacono cũ lecturus est Epistolam.

INsuper aduertat Subdiaconus, quod cum ipse lecturus est Epistolam tanquam suo officio functurus, sicut scribit Gulielmus in Rationali, planetam ideo ipse quoque, (ut de Diacono dicemus,) deponit, quia ex suo officio legem ueterem repræsentat; & propterea Epistolæ quandoque de ueteri Lege sumuntur, sub qua non amore, sed ex timore seruiebatur; quia ergo illud durauit, quãdiu durauit Lex; ideo ad hoc figurandum, donec Epistola finiatur, non tenet Planetam, quæ amorem designat.

Subdiaconus cur facta, aut finita Communione iterum se induat Planeta. Cap. VII.

Subdiaconus cur post orationem reassumat Planetam.

SEd facta, finitaque denique communione, Subdiaconus quidem propterea reassumit Planetam; quod non sufficit opus ex charitate inchoare, nisi in charitate finiatur. Vel ideo Subdiaconus se iterum induit Casula, quia per hoc, se esse præcursorem indicat, qui in dilectione ferueat, & uitæ contemplatiuæ inhiet.

SVM-

SVMMARIA SINGVLORVM CAPITVLORVM TERTIÆ PARTIS SEXTI TRACTATVS.

De Subdiaconi Scientia pro ratione, ac Mysterio septem Horarum Canonicarum.

Officium quid sit, & unde dicatur. Cap. I.

DICTVM est suprà in Capitulo de officio Subdiaconi, in fine: quod dictus Subdiaconus nō solum ministerio Altaris inseruire, ac præsto esse debet, Calicemque, & Patenam ad illud deferre, ac Episcopo, & Sacerdoti in omnibus ministrare, aliaque huiusmodi ad Corporis, & sanguinis Christi Sacramentum conficiendum spectantia facere, verumetiam & ad diuinum officium dicendum quotidie ipsum obligari. Vnde ideo supposuimus de scientia Diaconi pro ratione, & mysterio eiusdem Diuini Officij, seu septem Horarum Canonicarū. Et nunc de illis in genere differentes, quærimus. Primò, quid sit Officium. Deinde de multis eiusdem Officij rationibus, & mysteriis etiam disputabimus breui quam fieri poterit oratione, & sermone. Officium igitur, secundum Beatum Ambrosium, proprius, vel congruus est actus vniuscuiusque personæ, secundum mores Ciuitatis, uel instituta professionis. Alia namque habent instituta Monachi, alia Canonicialia, Heremitæ, & sic de alijs. Et Officium dicitur ab efficiendo quasi Efficiū: vnicuique enim conuenit suum efficere Officium. Vel Officium dicitur, ut

Officiū qd sit.

Cap. dolētes, de celebr. Missa. & Cle. 1. eo. tit. in Glos. 6.

B. Ambr.

tur, ut

Digitized by Google

tur, ut quis illa agat, quæ nulli officiant, sed omnibus prosint.

A quo institutum, ordinatumne fuerit Diuinum Officium. Cap. II.

Diuinum Officiũ à quo sit institutum.

A Quo uerò Diuinum, & Ecclesiasticum Officium fuerit institutũ, quæritur etiam hic à nobis: quibus respondemus; quod Damasus Papa, quoad Psalmos in Dominica, in secunda feria, in tertia feria, & deinceps, ordinauit dici Officium: nempe instituit, vt in Ecclesia Psalmi alternis uocibus canerentur; prout docet nos Sancta nostra Mater Ecclesia, dum Sancti Damasi festum colit ac celebrat, & alij quamplurimi etiam Scribentes. Cætera uerò ad decorem Officij adiecta sunt, nõ tamen omnia simul addita fuere, sed diuersi Patres diuersis temporibus ea ordinauernnt.

Diuinum Officium cur institutum sit. Cap. III.

Officiũ Diuinum cur institutum fuerit.

QVamobrem autem hæc supradicta nobis Christi fidelibus tradita sit à Sanctis patribus orandi, & Psallendi forma ac regula, si percũctetur aliquis; dicetur ei, quod, cum nihil in Ecclesia canendum, aut legendum sit, quod à Sancta Romana Ecclesia Canonizatum, & approbatum expresse, aut per patientiam non sit: Quamuis in primitiua Ecclesia diuersa, variaque quisque pro suo uelle cantaret; dummodo, quod cantaret, ad Dei laudem pertineret, ideo Theodosius Imperator, hæreticorũ extirpator, rogauit Damasũ Papã, ut nõ amplius supradictus rogandi modus, qui confusus uidebatur seruaretur: sed per aliquem prudentem, & Catholicum uirum Ecclesiasticum faceret ordinari Officium in luculentam consonantiam: & ita factum fuit, teste Ioannes Cassiano Heremita. lib. 2. cap. 5. & Gulielmo in suo Rationali libro quinto. cap. 2.

Ioan. Cassianus.

Quid Ecclesiastici Officij appellatione contineatur. Cap. III.

Quid per Diuini Officij nomẽ intelligendum

Psal. 118.

NOmine verò Ecclesiastici Officij septena illa laudis decantatio ex constitutione Ecclesiastica sancitã, quotidie Deo exsoluenda venit; iuxta illud Propheticum, noui testamenti ritum, & gratiam depromens: Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ: Quæ laus, & septena decantatio, tota continetur in Diuino Officio, quod quotidie nos Sacerdotes exsoluimus: nempe, in Matutino, Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis, & Completorio, vt præceptum est nobis per Pontificem, in capit. 1. de celebr. Missarum.

Digitized by Google

Cur Ecclesia sic septenam in die Laudem in Diuino officio cantare instituerit. Cap. IIII.

QVoniam autem Oratio ad Deum nostra est armatura, qua pugnemus contra Dæmones hostes nostros spirituales, eosque adiutore Deo uincamus, sicut Moyses legitur oratione, expansisque manibus certasse contra Amalech, & demum in fugam eum conuertisse. Hostis autem noster antiquus uidens se ab homine expulsum, assumere nititur septem alios spiritus nequiores se, ut ingressus locum, vnde exiuit, habitet ibi, & faciat nouissima illius peiora prioribus. Atqui contra illos septem spiritus nequam, & immundos, non possumus præualere, nisi septiformi gratia Spiritussancti adiuti, & muniti contra hostiles insidias. Itaque ad impetrandum gratiam septemplicis Spiritussancti in hac lucta, & pugna difficili, septenam laudis decantationem quotidie Deo exsoluendam Ecclesia Sancta instituit: & cum victoria potiti fuerimus, ad agendas Deo gratias, cuius septiformi dono euasimus ab hoste superiores, utque id totum bonum illi referamus acceptum, septies Deo Sacrificium laudis quotidie offerri mandauit Sancta Mater Ecclesia.

Cur septenam Deo laudē cantet Ecclesia

Exod. 17.

Cur neque plures, neque pauciores, quàm septem fuerunt Horæ ordinatæ ab Ecclesia ad dicendum Deo laudes. Cap. V.

SAncta autem Mater Ecclesia non pluries, quàm septies in die uoluit Deo à nobis dari laudes: quoniam septenus numerus summam habet perfectionem: est enim compositus ex ternario, & quaternario: habet namque in ternario significationē Sanctissimæ Trinitatis: in quaternario Vero Euangelij. siue enim tres per quatuor, aut quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum consurgit, quem etiam constat esse perfectissimum: quia mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & doctrina Euangelij per Duodecim Apostolos in quatuor mundi partes, Orientem scilicet, & Occidentem, Septentrionem, ac Meridiem, deriuata est. Sunt quoque quatuor quibus Ecclesia subsistit Euangelia. Item sunt septem Horæ, sicut sunt septem Dona Spiritussancti. Item sunt septem dies sæculi. Item quia sunt septem ætates mundi; quibus completis finietur mundus. Item quia sunt septem petitiones in oratione Dominica: Item quia sunt Septem Psalmi Pœnitentiales ordinati contra septem peccata capitalia: Item quia sunt septem candelabra.

Esa. 11.
c. peruenit. 30. q. 1.
Gen. 1.
Matth. 6.
Exod. 25.

Digitized by Google

Significatus uniuscuiusque Horæ Canonicæ quis sit. *Cap. VI.*

Significatus uniuscuiusq; Horæ Canonicæ quis sit.

QVarumcunq; autem horarum Canonicarum significatus quis sit, aduertimus: quia dum recitamus, & exsoluimus has horas, tot opprobria Christo domino nostro à Iudæis in passione eius illata, totidemq; beneficia nobis in singulis illis horis collata ab illo recolimus: Vnde benè talia, & opprobria, atque beneficia aduertit Glos. in cap. 1. de celebrat. Missæ. dum hos recitat uersus.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet sputis: causam dat Tertia mortis.
Sexta cruci nectit. Latus eius Nona bipartit.
Vespera deponit. Tumulo Completa reponit.

Vel prima Hora, quæ canitur in aurora orto iam sole; dicitur in memoriam Resurrectionis, qui dicitur resurrexisse tunc, quantum ad notitiam mulierum: quæ orto iam sole uenerunt ad monumentum. Prima etiam hora uisus est in littore post Resurrectionem. Prima hora cōduxit etiam operarios procurator uineæ in uineam suam. & signat laudē hominis, quam Deo in pueritia impendit. Tertia canitur in memoriā suæ crucifixionis: quia tunc fuit hora blasphemantium Iudæorum crucifixum. Tunc etiam Spiritussanctus fuit in Discipulos missus: & significat laudem hominis in adolescentia. Sexta canitur in memoriam corporalis passionis: eadem itidem Hora discubuit cum discipulis in Ascēsione: & signat laudē hōis in iuuentute. Nona canitur; quia tunc Christus emisit spm̄, & latus eius fuit perforatum; & signat laudē hominis in virilitate. Vesperæ dicuntur in memoriā depositionis de cruce: & signant laudem hominis in senectute. Completorium canitur in memoriam sepulturæ Christi: & signat laudem hominis in decrepita ætate. Verum Matutinum in media canitur nocte: significatq; detentionem Christi, quæ fuit post cœnam in media nocte.

Mar 16. Matt. 0.

Quare istæ septem Horæ dicantur Canonicæ. *Cap. VII.*

HViusmodi uerò septē Officij Ecclesiastici Horæ, in quibus tenemur orare Deum, à Sanctis Patribus nostris Canonicę, i. regulares (Canō enim Græcè, inquit Gratianus, regulā Latinè significat) nuncupatæ sunt: qm̄ ab eis regulari sanctione institutæ sunt, & obseruatæ

Distin 3 c. Canon.

Qua intentio, attentione in persoluendis Horis requiratur. *Cap. VIII.*

De intētione in exsoluendis Horis Canonicis req̄sita.

DIuinum uolens persoluere Officium, cum pars, ac membrum ipse sit Sanctæ Matris Ecclesiæ, in qua quisque suo fungi debet officio, hanc

Digitized by Google

hanc ipſam oportet habere intentionem potiſſimam, ut id quod ad ipſum ſpectat, exactè exequatur: non ſecus ac oculi, pedeſque in corpore, qui ad nihil aliud uacant, niſi ut videant, ac ambulent, animo uacãdi Deo, inchoet quilibet Diuinum Officium, attendens primo ad uerba ſuæ orationis; ne erret in eis, ac ſecundo ad finem orationis, ſcilicet, ad Deum, & rem, pro qua habenda, impetrandaque oratur: & in contrarium iſte animus non mutetur, dum ſoluit horas: Nemo enim mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, eſt aptus regno Dei. Secundò confiteri cultu exteriori, & uocali debet quicquid intrinſecus credit, hoc eſt Deum eſſe ſummum bonum, eſſe omnipotentem; eſſeq; & pium: Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Tertiò, debet homo, dum exoluit ſuum officium, gratias ipſi Deo agere pro uniuerſis acceptis à Deo, & accipiẽdis beneficiis, & præſertim pro redemptionis beneficio; ſic & Paulus gratias agebat pro beneficiis ſibi, & aliis à Deo collatis; ſic & claudus à Petro ſanatus intrauit cum Apoſtolis in templum, ambulans & exiliens, & laudans Deũ. Item audiens Dauid reuelationem, quam Deus fecerat Nathan Prophetæ de Regni ſui duratione, gratias egit ualdè humiliter, & deuotè. Item cum Thobias recuperaſſet uiſum; & vxor eius, & omnes, qui ſciebant eum prius cœcum, glorificabant Deum, & Zaccharias recuperato loquendi officio Dominum prophetando laudauit dicens; Benedictus dominus Deus Iſrael. Quartò, debet homo in dicendo Officio rogare Deum, ut ſibi, & omnibus fidelibus Chriſtianis, cum tribulantur ſuccurrat, & ex omnibus tribulationibus, & neceſſitatibus eorum liberet eos; & ut dignetur quotidiè nos ſine peccato cuſtodire.

Attẽtio duplex. *Luc 9.* *Rom. 10.* *1. Tim. 1.* *Rom. 1.* *Act. 3 & 4.* *2. Reg. 7.* *Thob. 11.* *Luc. 1.*

Qualiter Horæ Canonicæ extra Chorum dicendæ ſint. Cap. IX.

ADuertant demum hoc ultimo loco omnes, qui horarios Pſalmos recitare tenentur, ſi orationes Deo acceptas fore cupiunt; ut non in gutture, uel inter dentes, ſeu deglutiendo, aut ſyncopãdo dictiones, nec colloquia, uel riſus intermiſcendo; ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati diurnum, nocturnumque officium reuerenter, uerbiſque diſtinctis peragant: ac tali in loco, unde à deuotione non retrahantur; ad quam ſe diſponere, & præparare debent, iuxta id quod ſcriptum eſt, nempè, Ante orationem præpara animam tuam, ne ſis quaſi qui tẽtat Deum. Hæc Baſilienſe Concilium nobis dicit, ac præcipit. His igitur generaliter iam cognitis, & incipientibus nobis Diuini Officij aperire myſteria; ita maximè uidentur poſſe tradi cætera commodiſsimè, ſi Primò de Matutino cum ſuis acceſſorijs; deinde ſubſequenter de aliis oris per ordinem tractemus.

Eccl. 18.

Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
QVARTÆ PARTIS
SEXTI TRACTATVS.

34 Pars

34 Pars vltima Dom. Orat. ad quid clarè proferatur.
35 Absolutio, uel preces post Dom. orat. quid denotet.
36 Benedictionem petens cur dicat: Iube Domne magis quàm Domine.
37 Benedictionis petitio quid sibi velit.
38 Lectiones, quæ legantur per æstatem.
39 Tempore hyemis quas legamus Lectiones.
40 Lector cur post finem Lectionum succlamet. Tu autem Domine miserere, &c.
41 Chorus cur succinat Deo gratias, post, Tu autem Domine miserere nobis.
42 Responsoria post Lectiones quid signent.
43 Responsorium vt quid pro parte repetamus in vltima lectione.
44 Gloria patri cur dictis uersibus vltimi Responsorij dicatur.
45 Secundum Noct. propter quid tribus constet Psalmis.
46 Post secundum Noct. cur legantur Lectiones Sanctorum Patrum.
47 Tertium Noct. quamobrem trium sit Psalmorum.
48 In tertio Noct. ut quid Sanctum Christi legatur Euangelium.
49 Homelia quid sonet.
50 Post nonam Lectionem cur Te Deum laudamus, aut vnum Respon. dicamus.
51 Laudes matutinæ quo consilio inducta.
52 Laudes unde dictæ.
53 Psalmi quinque quam ob causam in laudibus matutinæ dicantur.
54 In fine cantici trium puerorum cur non dicatur Gloria patri.
55 Canticum prædictum, cur in Dominicis, & in festis tantũ recitetur.
56 Psalmi laudum in quantum sunt octo quid signent.
57 Psalmi Deus meus & Deus misereatur nostri, cur combinentur, & qua de causa sub uno Gloria patri, & unica dicantur Antiphona.
58 Psalmi tres ultimi Laudum sub vna Antiphona, & uno Gloria Patri cur dicantur.
59 Capitulum in Laudibus quid significet.
60 Particula Amen, post Capitulum quid importet.
61 Post Capitulum Laudum cur non dicantur Responsoria.
62 Laudes Matutini, & Vesperæ & Complet. ut quid differant à cæteris. Horis diurnis.
63 Versiculus post Hym. Laudum quid notet.
64 Benedictus, seu Zachariæ Canticum post uersum quare dicatur.
65 Zachariæ canticum cur stando dicatur.
66 Antiphona post Benedictus quid indicet.
67 Oratio post omnia quid ipsa insinuet.
68 Benedicamus Domino, quid nobis insinuet.
69 Deo gratias, quid signet nobis.
70 In Nocturnis ferialibus cur duodecim cantemus Psalmos.
71 Psalmi in ferial. Nocturnus ut quid bini & bini recitentur.
72 Lectiones in ferial. Noctur. quid signent.
73 Tria Respon. quid significent.

Digitized by Google

74 Psalmus Dominus regnauit ut quid in Laudibus ferialibus non dicatur sed Psal. Miserere.

75 Psalmus Iubilate, qua de causa in Laudibus ferial. omittatur, & alter loco illius cantetur.

76 Canticum trium puerorum cur omittatur in feriali Officio, & alia loco illius cantentur cantica.

77 Psalmus Laudum Tertius cum seq. & Psalmus quintus, scilicet, laudate cum seq. cur nunquam mutentur.

De Matutino, & eius sequelis.

Hæc dictio, Matutinum, unde dicatur. Cap. I.

De Matutino.



PRimum igitur horum Officiorum Ecclesiasticorũ est Officium Maturinum, quod ideo Matutinum dicitur: quia primò mane celebratur sub aurora. Matuta enim apud Latinos auroram significat; unde Matutinum tempus dicitur, quod primo mane transigitur.

Officij Matutini appellatione, quæ intelligantur. Cap. II.

IPsius autem Matutini Officij partes sunt, certus Psalmorum numerus; in Dominicis nempe decem & octo Psalmi, in ferijs uerò duodecim, cum Lectionibus, & Responsorijs, quæ Nocturnorum nomine nuncupantur ut Primum Nocturnum, Secundũ Nocturnum, & Tertium Nocturnum, à nocte nocturnoq; tempore, in quo cantari solent, dicta; de quibus omnibus suis loco & tempore dicemus.

Matutinum quo tempore olim celebrabatur. Cap. III.

Cap. 1. de celeb. Miss. EX primaria autem, primæuaque ordinatione media noctę celebrari est solitum; secundum illud prophetæ dictum: Media nocte surgebam ad confitendum tibi; super iudicia iustitiæ tuæ: tum quod etiã nocte intempesta primogenita Ægyptiorum ab Angelo percussore fuerunt interfecta: & Israelici populi primogenita à Deo saluata secundum illud Sapientiæ: cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet; omnipotẽs sermo tuus Dñe exiliẽs de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator in mediã exterminij terram prosiliuit: quod ad literam intelligitur de tempore interfectionis primogenitorum Ægypti, ut sequens ibi sententia liquido demõstrat, quamuis etiam in usu, & Officio Ecclesiastico applicentur supradicta ad horam Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, tum quod eo tpe mediæ noctis Christus pro nobis de uirgine Deipara natus est: Populus enim (inquit Esaias) gentiũ, qui ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis: & paulo post:

Psal. 118.
Exod. 12.
Sap. 18.
Esa. 9.

lo post: Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis. Tum quod eo tẽpore mediæ noctis, & imminente hora passionis eius, à Iudęis in horto captus fuit, & traditus in manus peccatorũ, vt nos de manu peccatoris, Diaboli, scilicet, qui adinuenit peccatũ, liberaret. In horũ itaque beneficiorum commemorationem, Officium Matutinum mediæ noctis tempore decantari ex primæuo more solitum est, qui adhuc in multis locis obseruatur, ut etiam diximus in expositione Hymni Secundi, libro primo. *Ioan. 18.* *Gen. 3.* *Esa. 14.* *De pœn. d. 2. c. princi-pium.*

Qua hora nostris temporibus Matutinum dicatur. Cap. IIII.

VErum tepescente cordis humani in Deum ardore, & feruido deuotionis affectu refrigescente, in quamplurimis hodie locis Officiũ Matutinum primo mane celebratur sub auroram; & inde (ut dictum est) nomen sortitur. Nec mos iste celebrandi primo mane Officij Scripturæ Sacræ, sicut nec primæua in media noctis ordinatio, authoritate caret; qua possit comprobari. Dicit enim propheta: Deus, Deus meus ad te de luce vigilo, & in Matutinis meditabor in te. Ecclesiasticus itidẽ de viro iusto loquens, ait: Iustus cor suum tradet ad uigilãdum diluculo, ad Dominum, qui fecit illũ: Deniq; in libro Sapientiæ legitur: Oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare. Hæc Clichtoueus, dum de hora matutina ipse differit. At sic Ioannes Cassianus Heremita de solennitate horarum, de matutina, inquit, uerò solennitate ètiam illud nos instruit, quod in ipsa quotidie decantari solet; Deus, Deus meus ad te de luce vigilo; & in Matutinis meditabor in te: Et præueni in maturitate, & clamaui: & rursum. Præuenerũt oculi mei ad te diluculo; & meditarer eloquia tua. In his quoque libris ille Euangelicus Paterfamiliàs operarios conduxit in uineam suã. Ita enim ille primo mane hos conduxisse describitur, quod tempus designat matutinã nostrã solennitatẽ. Deinde Tertia; inde Sexta, post hæc Nona. ad extremum Vndecima, in qua lucernaris hora designatur. *Psal 62.* *Eccl. 39.* *Sap. 16.* *Clichtoueus.* *Cass Heremi. lib. 3. c. 3.* *Psal. 62.* *Ibidem.* *Psal. 118.*

Cur Pater noster ante omnia in Matutino, & alijs Horis præmittatur. Cap. V.

PRæmittit autem, & dicit Sancta Mater Ecclesia ante Matutinum, & omnes Horas orationem Dominicam, hoc est, orationem illam, quam Christus ore sacro protulit ijs, qui spẽ suã, ac uota oratione cupiunt Deo explicare: ob id primò; quod in tali oratione petimus in nobis sanctificari Dei nomen, & aduenire regnum cœlorum, quod primo esse quærẽdum Iesus docuit, cum ait: Quærite ergo primum regnũ Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur uobis. Quæ enim ponuntur in Dominica oratione, ideo sunt prius quærenda: quia magis sunt necessaria, & utilia, quàm ea, quæ ponuntur in alijs: cũ in his summa totius salutis, & perfectionis consistat. Secundò, quia hæc sancta Dominica oratio proprium hoc habet, vt hominem disponat, & aptum *Mat. 6.*

Digitized by Google

reddat ad consequendum ipsius orationis effectum, nempè ut sibi peccata, atque debita dimittantur, & à malo ipse liberetur: quibus nō prçmissis, nec orationis sequeretur effectus, unde nisi nobis prius debita dimitterentur, & à malo culpæ liberaremur, nihil unquam impetrare mereremur. Tertio quoniam prius inuocandus est omnium rerum Pater, quo prætermisso nullum ritè bonum fundatur exordium. Rationabile ergo est, vt prius oratio illa præcedat, quam author salutis dictauit, ac instituit, quàm illę, quas Sancti Patres postea dictauerunt. Huius uero Dominicæ orationis Concil. Gerundense meminit, & Gratianus.

Digniora sunt præferenda.

Concil Gerūd. Tom. 2 c 9 1. de cons. dis 5. c semper.

Cur hæc Sancta oratio Dominica ante Matutinum, & omnes Horas præterquam ad Completorium dicatur secreto. Cap. VI.

SEcreto autem hæc oratio, & submissa uoce dicitur, ut nos quasi ad interiora reuersi ipsas res cum magna diligentia mente capiamus, quas verbis pronunciemus. Secundo adnotandum, quod oratio ipsa potius habet efficaciam in deuotione cordis, quàm in clamore oris. Tertio quia in ea Deum alloquimur, qui non tantum uerba: sed & renes nostros scrutatur, & corda.

Psal 7.

Aue Maria: cur subiungatur immediatè post Pater noster. Cap. VII.

SVbsequitur autem post Dominicam orationem in Matutino Salutatio Angelica, propterea quod dignum est, vt illam salutemus in principio nostri operis, per quam salus nostra exordium sumpsit. Porrò refert Nicolaus de Ploue, Sanctum Bernardum dixisse, quod Deus nihil nos uult habere salutis, quod per manus virginis Mariæ non transeat. & Roman. Cathechismus dum pro quibus orandum sit, tractat, ait: Iure autem Sancta Dei Ecclesia huic gratiarum actioni preces etiam, & implorationem Sanctissimæ Dei Matris adiunxit, qua pie, atque suppliciter ad eam confugeremus, vt nobis peccatoribus sua intercessio conciliaret Deum; bonaque tum ad hanc, tum ad æternam uitam necessaria impetraret: Ergo nos exules filii Euæ, qui hanc lachrymarum vallem incolimus, assiduè Misericordiæ Matrem, ac fidelis populi Aduocatam inuocare, ut oret pro nobis peccatoribus, ab eaque hac prece opem, atque auxilium implorare debemus: cuius & præstantissima merita apud Deum esse, & summam uoluntatem iuuandi humanum genus nemo nisi impiè, & nefariè dubitare potest.

Nic. de Horis Canō.

Rom. Cathechis.

Symbo-

Digitized by Google

Symbolum Apostolicum Matutinum cur praecedat. Cap. VIII.

VLterius quæritur, cur post supradicta dicatur: Credo in Deum; & quidem Credo in Deum Patrem, cum sequentibus usque in finem recitatur, ideo, quia in eo fides nostra continetur, sine qua impossibile est Deo placere, & per quam contra omnia aduersa armantur illi, qui per Dominicam orationem mundantur.

Matutinum cur inchoetur per Domine labia mea aperies. Cap. IX.

IN solius autem Matutini exordio præponitur ille Versus Psal. quinquagesimi, Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam, quoniam illud principium est diuinæ laudis totius diei: iccirco in eo præsertim petimus, & per illa matutina, & reliqua illius diei exsoluenda rite laude, labia nostra non tam oris, quam cordis nobis à Deo aperiri, vt dignè laudem eius annunciemus, vt non simus de illis, de quibus conqueritur Dominus per Esaiam dicentem: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Vel quoniam non est sermo (iuxta illud Psalmographi) in lingua nostra; ideo petimus à Deo prolationem uerborum explicandam. Vel quoniam nobis ore contigit peccare; ideo oris peccata, & labij nostri polluti reatum deleri à Deo petimus; & ipsa labia nostra per ipsum aperiri, quo liberioribus animi viribus, & organis eius per nos mira, & laudes concinantur.

Psal. 50.

Esai. 29.

Cur post Domine labia mea aperies subiungitur: Deus in adiutorium &c. Cap. X.

SEquitur autem post Versum: Domine labia mea aperies, Versus Psalmi sexagesimi noni, nempe: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, ad impetrandam Dei præsentem gratiam, & opem, sine qua nihil omnino facere possumus. Vnde Ioannes per os ipsius Dei; Sine me nihil potestis facere. In hoc ergo Versu nostram confitentes insufficientiam benè agendi ex nobis, & nostram fragilitatem, diuinum imploramus auxilium, cuius adiutorio debitas, & gratas ei laudes offeramus. Quemadmodum & in omnium fine Horarum subnectitur ea gratiarum actio, videlicet, Benedicamus Domino; Deo gratias; per quam de absoluta (Dei adiutorio) laude, & perfecta cuiusque Horarum completione gratias agimus: & ita ad illum, qui est Alpha, & Omega, principium, & finis, in primordio Horarum Canonicarum, & exitu per piam inuocationem conuertimur, mysticumque, & spiritualem complemus circulum, regressi demum in eum, à quo cœpimus exordium: veruntamen

Psal. 69.

Ioan. 15.

Apoc. 1. & 22.

quam

Digitized by Google

quam neceſſaria ſit nobis crebra prędicti iam verſiculi, ſcilicet, Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina, decantatio, demonſtrat Caſſianus Heremita in Collatione decima, cap. nono, dum ſic fatur: Erit itaque ad perpetuam Dei memoriam poſſidendam hæc inſeparabiliter præpoſita nobis formula pietatis: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Hic namq; Verſiculus non immeritò de toto ſcripturarum excerptus eſt inſtrumento, recipit enim omnes affectus, quicunque inferri humanæ naturæ poſſunt, & ad omnem ſtatum, atque vniuerſos incurſus propriè ſatis, & competenter aptatur. Habet ſi quidem aduerſus uniuerſa diſcrimina inuocationem Dei, habet humilitatem piæ confeſſionis, habet ſolicitudinis, ac timoris perpetui uigilantiam, habet conſiderationem fragilitatis ſuæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præſentis ſemper adſtantisque præſidij. Qui enim iugiter ſuum inuocat protectorem, certus eſt eum ſemper eſſe præſentem: habet amoris & charitatis ardorem, habet inſidiarum contemplationem, inimicorumque formidinem; quibus perſpiciens ſemetipſum die noctuque uallatum, confitetur ſe non poſſe ſine ſui defenſione & auxilio liberari. Hic Verſiculus omnibus infeſtatione Dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus eſt, lorica impenetrabilis, ac munitiſſimus clypeus. Iſte nos in ſpiritualibus ſucceſſibus cordisque lætitia conſtitutos admonet, extolli penitus non debere, nec inflari de proſpero ſtatu, quem ſine protectore Deo retineri non poſſe teſtatur, dum non ſolum eum ſemper, ſed etiã uelociter, ut ſibi auxilietur, implorat. Iſte inquam Verſiculus unicuique noſtrum in qualibet qualitate degenti neceſſarius & utilis inuenitur: nam qui ſe ſemper, & in omnibus deſiderat adiuuari, manifeſtat quod non tantum in rebus duris, ſed etiam in ſecundis, ac lætis pari modo Deo egeat adiutore: ut quemadmodum ex illis erui, ita in iſtis eum faciat immorari, in neutro ſciens humanam fragilitatem ſine illius opitulatione ſubſiſtere. Hæc prædictus Caſſianus.

Caſſianus Heremita Collat. 10. cap. 9.

Quare nos ſigno crucis muniamus, cum dicimus: Deus in adiutorium meum, &c. Cap. XI.

MVnit autem ſe Sacerdos Signo Crucis; dum dicit Deus in adiutorium meum intende, in principio Horarum ad effugiendam illius uirtute quamlibet Diaboli uerſutiam, & poteſtatem: ualde enim timet Diabolus Signum Crucis. ubicunque enim Dæmones uident ſignum Sanctæ Crucis, fugiunt, timentes baculum, quo plagam acceperunt, ſicut bene ſcribit Caſſianus Heremita collatione octaua, cap. decimooctauo, dum de principatibus, ſeu poteſtatibus differit.

Ioan. 3.

Caſſianus Collat. 8. cap. 18.

Digitized by Google

Cur post Deus in adiutorium meum intende, statim in singulis Horis subijcitur: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui-sancto, sicut &c. Cap. XII.

QVoniam verò Dominus dixit: Adhuc te loquente, ecce adsum, ideo quasi iam nos intellexerimus exaudiendos, uel etiam exauditos esse, gratiarum actiones Trinitati tribuimus dicentes: Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto, sicut erat. &c. *3. Reg. 1.*

Cur Alleluia, vel Laus tibi Domine Rex æterna gloriæ, post supradicta addatur. Cap. XIII.

QVid autem dictio hæc Alleluia signet, & cur dicatur post Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto, insuper noscere opere pretium est: Significat autem Alleluia tantundem, sicut laudate Dominum. Nam Alleluia verbum Hebræum, Laudate signat. Iam verò nomen Dei est, significans Dominum. Est autem hæc dictio Alleluia à Sacris eloquijs sumpta, in quibus quidem locis impermutata exprimitur ad insinuandam Dei laudem, vt in libro Thobiæ legitur, dum legimus; Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per uicos eius Alleluia cantabitur, & in Apoc. dicitur: Post hæc audiui quasi vocem magnam turbarum multarum in cęlo dicentium: Alleluia, laus & gloria, & virtus Deo nostro, & paulò post: Et iterum dixerunt, Alleluia. Verumtamen Alleluia additur post Gloria patri, tunc, quando in reddendo Deo laudes, cœlestem nos Hierusalem, in qua vox illa Angelica auditur, scilicet, Alleluia, imitamur. Quod à nobis fit in toto ferè anno, præterquam in tempore à Septuagesima, usque ad Pascha eo enim tempore non lætitiæ damus indicia, sed doloris & pœnitentiæ, luctumque pro peccatis expiandis assumimus. *Ex Conc. 4 Thol. tom. 1. cap. 10.* *Thob. 1.* *Apoc. 19.* *ca. bi duo. de consecr. dist. 1.*

Inuitatorium cur cantetur post alia supradicta. Cap. XIIII.

SAnè iam pręmissis duobus habitis, & impetratis, videlicet gratia, per quam os aperitur, & Diabolo per auxilium Dei sepulto, nihil aliud restat, nisi Laudare: Vnde statim Ecclesia laudans subijcit Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto, &c. Verum quia non sufficit Deum laudare nisi etiam ad laudandum alios inuitemus: vt qui audit dicat: Veni; & cortina cortinam trahat, ideo subnectit Ecclesia Inuitatorium, & inuitatorium Psalmum, Venite exultemus &c. Vbi causa redditur, quare Deo exultare & iubilare debeamus, dum ibi dicitur. Quoniam magnus Dominus, &c. & vltimo assignatur causa ne ingrati simus, sicut Iudæi, qui propter eorum ingratitudinem, & malitiam, terram promissionis non intrauerunt. Vnde dicitur ibi: Si introibunt in requiem meam, quasi dicat non. *De Inuitatorio.* *Apoc. 22.* *Exod. 26. & 36.*

Inuita-

Digitized by Google

Inuitatorium cur alta voce dicatur. Cap. XV.

Psal. 33. EDocta autem Sancta Mater Ecclesia à Spiritusancto, alta voce cum Dauide Sancto cantat Inuitatorium, dicens: Venite filij, audite me, quasi Mater Ecclesia per illa verba inuitet homines ad confitendum Domino, exaltatur, inquam, Inuitatorium, & alta voce canitur, præsertim ibi: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, &c. ne quis corde forte induratus, de non audita suæ Matris voce excusetur. Vnde Esaias: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocē tuam, quasi dicat, ad hoc exalta vocem, ne si non intrabunt in requiem meam, excusentur de voce non audita. (Esa. 58.)

Cur repetatur Inuitatorium ad aliquos ipsius Psalmi Versus. Cap. XVI.

TErtio autem repetitur Inuitatorium imperfectè, sexies autem repetitur integrè. Ter autem imperfectè repetitur, ob tria illa hominum genera, qui ad Cœnam inuitati, inuitationem non receperūt, scilicet Auari, Superbi, & Luxuriosi. (Luc. 14.) Nam Primum genus hominum illorum villam emerat; Secundum iuga boum quinque; Tertium vxorem duxerat. Vel repetitur tertio, propter nostram in tribus scilicet, in corde, in ore, & in opere imperfectionem: Sed quando sexies repetitur integrè à nobis, tunc ex illis nos esse ostendimus, qui integrè inuitationem recipiunt, qui & perfectè laudes Deo referunt, perfectè autem laudes Deo illi referunt, qui nil, quod non sit laudis, interponunt. Vel sexies repetitur ad innuendum, quod quandocunque homines de hoc mundo siue in Prima, siue in Secunda, siue in Tertia, Quarta, Quintave, vel etiam adhuc in Sexta ætate volunt ad Dominum conuerti, & illum laudare, illos potuisse, & posse nunc. Quia adhuc, & sexto eos inuitat (quando nouissima est) Sancta eius Mater Ecclesia, quæ semper se liberalem pœnitentibus exhibuit, cum ipsa gremium suum nunquam redeuntibus claudat. (Cap sedes Apost. de rescriptis. C. de Sum. Tri. & fide Cath. l. fin.)

Hymni quamobrem post Inuitatorium concinantur. Cap. XVII.

CVm autem adhuc non sufficiat Deum ore laudare, nisi ex mente laudetur, ideo tam ex institutione Gelasij Papæ, quam ex approbatione Conciliorum Toletani, & Agathen. post Inuitatorium subijcitur Hymnus. Item quia post inuitationem consequenter multi Deum cum lætitia laudant; iuxta illud Dauidis: Audiuit, & lætata est Syon. Ideo post Inuitatorium cantatur communiter Hymnus. Vel Hymnus dicitur post Inuitatorium in signum, quia Gentes gauisæ sunt, quod ad fidem vocatæ sint.

(Platina. Conc. 4. Tolet. tomo 1. cap. 12. & Cōc Agat. tom. 1. c. 30. f. de cōsec. dist. 1. c. de hym. et dis. 5. c. conuenit. Psal. 96. Act. 13.)

Quid

Quid sit Hymnus. Cap. XVIII.

EST autem Hymnus vocabulum Græcum, Latinè, vt in expositione Hymni Primi diximus, laudem Dei cum cantico, vel vocem humanam in laudem Dei metricè compositam denuncians.

Vt quid stando Hymni concinantur. Cap. XIX.

IDeo autem stando Hymnos cantamus in erectione corporum, vt ostendamus, quod in laudando Deum corda sursum erecta habere debeamus, & relictis terrenorum negotiorum cogitatibus, tunc animos nostros ad Deum erigere debemus, & cęlestia duntaxat, & spiritualia meditari, secundum illud Apost. monitum ad Colossenses: Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Ne si nostra corda non habeantur ad Dominum, sed potius ad ea, quæ sunt mundi, locum in nobis habeat illud, de quo conqueritur Dominus per Esaiam Prophetam: Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me. nam inquit Glos. de mente S. Augustini: Quid prodest strepitus labiorum, si mutum est cor. & iterum: Nunquam, inquit, orat quisquis etiam flexis genibus, si vagatione distrahitur.

Colos. 3.

Esai. 29.

Clem. vni. de reliq. & vene. Sāct.

Hymni propter quid Psalmos præcedant. Cap. XX.

PRæcedunt autem Psalmos Hymni in Matutino, & in Prima, Sexta, & Nona In Laudibus verò, & Vesperis, & Completorio postponuntur; sicut suis loco, & tempore de omnibus dicemus, & nō modo; Quoniam, inquit Gulielmus, dies pertinent ad Spirituales, qui habent gaudiū conscientiæ. Nox verò ad Pęnitentes, qui habent remorsum cōscientiæ: iccirco Spirituales inducuntur exultatione in operationē: Pœnitentes verò per operationem oportet venire ad exultationem. Cur autem Hymni in Paschate non dicatur, & cur in Prima nunquā Hymnus mutetur, infrà, in tractatu tertio, & quarto Deo dante dicemus.

Lib. 5. c. 2.

Antiphona cur Hymnum subsequatur. Cap. XXI.

AD hæc Hymnum Antiphona subsequitur: Psalmos verò antecedit, quoniam Antiphona charitatē significat, sine qua opus non perficitur, ideo vt operationē bonam perficiamus, hoc est Psalmos, qui bonā operationem designant, Antiphona subhæret Hymnis, & Psalmos pręmittit.

Antiphona quid sit. Cap. XXII.

DIcitur autem Antiphona, secundum Albericum de Rosate in Dictionario suo, vox reciproca duobus Choris alternatim canentibus, quasi vox voci contraposita: & ea est clausula, siue sen-

De Antiphona.

tentia

tentia tertia, quæ inchoatur ante Psalmum, eoque finito integrè tota dicitur.

Antiphonas canendi ritum quis induxerit. Cap. XXIII.

IN Ecclesia verò Dei modus Antiphonas canendi in usum transijt, apud Latinos ex institutione Beati Ambrosij Mediolanensis Archiepiscopi, vt benè Iudocus Clictoueus, dū de Antiphonis tractat, refert, cuius verba sunt hæc: Porrò ritum canendi Antiphonas in Ecclesia apud Latinos primum S Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis transtulit à Græcis, apud quos hic ritus iam inoleuerat, & in vsum transierat ex instituto Beati Ignatij Episcopi Antiocheni, & Apostolorum discipuli, qui per visionem in cœlum raptus, audiuit Angelicos Spiritus per Antiphonarum reciprocationem summæ Trinitati Hymnum laudis canentes, & ad imitationem ipsorum constituit hunc canendi modum etiam in Ecclesiastica functione obseruari debere. Hæc Iudocus. De Antiphonis verò Aduentus, & aliorum temporum, aliàs dicemus. Restat ergo hic, vt sequamur nostrum institutum.

Iudoc⁹ Clictoueus.

Cur Psalmi in Diuino Officio post Hymnum, & Antiphonam ponantur, quæritur. Cap. XXIIII.

De Psalm

AMplius, quoniam, inquam, nec sufficit laus oris, & cordis, nisi & opus, per quod Psalmi designantur, sequatur: quia fides sine operibus non prodest & ociosa est, imò mortua est, ideo post Hymnum, & Antiphonam sequuntur Psalmi, qui (vt diximus) bonam operationem designant.

Iac. 2.

Quæritur quot in Dominica ad Matutinum Psalmi dicantur. Cap. XXV.

PLanè decem & octo in Dominica ad Matutinum Psalmos canimus, duodecim videlicet in Primo Nocturno, tres in Secundo, & totidem in Tertio.

Duodecim Psalmi Primi Nocturni quid significent. Cap. XXVI.

SAnè Primum Nocturnum in Dominica ideo ex duodecim constat Psalmis, quoniam recolit, indicatque tempus ante Legem, scilicet, tempus Legis naturalis, in quo viguerunt, & vigilauerunt Sancti, & præsertim duodecim Patriarchæ à quibus Populus Domini in duodecim tribus fuit propagatus: iccirco duodecim Psalmi in Primo Nocturno recitantur in memoriam istorum & omnium Sanctorum Patrum, qui fuerunt Domino peculiaris populus; sicut in tempore gratiæ duodecim Apostoli præ cæteris præfulserunt. Vel duodecim tales

Genes 25. 30. 35. Apoc. 7.

Psalmi

Psalmi fidem Abrahæ, quæ hodie cernitur in duodecim articulis fidei, per duodecim Apostolos editis, denotant.

Cur duodenarius Psalmorum numerus secetur Antiphonis in tres partes. Cap. XXVII.

SEd iste duodenarius Psalmorum Primi Nocturni numerus ideo in quaternarium Psalmorum numerum Antiphonis diuiditur ab Ecclesia: Quia quatuor principales, seu Cardinales virtutes prætendunt; videlicet, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, & Temperantiam, quas virtutes credimus Sanctos Patriarchas suo tempore præ cęteris habuisse, & alijs exemplo demonstrasse.

Quid trina in quatuor Psalmos Primi Nocturni diuisio signet. Cap. XXVIII.

PRæterea illa quatuor Psalmorum Primi Nocturni diuisio trina, sanctissimam Fidem, Spem, & Charitatem posse indicare, nulli dubium est, quibus & præditi erant prædicti Sancti Patres veteris testamenti. Vel etiam Sanctissimam Trinitatem, quam confitebantur, sicut & nos confitemur hodie, dum ad exemplum eorum exsoluimus hos Psalmos Sanctissimam repræsentantes Trinitatem.

Cur duodecim Psalmi Primi Nocturni sic sint distincti per quatuor Psalmos in tres partes. Cap. XXIX.

DIstinctio autem duodecim Psalmorum Primi Nocturni per quatuor Psalmos in tres distinctiones, seu partes, repræsentat tempus ante Legem, tres habens distinctiones. Tempus siquidem ante Legem has habuit distinctiones: Prima fuit ab Adam, vsque ad Noè, in qua vigilauerunt Abel, Enos, Enoch, & Lamech, quod in primis quatuor Psalmis innuitur, nam Beatus vir cantat Abel, qui tanquam lignum *Genes. 4.* plantatum tanquam secus decursus aquarum dedit in tempore suo fructum iustitiæ: dum pro iustitia conseruanda succubuit. Quare fremuerunt cantat Enos; quia Domino in timore seruiuit dum nomen *Genes. 5.* Domini inuocauit. Domine quid multiplicati sunt cantat Enoch, *Gen. 5.* quem Dominus suscepit dum eum ad paradisum transtulit. Domine ne in furore tuo, cantat Lamech, dum ei talem filium dedit, qui genus humanum à furore Dei in arca saluauit. Secunda distinctio fuit à *Gen. 6.* Noe usque ad Abraham: in qua vigilauerunt Noè, Sem, Heber, & Thare. Domine Deus meus cantat Noè, quem Dominus in illa generatione iustum inuenit; & ideo aquis persequentibus saluum fecit. *Gen. 9.* Domine Deus noster cantat Sem, quem Dominus gloria, & honore coronauit, dum eum super fratres Patris benedictione sublimauit. Confitebor tibi cantat Heber, qui mirabilia Dei narrauit, cum ciuitatem Gigantium dissipauit. *Gen. 11.* In Domino confido cantat Thare, qui in vrbe Chaldæorum

Digitized by Google

dæorum positus, in Domino confidit, cuius pars calicis ignis & sulphur extitit. Tertia ab Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph. quod quidem Psalmi sequentes declarant: nam Saluum me fac, cantat Abraham, quem Deus saluum fecit, in cuius tempore sanctus defuit, quia idololatriæ seruiuit. Psalmum vsquequo, cantat Isaac, quem Dominus in Sacrificio respexit. Dixit insipiens, cantat Iacob, cui spes Dominus fuit; vnde ibi dicitur: Exultauit Iacob, & lætabitur Israel. Domine quis habitabit, cantat Ioseph, qui fuit sine macula, dum adulterium recusauit.

Gen. 12. Gen. 22. Gen. 28. Gen. 39.

Quid illæ tres Antiphonæ sub quarto quoque Psalmo repetitæ denotent. Cap. XXX.

SEd tres Antiphonæ, quas sub quarto quoque Psalmo Primi Nocturni Dominicæ reperimus, fidem Sanctissimæ, & indiuiduę Trinitatis, siue delectationem in ea ostendunt, quarum quælibet respondet quatuor Psalmis. quilibet enim homo tenens fidem sanctæ Trinitatis, quatuor virtutibus Cardinalibus est quadratus, & compositus.

Cur Versiculi in Nocturnis ante Lectiones dicantur. Cap. XXXI.

De Versu.

POrrò quoniam in Nocturnalibus Lectionibus propter earum vniuersitatem, & magnitudinem sedere solemus: ideo ne propter longam sessionem, aut pro lassitudine, aut per lassitudinem, siue otium, obliuiscamur doctrinæ Domini, quam Lectiones significant, cogitando forte inania, aut dormiendo, vel confabulando, versiculo præcedente ad lectiones audiendas incitamur.

Cur post Versus Dominica dicatur oratio. Cap. XXXII.

De Dominica oratione.

POst autem versus ante Lectiones, per quas (vt diximus) doctrinam habemus, Dominicam dicimus orationem: Primò, ad notandum quoniam qui eget sapientia, & intellectu doctrinæ, postulet illam à Deo, qui (secundum Iacobum) dat affluenter omnibus, & non improperat. Secundo, vt ipsius orationis auxilio proficiat in nobis versus intentio. Tertiò, vt per illam Diaboli tentationes propellantur. Ille enim sentiens nos velle Lectiones legere in quibus Sanctorum victoriæ contra ipsum habitæ leguntur, satagit nos acrius impugnare. Vnde nos illa oratione præmunimus.

Nota.

Quam ob rem ante Lectiones Dominica oratio secretò dicatur. Cap. XXXIII.

SEcretò autem prædicta oratio Dominica post Versus, & ante Lectiones dicitur à nobis, ob id, quoniam secretum Regis Concilium intel-

intelligitur, vt propositæ similitudinis sequamur exemplum, & vt attentius, accuratiusq; mente capiatur.

Vltima orationis Dominicæ pars vt quid patenter pronuncietur.
Cap. XXXIIII.

VEruntamen vltimę huius orationis pars palàm pronunciatur: vt pateat propter quid ipsa dicatur oratio: ne scilicet Lector per phantasiam tentationum se ad legendum Lectiones offerat: & auditores Lectionum intellectu, & profectu fraudentur.

Quid preces, seu absolutio post Dominicam orationem denotent.
Cap. XXXV.

PEr preces verò quæ Dominicam orationem ante Lectionem sequũtur imploratur Sanctorum intercessio, & Christi Dei exauditio ad obtinendum quod in ipsa oratione postulamus, oramus enim vt mittat operarios in messem: & aperiat cor nostrum in lege, & in præceptis.

Benedictionem petens ante Lectiones ob quam rem dicat, Domne magis quàm Domine. Cap. XXXVI.

PRæterea ille, qui petit benedictionem ait: Iube Domne benedicere, & non Domine. Quia tunc ad imperfectum, hoc est, ad hominem, sermonem dirigit. Vnde illud: Imperfectum meum viderunt oculi tui.

Petitio benedictionis quid sibi velit. Cap. XXXVII.

LEcturus verò Lectiones, petens benedictionem (hoc inquit Rupertus Abbas) significat, quod nemo nisi missus, aut permissus officium prædicationis vsurpare debeat. Quomodo enim, inquit Apostolus, prædicabunt, nisi mittantur. Istis itaque cum omni reuerentia petitis, incipit Lector Lectiones legere.

De benedictione de diuino officio. lib. 1. cap. 12.
Rom. 12.

Quæ Lectiones legantur per æstatem. Cap. XXXVIII.

LEget autem Lector æstiuo tempore, hoc est, ab octauis Paschæ usque ad quartam Dominicam post Pascha, & de Actibus Apostolorum, & Apoc. propter mysteria Passionis, & Resurrectionis Christi, quę Ioanni reuelata sunt, & Apostoli prædicauerunt. At a quarta Dominica, usque ad Ascensionem leget ipse Epistolas Canonicas, & Actus Apostolorum. Sed ab Ascensione Domini ad cælos, vsque ad Pentecostes, leget, & de Actibus Apostolorum, & Canonicas Epistolas. Porrò ab octauis Pentecostes, vsque ad Calendas Augusti, leguntur libri Regum, & Paralipomenon: quia (vt inquit Durandus) sicut Samuel, Saul, Dauid, & alij pro lege Domini

Durã. li. 6. cap. 1.

L pugnauerunt,

Digitized by Google

pugnauerunt, sic & nos post quam accepimus donum Spiritussancti in Baptismo, Virtute debemus pugnare contra Dæmones formati, nati, nutriti, & armati, uel quia secundum Rupertum, huiusmodi Regum, & Paralipomenon libri mysticè assimilantur primis Christianitatis temporibus, quando paulatim crescente fide Christi, uetus idololatria decidit: nam inquit ipse, sicut regnanti Sauli, quem populus appetierat contra uoluntatem Dei, superuenit electio Dauid, quem Dominus secundum cor suum se inuenisse dicit, tandemque totum Regnum à domo Saulis auersum, eidem Dauid se subdidit; sic demum superuenit in mundum cultus Dei, scilicet statim post Aduentum Spiritussancti, tandemque Christiana fides per bella martyrum uictrix sedit in throno Romani Imperij, totusque deinceps mundus manu forti Christo se subdidit. Ad hæc à Calendis Augusti usque ad Calendas Septembris leguntur libri sapientissimi Salomonis: quia in pugna maximè necessaria est sapientia. Vel quia Augustus sextus mensis est, & in sexta ætate, in qua Deus uenit, debemus propter eius præsentiam sapienter uiuere. Vel quia secundum Rupertum prædictum, sicut post pugnas hæreticorum claruerunt in Ecclesia ingenia Doctorum, qui excitati contentionibus illorum, non dormitantes, sapientiæ, & scientiæ studuerunt, & disputauerunt quodammodo & ipsi, sicut de Salomone legitur. Demum legitur liber Iob; quia uidelicet maximè in pace Ecclesiæ non desunt tentationes uiris ad uirtutem tendentibus, quæ in omnibus percussionibus, uel consolationibus eiusdem S. Iob moraliter figurantur; & hæc dicta sint de Nocturnis Lectionibus per Æstatem: sequitur ut de Hyemalibus Lectionibus dicamus.

Rup. Abb. li. 12. c. 24. de Diuino Off.

1. Reg. 8.
Psa. 77. 88
2. Reg. 5.

3. Reg. 4.
Liber Iob contra tentas.

Quas debeat legere Lectiones tempore Hyemis Lector.
Cap. XXXIX.

Abhinc iam Mense Septembris quatuor leguntur libri; uidelicet, Thobias, Iudith, Hester, & Esdras, quia secundum Gulielmum; hi patienter aduersa sustinuerunt; & Ecclesia in fine mundi aduersa omnia pro Domino tolerabit. Sed Rupertus Abbas dicit Thobiam typum gerere Prudentiæ, Iudith Fortitudinis specimen; Hester temperantiæ speculum; Esdras iustitiæ decus, & sic uult ipse hos quatuor libros innuere quatuor uirtutes Cardinales, reddit enim ipse rationem de hoc ibidem. Amplius à Calendis Octobris, usque ad Nouembrem leget Lector libros Machabæorum: quia iste octauus mensis lætitiam resurrectionis signat: Quia sicut Iudæi finitis prælijs, & instaurato templo in Hymnis, & confessionibus benedicebant Dominum, sic in gloria resurrectionis, & magnæ festiuitatis deuictis Diaboli prælijs, sancti, & iusti festiuè exultabunt, & gaudebunt. Insuper à Calendis Nouembris, usque ad Aduentum Domini, leget Lector libros Ezechielis, Danielis, & Duodecim Prophetarum minorum. Ezechiel enim uidit quatuor animalia in figura quatuor Euāgelistarum, quæ Natiuitatem, Passionem, Resurrectionem, &

Eod. lib.

Eod. lib. cap. 21.
Iudith. 9.
Hester. 14.

Digitized by Google

Ascensionem docuerunt; isti ergo meritò ante Aduentum leguntur libri: quia clarius Christi aduentum prædixerunt. Denique ab Aduentu Domini nostri Iesu Christi, vsque ad Natale eius, ipse Lector leget Lectiones librorum Esaiæ, quia quanto ipse Esaias de Christo urbanius prophetauit cæteris, tanto Natiuitati eius legitur vicinius. In ipsa verò Domini nostri Natiuitate non solum de illa legitur, & cantatur, sed etiam de causis ipsius festiuitatis, quod fit ad ostendendum magnum gaudium nobis cœlitus datum. In prima verò Dominica post Natale, legit Lector Epistolas Beati Pauli ad Romanos ad ipsam pertinentes Natiuitatem. In Epiphania Domini leget Esaiam. Ab octaua Epiphaniæ usque ad Septuagesimam leget Epistolas Pauli ad Corinthios, Galathas, Ephesios, Colossenses, Timoth. Titum, & ad Hebræos, in quibus legitur de labore, & luctu, & pugna eius. A Septuagesima verò vsque ad Quadragesimam Genesis libros leget Lector. Sed per totam Quadragesimam ferè leget Euangelia, & Homelias Sanctorum.

Cur Lector post finem lectionum succlamet, Tu autem Domine miserere nobis. Cap. XL.

QVod in fine (inquit Rupertus) dicit Lector, Tu autem Domine miserere nobis, hoc innuit, ne ipsum quidem officium prædicandi sine alicuius, vel leuis culpæ puluere posse peragi. Et quia prædicator per terram ambulat, & pedes eius aliquo puluere sordidantur, iccirco misericordia Dei indiget, vt in hac lauetur parte; etiã si mũdus sit totus. Sed Gulielmus sic ait, Lectione finita, dicit Lector: Tu autẽ Domine miserere nobis, quod neque de Lectione est, neque ei continuatur; sed ille ad Deum sermonẽ dirigens se excusat, quasi dicat; Domine peccaui, legendo, forsitan modulatè pronuncians cupidine laudis humanæ; vel captando uentũ humani fauoris, et audiẽtes similiter forsitan peccauerũt uanis cogitationibus intendentes, uel à lectione auditum auertentes.

Chorus cur succinat Deo gratias, post dictum Tu autem Domine à Lectore miserere nobis. Cap. XLI.

QVod uerò (inquit præfatus Durandus) respondetur à cunctis Deo gratias, nõ ad tu aũt Domine miserere nobis, sed ad lectionẽ refert. Est enim Vox Ecclesiæ, Deo gratias exsoluẽtis, ac si dicat; Deus nos pauit uerbis salutis, quæ sunt cibus animæ, & pro huiusmodi beneficio Deo gratias, supple exsoluimus. At Rupertus sic: Quod uerò (inquit) Deo gratias succinit Chorus, nõ ad ultimã Lectoris precẽ, sed ad totam Lectionẽ respicit. Gratias nãque agimus Deo; quod doctrinæ suæ panẽ nobis frangere dignatur, ne fame audiendi uerbum Dei pereamus.

De Deo gratias. ibidem.

Rupertus ibidem.

Responsoria post Lectiones quid indicent. Cap. XLII.

De Responsorijs lib. 1. cap. 15. De Diuino Off.

REsponsoria, inquit sępedictus Rupertus Abbas, quæ post Lectiones canimus, nobis innuunt sanctis monitis Dei factis nos responde-

Digitized by Google

re debere. At Gulielmus ait: Ideo Responsoria post Lectiones subijci, quia per bona opera, quæ per Responsoria significantur, debemus respondere doctrinæ, quæ per Lectiones figuratur, ne cum seruo pigro, qui pecuniam Domini sui abscondit, in tenebras exteriores mittamur. Dicuntur namque Responsoria, quia Lectioni respondere debent, & consonare: Vnde prædictus Rupertus ibidem ait: Tristia namque tristibus, & læta lætis debemus succinere Lectionibus. Vel ideo Responsoria dicuntur, quia si fortè Lectiones sunt de Actibus Apostolorum, Responsoria sunt similiter de eisdem. Vel dicuntur Responsoria, quia vni cantanti cæteri concorditer respondent, iuxta illud Apostoli; vt id ipsum omnes dicamus, & non sint in nobis Schismata.

Matt. 25. Iudoc. li. 2. de Resp. Toletanū Concil. 4. cap. 15. tomo 2 C. 1. Corin. 1.

Quamobrem in vltimo fine tertio Lectionum Responsorio iterum illud pro parte repetamus. Cap. XLIII.

SEmiplenè autem, siue pro parte repetitur tertium siue vltimum Responsoriū, ad notandum ea, quę viuentes facimus, imperfecta esse, & fit primo repetitio à remotiori quo ad finē, & postea à minus remoto.

Cur Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto dicatur, dictis Versibus vltimi, & tertij Responsorij. Cap. XLIIII.

VLtimò cognoscamus, quod ideo in tertio Responsorio dicitur Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto: quia omne desiderium, & seruitium ad Deum trinum est referendum. Vel quia nunquam sufficit, nec sufficiet fides incarnationis sine fide Trinitatis; ideo succinitur Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto.

Cur secundum Nocturnum constet ex tribus Psalmis. Cap. XLV.

De Secūdo Nocturno.

ATqui Secundum Nocturnum Dominicæ diei tres habet Psalmos ob id; quoniam Legis repræsentat tempus, tres habens distinctiones præannuentes hos tres Psalmos. Prima enim distinctio fuit à Moyse vsque ad Dauid, in qua vigilauerunt Sacerdotes, vt Aaron cum docuit, quos exprimit Psalmus primus, scilicet: Conserua me, quorum Dominus pars fuit hæreditatis, & calicis. Secūda distinctio fuit à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, in qua vigilauerunt Iudices, vt Gedeon, dum iudicauit, quos exprimit secundus Psalmus, s. Exaudi Domine iustitiam tuam: quorū iudicium prodijt de vultu Omnipotentis. Tertia à trāsmigratione Babylonis, vsq; ad Christū, in qua vigilauerūt Reges, vt Salomon dum populum rexit, quos insinuat tertius Psalmus: Diligam te, quos Dominus constituit super gentes. Vel tres in Secundo Noct. recitamus Psalmos; propterea, quod tres Sanctorum pręcesserunt Ordines. s. Legislator cū suis imitatoribus; Psalmista similiter cū suis, & Prophetę: Fuerūt namq; aliqui aliqua doctrina legis contenti. Fuerunt

Iudic. 8. 3 Reg. à 2. vsq; ad 11.

& etiam

Digitized by Google

& etiam aliqui, qui cum Dauid, vel admodum ipsius Domino Psalmos decantauerunt ante arcam eius. Fuerunt & Prophetæ, quibus datum fuit corrigere populum doctrina, & sapientia sibi à Deo data, & prædicere eis futura. propter hos ergo tres Ordines, tres Psalmos dicimus. Præterea ad singulos Psalmos dicimus Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto, cum Antiphona: quia isti Sancti prædicti seruierunt prædictis personis, hoc est indiuiduæ Trinitati. Cõc Tolet. 4. c 12. Tom. 2. b.

Cur post Secundum Nocturnum Lectiones Sanctorum Patrum legantur. Cap. XLVI.

QVoniam verò Lectiones Sanctorum Patrum obtinent vicem earum Lectionum, quas Doctores faciunt ad ignaros, vt eorum doceantur doctrinam: ideo nos quoque horum Sanctorum Patrum Lectiones legimus, vt eorum sancta opera imitemur, & doceamur viuere ad illorum sanctissima instituta, per easque moneamur opera nostra retorquere in Deum.

Tertium Nocturnum propter quid trium sit Psalmorum. Cap. XLVII.

PAri modo quemadmodum Secundum Dominicæ Nocturnum ex tribus constat Psalmis, tempus subinsinuans Legis, ita Tertium etiam Nocturnum tribus est præditum Psalmis, nobis innuens tempus Gratiæ, quod tres habuit distinctiones, propter quas nunc concinimus in hoc tertio Dominicæ Nocturno Psalmos. Prima siquidem temporis legis gratiæ distinctio fuit Apostolicæ, & Euangelicæ Prædicationis, in qua uigilauerunt Apostoli, qui exprimuntur in Psalmo: Psal. 18.
Cęli enarrant, quia in omnem terram exiuit sonus eorum. Secunda temporis Gratiæ distinctio fuit tempus impugnationis per hæreses emergentes, in qua vigilauerunt Martyres, quos declarat Psalmus sequens, scilicet: Exaudiat te, quia Dominus protexit eos in die Psal. 19.
tribulationis eorum. Tertia distinctio fuit tempus Pacis, quando uidelicet, hæreses eliminatæ sunt, in qua uigilauerunt Confessores, quos innuit tertius Psalmus, scilicet; Domine in uirtute, qui non sunt Psal. 20.
fraudati uoluntate labiorum suorum.

Cur in tertio Nocturno Sanctum Christi legatur Euangelium. Cap. XLVIII.

NOn est etiam omittendum, quod Sanctum Iesu Christi Euangelium in tertio Dominicæ Nocturno diligenter, reuerenterque legitur; ob id, quod demum denotatur concordia, & consonantia Legis Euangelicæ, cum ueteri testamento. Vnde illud Dei Ecclesia Pietatis affectu suscipit, veneraturque.

Quid Homelia indicet. Cap. XLIX.

De Homelia.

Iudocus de Horis Canon.

RVrsus quoniam in Officio Matutino plerumque Euangelicæ Lectioni subnectitur expositio illius ab aliquo Doctore sumpta, quæ Homelia vulgo nuncupatur, quod id signat nomen etiam opere pretium est dignoscere. Homelia ergo dicitur colloquium, vel sermo ad populum, aliquem scripturæ Sanctæ locum explanans. Descenditque à verbo Græco homileo, quod sermocinari, & colloqui signat.

Cur post nonam Lectionem; Te Deum laudamus, aut vnum Responsorium dicamus. Cap. L.

De Te Deũ laudamus.

Nota.

TE Deum laudamus, post nonæ Lectionis recitationem dicitur, aut omittitur: Quoniam ibi gaudium, & laudes cœli, & terræ, capitis, & membrorum significantur, sicut in Gloria in excelsis, cœlum, & terra: Creator, & creatura: caput, & membra cum Laude, & gaudio nominantur. At Responsorium dicitur, cum Te Deum omittitur, in quo idem ferè habetur, quod & habitum est in Lectione. Vnde dicitur Responsorium: quia Lectioni respondere, idest consonare debet, vt si fortè Lectiones fuerint de Actibus Apostolorum, Responsoria sint similiter de ijsdem. Cur autem in omni tertio Responsorio faciamus semiplenam eiusdem repetitionem, & cur Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto inseratur; etiam dictum est supra eodem tractatu, quæstione quadragesimatertia. Itaque Antiphonæ ad dilectionem: Psalmi ad actionem: versus ad exercitationem: Lectiones ad Dei cognitionem: Responsoria ad gaudium, & cantum Angelorum pertinent.

Laudes Matutinæ quo consilio inducta sint. Cap. LI.

De Laudibus Matutinis.

2. Esdra. 8. 9. & 10.

Concil. Agath.

Mart. vlt.

SEquitur modò, vt de Laudibus Matutinis aliqua dicamus, & quidem Laudes Matutinæ, & noui & veteris Testamenti authoritate inductæ, adinuenta que sunt. Esdras si quidem Propheta populum Israeliticum de Babilonica captiuitate reuersum, docuit Deum laudare quater in nocte, & quater in die; vt vnumquodque quatuor elementorum ex quibus homo cõstat per competentes horas obsequio se offerat Creatoris: De nocte videlicet, in vesperis, in Completorio, in Nocturnis; In diluculo; hoc est, in Laudib. Matutinis. De die verò, in Prima, in Tertia, in Sexta, & in Nona: quem quidem ordinem Concilium Agatheñ. de celebr. Miss. cap. 1. approbat, & Sancta Dei Ecclesia seruat. At noui Testamenti authoritate Laudes mane aurora rutilante decantantur: vnde tali hora Christus victor à mortuis resurrexit, quandoquidem Marc. ait; Surgens Iesus mane primi Sabbathi. Laudes ergo Matutinas, rubescente aurora cantamus, scilicet in quarta vigilia, cum ex authori-

Digitized by Google

tum ex authoritate veteris, tum etiam ex authoritate noui Testamenti.

Laudes unde dictæ sint. Cap. LII.

AD hæc Laudes dicuntur, quod illud Officium laudem præcipuè sonat diuinam, quã Deo facimus pro eo, quod à tenebris erroris nos ad lucem, seu viam veritatis reduxit, & ad tentationes Diaboli repellendas. Vnde Esaias Expergiscimini, inquit, et laudate, qui habitatis in puluere quia ros lucis est. *Esaia 26.*

Qua de causa quinque Psalmi in Laudibus Matutinis cantentur. Cap. LIII.

IN Matutinis autem Laudibus quinque (dico quinque ob id, quod duo Psalmi, uidelicet Deus meus, et Deus misereatur nostri, unius, & tres vltimi, scilicet, laudate cantate, & laudate Dominum, vnius, & item alterius vicem tenent) exsoluuntur à nobis Psalmi, ut quinque sensuum reparatio notetur, ac propter quinque status Ecclesiæ. Primus, siquidem Psalmus, hoc est, Dominus regnauit, in quo laudatur Deus, qui firmauit orbem terræ in fide, scilicet, & resurrectione, ad Christi regnum pertinet. Secundus nempe Iubilate, ad statum Confessorum pertinet: Vnde ibi dicitur: Introite portas eius in confessione. Tertius psalmus, scilicet, Deus meus, cum sequẽti, signat statum Martyrum, qui sitiunt ad Dominum: vnde dicitur ibi: Sitiuit anima mea: & quoniam tota nostra sitis & intentio debet esse in Trinitate, & ad Trinitatem, ideo subsequitur Psalmus Deus misereatur nostri, in quo tota Trinitas notatur, dum ibi dicitur Benedicat nos Deus Deus noster, cum reliquis in quibus ter Deus propter Patrem, Filium, & Spiritumsanctum nominatur. Quartus Psalmus, cuius loco dicitur Cãticum trium puerorum, scilicet; Benedicite; statum Antichristi portẽdit. Quintus demũ Psalmus, hoc est, Laudate Dominũ cũ duobus sequentibus, scilicet, Cantate, & Laudate Dominũ in sanctis, statum illum indicat, in quo, & quando post mortem Antichristi cõuertẽtur Iudæi, & proinde in fine huius quinti, & vltimi Psalmi dicitur Gloria patri & reliqua. *Psal. 92.* *Psal. 99.* *Psal. 62.* *Psal. 66.* *Psal. 9.* *Psal. 148.* *Psal. 149.*

Cur in fine Cantici trium puerorum, quod Benedicite omnia opera Domini, incipit, non dicat Gloria Patri &c. Cap. LIIII.

SEd aduertendum est, quod in calce cantici trium puerorum Benedicite omnia opera Domini Domino incipientis, haudquaquã Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto dicitur, quoniã in ipso distinctè tota Trinitas notificatur, & laudatur Deus in creaturis: ac etiam ob id, quod ultimus Versus illius idem dicit, quod Gloria Patri; & in diuinis scripturis nihil superuacuum esse debet. Vnde ipsum sępèdictum Cãticum tres habet partes: In Prima enim inuitantur superiores creaturæ ad laudandum Deum, & ad laudem Creatoris, scilicet, qui sunt supra cęlum, *De cantico triũ puerorum.*

Digitized by Google

quæ in cœlo, & in aere: In Secunda inuitantur creaturæ terrenæ & quæ mouentur in aquis: In Tertia inuitantur omnes spiritus, & animæ ut cum omni creatura Domino benedicat: Quia sicut tyrannidem Nabuchodonosor, & caminum ignis illi tres pueri euaserunt, sic nos per eum, & Diaboli insultus, & inferni incendium euasimus.

Daniel. 3.

Cur præmemoratum Canticum in Dominica & in festis duntaxat non autem in feriis recitetur. Cap. LV.

Genes. 1.

CÆterum hoc idem Canticum bene conuenit ut dicatur die Dominico, & quolibet festiuo: quandoquidem prima die Dominus uniuersa creauit, & per suam resurrectionem postmodum innouauit, ideoque in ea, & in festis, quæ resurrectionem domininicam imitantur dicitur, in quo die creaturæ ad creatoris laudem inuitantur.

Festa quid indicent.

Quid significent Psalmi Laudum, in quantum sunt octo. Cap. LVI.

Psal. Laudum octo quid.

DIci autem potest, quod in Laudibus Matutinis octo dicuntur Psalmi, eo quod Officium istud misticè recolit statum Ecclesiæ ab initio Apostolicæ stabilitatis, usquè ad perfectionem electorum, qui in fine mundi futuri sunt, sub hoc enim statu octo ordines Ecclesiæ, siue electorum in Ecclesia Sancta per Baptismum Saluati reperiuntur, sicut in Arca Noe octo animæ illos significantes, per eam saluatæ sunt: & sic per Diluuium accipe Baptismum; per Arcam uerò Ecclesiam. Primus ergò Ordo Ecclesię siue electorū qui saluatus est, fuit Ordo primitiuæ Ecclesiæ in populo Iudaico conuersantis, qui quæue per prædicationem Christi reformatus, reformataue, & ædificatus, ædificataue fuit, Vnde dicitur im Primo Psalmo Etenim firmauit orbem terræ. Secundus Ordo qui saluatus est fuit primitiuæ Ecclesiæ inuitantis per prædicationem Domini, & Apostolorum omnem terram, hoc est, omnem gentem ad iubilandum Deo monentium, quod Secundus innuit Psalmus, Iubilate Deo omnis terra. Tertius Ordo fuit Gentilitatis credentis. Quartus erit resipiscentis Iudaici populi per Enoch, & Heliam conuersi, quem ad Deum conuersum esse, & misericordiam poscere monstrat quartus Psalmus: Dominus misereatur nostri. Quintus erit eorum, qui futuri sunt tempore Antichristi, cuius figuram præcessit Nabuchodonosor, qui Antichristus licèt tribulauerit Sanctos utriusque populi, non tamen desistent benedicere Deum ad instar trium puerorum, quos Deus liberauit de Camino ignis ardentis, qui per illud quintum Canticum Benedicite, recoluntur. eo enim tempore iusti purgabuntur, uelut in camino ignis, non tamen urentur. Sextus, Septimus, & Octauus Ordo erit eorum, qui uniuersaliter extribus mundi partibus; Asia, scilicet, Africa, & Europa, conuertendi, & colligendi sunt, qui post Antichristi persecutionem, & eius mortem maiori pace fruentur usque ad diem iudicij, quique in tribus mundi pertibus de tribulationibus emerserint regnaturi cum Sponso Ecclesiæ,

Genes. 7.

Psal. 91.

Psal. 62.

Daniel 3.

celebra-

Digitized by Google

celebrabunt laudes Dei, quæ continentur in illis tribus Psalmis, scilicet, Laudate Dominum de cęlis; Cantate Domino canticum nouum, & Laudate Dominum in Sanctis eius. Psal. 148. Psal. 149. Psal. 150.

Cur Psalmi Deus, Deus meus: & Deus misereatur nostri, combinantur, & sub uno Gloria patri, & sub una Antiphona dicuntur. Cap. LVII.

PSalmi autem Deus, Deus meus, & Deus misereatur nostri, propterea combinantur sub uno Gloria Patri, & sub una Antiphona dicuntur, quod alter sitim ad Deum significat, alter Sanctissimam notat Trinitatem. Igitur ad significandam sitim, & desiderium continuum ad Deum hoc fit. Vel ad notandum quod ante persecutionem Antichristi populus gentilitatis credentis, qui recolitur per Primum Psalmum, & Iudaicus populus resipiscens, qui recolitur per Secundum, unum erunt in fide, & post quam hi coniuncti erunt, veniet Antichristi tribulatio. Vel quia primus Psalmus dilectionem Dei (unde in eo dicitur. Sitiuit in te anima mea) Secundus proximi dilectionem significat, quæ ita connexæ sunt, ut una sine altera in Christiana professione non habeantur. Vel ideo in primo non dicitur Gloria, quia in eo de miseria generis humani agitur, ut ibi dicitur: Sitiuit in te anima mea. Sed in Secundo ideo dicitur Gloria Patri, quia in eo de misericordia Dei agitur, per quam humano generi bona conferuntur, & mala remouentur. Psal. 62. Psal. 66.

Quam ob rem tres ultimi Laudum Psalmi sub una Antiphona & sub uno Gloria dicantur. Cap. LVIII.

IDeo autem Psalmi tres vltimi Laudum, videlicet, Laudate Dominum de cęlis, Cantate Domino, & Laudate Dominum in Sanctis, sub una Antiphona, & sub uno Gloria dicuntur, quia hi ordines electorum, qui ex dictis tribus mundi partibus colliguntur sine aliquo interuallo simul erunt, & pariter glorificabuntur.

Quid Capitulum in Laudibus indicet. Cap. LIX.

POrro, post Antiphonam sequitur Capitulum, per quod fit exhortatio, ne deficiamus in via. Capitulum autem quod dicitur ferè per annum, est illa adoratio Angelorum dicentium. Benedictio, & claritas & cæt. Aliquando uerò Capitulum dicitur. Nox præcessit, scilicet, per annum in feriali Officio. Vbi exhortamur in fide perseuerare, Misericordiæ operibus intendere, & opera tenebrarum abijcere, & arma lucis induere, & consolamur per repromissionem Gloriæ. De Capitulo.

Digitized by Google

Particula, Amen, post Capitulum quid importet. Cap. LX.

QVia uerò in fine Capituli succinitur, Amen, immò, & in fine omnium Orationum Ecclesiasticarum, quidnam illa significet, ideo silentio non est prætereundum. Dicamus ergo talem dictionem in calce Orationum positam, optantis esse particulam, idemque significare, quod fiat, siue compleatur illud quod in Oratione, ante habita postulatum est, in qua quidem significatione sæpius in Sanctis sumitur Eloquijs: & præsertim in Deuteronomio, dum dicitur; Et respondebit omnis populus, & dicet Amen: apud Thobiam dicitur similiter; Cumque omnes dixissent Amen: accesserunt ad conuiuium. Sed in Sacris Euangelijs hæc dictio alteram habet admodum frequentem acceptionem, quæ assertoria, siue affirmatoria est particula, tantum ualens, sicut uerè, vel in ueritate, ut cum dicitur in Euangelio, Amen dico tibi, Amen dico uobis, & Amen Amen dico uobis: De Deo gratias autem suprà tractatu Secundo, quæstione quadragesimaprima à nobis dictum fuit.

Deut. 27.

Cur post Capitulum Laudum non dicantur Responsoria. Cap. LXI.

SEd post Capitulum Laudum, & earum breuem Lectionem ad hoc minimè Responsoria dicuntur, quod uideretur superfluum propter Responsoria in Nocturnis dicta, si quidem hodie, & Nocturnæ, & Matutinæ Laudes, eædem censentur, cum vbique coniunctim canantur, &c.

Cur Laudes Matutina, Vespera, & Completorium à cæteris differant Horis diurnis. Cap. LXII.

OBid autem in Matutino Officio in Prima, Tertia, Sexta, & Nona, Hymni præcedunt Psalmos: quia dies pertinēt ad spirituales, qui habent gaudium conscientiæ; Iccirco spirituales per exultationem inducuntur in operationem, quæ per Psalmos designatur: Pęnitentes uerò per operationem oportet uenire ad exultationem, hoc est ad Euangelicam lætitiam, quæ per Hymnum significatur.

Post Hymnum dictum, quid notet Versiculus, qui dicitur. Cap. LXIII.

POst dictum autem Hymnum, sequitur Versus: Nam per canticum Zachariæ, quod statim sequitur, promissio notatur: Et cum nos tardi simus ad credendum promissionibus, ideo præmittitur alta uoce, ut excitemur ad credendum Dei promissa.

Digitized by Google

Cur dicatur Zachariæ Canticum post Versum. Cap. LXIIII.

AD hæc Benedictus Dominus Deus Israel etiam in laudibus Matutinis post Versiculum canimus, ne de beneficio, quod in nos contulit abundè satis, quod visitauit nos existentes in miseria, & quod fecit redemptionem plebis suæ, ingrati esse uideamur: ideo in laudem Dei canentes canticum hoc Zachariæ prorumpimus. Rursus ideò Benedictus hoc loco dicitur: quia in eo agitur de præcursore illius, qui in sexta ætate uenit, & iste est sextus Psalmus in Laudibus iuxta distinctionem supra à nobis datam. *De Benedictus Dominus Deus Israel. Luc. 1.*

Cur hoc Canticum stando dicatur. Cap. LXV.

NOta, quod non solum hoc Zachariæ canticum, sed & Canticum Beatæ Mariæ Virginis, scilicet, Magnificat anima mea Dominum, stando canitur, quia sunt Euangelica: Euangelium autem, vt præcepit olim Beatus Anastasius Papa, stando, & non sedendo auditur, & canitur, ut ad prælium pro Christi fide seruanda promptitudo in nobis notetur. *Luc 1. De consec. dist. 2. c. Apostolica.*

Quid Antiphona post Benedictus indicet. Cap. LXVI.

FInito autem sępedicto Cantico, scilicet Benedictus Dominus Deus Israel, repetitur Antiphona: quia dilectionem, siue deuotionem, quam in laudando Deum habere debemus, significat.

Quid Oratio post omnnia insinuet. Cap. LXVII.

VLtimo tandem loco post repetitam Antiphonam sequitur ipsa Oratio, per quam est impetranda promissio.

Quid Benedicamus Domino indicet post Orationem. Cap. LXVIII.

FInaliter post Orationem dicimus Benedicamus Domino, quod desumptum videtur ex Cantico trium puerorum, vel ab Apostolo, & dicitur à pueris sæpenumero, ad notandum omnia opera nostra imperfecta esse, iuxta illud, Imperfectum meum uiderunt oculi tui. *Daniel. 3 1. Cor. 9.*

Deo gratias quid denotet. Cap. LXIX.

CHorus vero gratias agens dicit: Deo gratias, per quod significatur, quod vsque in finem vitæ nostræ innocentiam debemus seruare,

& Deo

Digitized by Google

& Deo benedicere, & ei pro beneficijs gratias exsoluere. Vel benedicamus Domino, cum Deo gratias, est laus finalis & exultatio ineffabilis, quæ erit in gloria cum gratiarum actione. Vel Deo gratias est de consumato cursu gratiarum actio. Sed cum huc usque dictum sit à nobis de Dominicæ Nocturnis, modo opere pretium esse uidetur, ut de Nocturnis Ferialibus, ac eorum pertinentiis dicamus, & infrascripta suprascriptis annectamus, dicentes in primis.

Cur in Nocturnis Ferialibus duodecim Psalmos cantemus. Cap. LXX.

SEd non vacat mysterio numerus duodecim Psalmorum, quos in singulis Ferialibus exsoluimus Nocturnis: Et quidem in illis duodecim dicimus Psalmos, ut nos Deo debere seruire in duodecim noctis horis ostendamus, cuilibet horæ unum Psalmum attribuentes, cum non possumus iugiter Deo seruire: Olim quidem uarij Psalmi canebantur, alij siquidem quinquaginta, alij plures, alij pauciores dicebant: Sed Angelo reuelante, Sancti Patres conuenerunt, ut duodecim dicerentur.

Nota.

Cur in Ferialibus Nocturnis Psalmi bini, & bini recitentur. Cap. LXXI.

POrro cuiuscunque Ferialis Nocturni Psalmi bini, & bini concinuntur à nobis, ad notandum, quod sine charitate; quæ ad minus (secundum Gregorium) inter duos consistit, laudes nostræ, vel opera nostra nihil prosunt.

Lectiones tres, quæ in vnoquoq; feriali Nocturno leguntur quid significent. Cap. LXXII.

TRes quoque Lectiones, quas post Psalmorum decantationem legimus, doctrinam electorum trium temporum annunciāt. Vel quia Dominus posuit tres vigilias; dicens, & si uenerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi, quæ tres uigiliæ, tres (secundum Beatum Gregorium, & Haymonem) ætates hominis, scilicet, Pueritiam, Iuuentutem, & Senectutem denotant, in quibus benè vigilantes, Deum laudare debemus.

Luc. 12. Gregô. & Haymon. in Luc. 12.

Tria Responsoria post Lectionem quid denotent. Cap. LXXIII.

NOuissimè verò tria post Lectiones succinimus Responsoria, ad notandum, quod quicquid Electi in tribus temporibus docuerunt, & quicquid in prædictis tribus ætatibus agimus: ad Domini Trinitatem referimus, & Trinitatem in Fide, Spe, & Charitate glorificamus.

Propter

Digitized by Google

Propter quid in Laudibus Ferialibus non dicitur Dominus regnauit: sed Psalmus Miserere. Cap. LXXIIII.

SEd hoc attendẽdum est etiam, quod Psalmus nonagesimus primus, qui in Dominicis Laudibus Primus est Psalmus, scilicet, Dominus regnauit, commutatur in Ferialibus Laudibus in quinquagesimum, scilicet, Miserere, qui est Psalmus Pœnitentialis. Hoc autem fit, quoniã dies Dominici, & Festiui, resurrectionem recolunt Sanctorum, qui fuerunt ab initio, & erunt usque in finem sæculi, ideo in Dominicis, & in festiuis Laudibus recolentes regnum Domini, quod etiam adeptus est ipse post Resurrectionem eius à morte corporis, siue etiam gloriam recolentes Resurrectionis Electorum, canimus Psalmum, Dominus regnauit. Dies verò Feriales, peregrinationes recolunt ipsorum Sanctorum, & Pœnitentiam, & proinde in Ferialibus Laudibus dicimus primum Psalmum, Miserere mei Deus, rememorantes, ac recolentes nostram Resurrectionem à morte animarum per Pœnitentiam, vel Electorum recolentes peregrinationem, & Pœnitentiam, siue conuersionem. Psal. 91. Psal. 50. Nota.

Qua de causa Psalmus: Iubilate, Secundus Laudum, in Ferialibus Laudibus omittatur, & alter loco illius cantetur. Cap. LXXV.

AD hæc loco Secundi Psalmi, scilicet, Iubilate, qui in Dominicis, & Festiuis diebus dicitur, sex Psalmi in sex Ferijs dicuntur, quoniam quemadmodum primitiua Ecclesia prædicatione Sanctorum accepit hæreditatem, & postea ad gentes intrauit; sic & Gentilitas credidit; & sicut Iudaicus populus prædicatione Sanctorum ipse in fine resipuit, & qui sub tempore Antichristi futuri sunt, persecutionem, & tribulationem euadent, & populi post eius prædicationem ex tribus mundi partibus colligentur, & ita in loco Psalmi Iubilate, qui Sanctorum prædicationem continet, dicitur in Secunda Feria Psalmus: Verba mea, qui est vox Ecclesiæ ad hæreditatem Domini vocatæ. Item in tertia Feria dicitur Psalmus, Iudica me Deus, qui recolit, quando primitiua Ecclesia intrauit ad Gentes. In quarta uerò Feria canitur Psalmus, Te decet, qui cantatur in figura Gentium, quæ ab Idolis conuersæ sunt ad Deum; Amplius in quinta canitur Feria Psalmus, Domine refugium, qui intitulatur sic, Oratio Moysi hominis Dei, congruentis resipiscentiæ Iudæorum. Præterea in sexta Feria, Psalmus, Domine exaudi orationem meam, & cæt. à nobis canitur, quem Dauid cantauit, quando filius suus eum persequebatur, persecutionem Antichristi significans. In Sabbatho demum dicimus Psalmus, Bonum est confiteri Domino, qui sic intitulatur, Psalmus cantici in die Sabbathi, idest, quietis, figurans Sanctos à tribus mundi partibus collectos post Antichristi persecutionem, Psal. 5. Psal. 42. Psal. 64. Psal. 142. Psal. 91.

fore

Digitized by Google

fore in quiete mansuros, & Domino canere, & psallere. Itaque præmissi tres Psalmi ideo ita ordinantur, ut in eis notari possit ordo Christianæ conuersionis.

Vt quid canticum trium puerorum, scilicet; Benedicite; omittatur, & alia in loco eius cantica in feriali Officio dicantur. Cap. LXXVI.

HOc etiam non est silentio prætereundum, quod loco Cantici trium puerorum, scilicet, Benedicite, qui in Dominicis, & festiuis dicitur diebus, sex Cantica in sex ferijs dicuntur; quia sicut Canticum illud continet gratiarum actiones trium puerorum; ita & in Canticis continentur gratiarum actiones Canticorum. Moyses autem legitur
Exod. 15. primus instituisse Cantica, quando Pharao submersus est: deinde De-
Iud 5. bora non ignobilis fœmina in libro Iudicum. Postea verò uiri, & fœminæ.

Psal. 62. Psal. 66.

Cur Psalmus Laudum tertius scilicet, Deus Deus meus, cum sequenti; & Psalmus quintus, scilicet, Laudate, cum sequenti, non mutentur unquam. Cap. LXXVII.

SEd Psalmus tertius Laudum diei Dominicæ, vel feriæ est idem semper, nec unquam omittitur: quia nullum fuit tempus, nec erit, in quo animæ iustorum non sitiant ad Deum fontem uiuum, & in quo
Psal. 148. non laudent Dominum in excelsis proinde factum est etiam, ut neque
Psal. 149. tres ultimi Psalmi, scilicet Laudate, Cantate, & Laudate vlt. unquam
Psal. 150. prætermittantur.



SVM-

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
QVINTÆ PARTIS
SEXTI TRACTATVS.

32 Cur

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

De aliquibus Mysterijs Diuini Officij, Aduentus, Septuagesimæ, Quadragesimæ, & Paschatis.

Cur Diuinum Officium à tempore Aduentus Domini inchoetur. Cap. I.

QVARE autem à tempore Aduentus Domini nostri Iesu Christi Officium Ecclesiasticum inchoetur, patet, quia per Aduentum Domini noua facta sunt omnia. Vnde *Apoc. 21.* Apoc. 21. Ecce noua facio omnia: ideo in honorem Aduentus Domini à tempore prædicto, & renouationis incipit Ecclesia suum Officium.

Quam ob causam Antiphonæ Dominicarum Aduentus terminentur per Alleluia. Cap. II.

NOtandum autem est, quod in Aduentus Domini Officio omnes Dominicæ Antiphonæ terminantur cum Alleluia, ad significãdũ gaudium de certitudine Aduentus Saluatoris habitum: ut in Matutino Officio sit quasi prædictio; & in Matutinis Laudibus notetur exultatio.

Responsorium Dominicæ primæ Aduentus quamobrem habeat tres Versus. Cap. III.

PRæterea primum Responsorium primæ Dominicæ Aduentus Domini insolito quidem modo tres habet Versus, ad notandum quod iste Sanctus Domini Aduentus saluat homines trium temporum, scilicet, qui fuerunt ante Legem, ut Adam, etc. & sub Lege, ut populum Israeliticum, & sub tempore Gratiæ, ut omnes Christicolas. Vel ideo Primum Responsorium tres habet Versus, & unum Gloria, ad annunciandum nobis quatuor Domini Aduentus, nempe in carnem, scilicet in utero uirginis assumptam: in mentem, ut quotidiè fit descensus in corda fidelium per Spiritumsanctum, de quo Ioannes; Ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus, & Sapiens, Domine mitte sapientiam tuam, ut mecum sit. Tertius Aduentus in morte cuiuslibet: Vnde Iacobus ait; Patientes estote usq; ad Aduentum Domini. & Matt. Si sciret Paterfamilias, qua hora fur ueniret, &c. Quartus erit in Maiestate, qui erit in die iudicij: Vnde Esaias: Dominus ad iudicium ueniet cum senioribus populi sui. Vel ideo tres eius sunt Versus, q̃m Lex, & Psalmodia, & Prophetia hunc Saluatoris Aduentũ prænunciauerunt. Vocat ergo Alma Mater Ecclesia in hoc Responsorio hoĩes ante Legẽ, eosq;, qui sub Lege erant, & Christianos: & ait ad Primos; Ite obuiã ei: Ad Secundos dicit: Qui regis Israel intende, qui deducis, &c. Ad Ter-

Ioan. 14. *Sap. 9.* *Iacob 6.* *Matt. 23.* *Esa 3.* *Psal. 79.*

Digitized by Google

tios, scilicet, ad Christianos, dicit. Tollite portas principes uestras, & eleuamini portæ æternales: hoc est, tollite de medio uestri peccata, & eleuamini contra uitia; & per uos introibit, & habitabit in uobis Rex gloriæ, qui regnaturus est in populo Israel.

Cur in hoc primo Responsorio fiat triplex repetitio. Cap. IIII.

IN hoc etiam Responsorio triplex fit repetitio; prima à remotiori quoad finem: & postea à minus remoto, & demum à propinquiori, ad ostendendum, quod Patres Primi temporis remotiores fuerunt ab Aduentu Christi, quàm Patres Secundi, & Tertij.

Hoc primum Responsorium propter quid repetatur. Cap. V.

DEmum hoc Primum Responsorium repetitur à nobis, ad notandum desiderium magnum, quod habemus de Aduentu nostri Saluatoris; & ad significandum, quod debemus attribuere finem, & principium boni operis, ei qui est Alpha & Omega.

Vnde Secundum desumptum sit Responsorium. Cap. VI.

SEcundum autem Respõsorium Alma Mater Ecclesia à Daniele desumpsit, Christum uenturũ prophetante, qui his uerbis mysterium incarnationis uerbi, quod in principio erat apud Deum, aperuit, dicens; Aspiciebam in uisu, aut uisione noctis, &c.

Antiphonæ Laudum Matutinarum Aduentus Domini, ex quibus desumpta sint authoribus, siue Patribus. Cap. VII.

Ioel. 3. QVinque autem Laudũ Matutinarũ Antiphonæ excerptæ sunt Prima ab Ioele; Secunda ex Esaia, & Zacharia. Tertiã posuit Sãcta Ecclesia. Quarta itẽ desumpta est ab Esaia. Quinta ex Zacharia. Prima fatur de Christi Aduentu similiter & secunda. Tertia de secundo loquitur Aduentu, scilicet in maiestate: cæteræ de primo omnes. Itaque per illa uerba: in illa die, intellige, scilicet quãdo Messias uenit: per Montes, Apostolos, seu magnos accipe prædicatores: per colles, minores prædicatores: per Syon, quæ iucundata est de Iudæis; & per Hierusalem, quæ exultauit de Gentibus, Ecclesiam Sanctam intellige.

Esa. 21. Zach. 9. Esa. 55. Zach. 9.

Antiphonæ cur inchoentur ab uno, & finiantur à pluribus. Cap. VIII.

SAnè Antiphona inchoatur ab uno unius Chori, & finitur à pluribus utriusq; Chori: quia Charitas ab uno, scilicet Christo incipit, & in mẽbris eius consumatur ab ipso, sicut ipse dicit: Mandatum nouũ do

vobis,

vobis, &cæt. Deus enim prior dilexit nos. Vnde & nos communiter dilectioni eius correspondere debemus. Vel inchoatur ab uno, & finitur à pluribus, ad notandum, quod uox prædicatorum, quæ semper ad unitatem tendit, nos monet, ut quod unusquisque singulariter operando acquirit, alteri per dilectionem porrigat: vt si unus addiscit in scholis, & alter seminat in cãpo: tempore fructus Doctor seminanti doctrinam porrigat: & sator Doctori panem.

Antiphonæ septem, quæ incipiunt à nobis in die decimaseptima diei mensis Decembris, usque ad Natiuitatem Domini, quid indicent. Cap. IX.

PLanè Antiphonæ illæ septem, quas in Aduentu Domini celebrare in die decimaseptima mensis Decembris ad Vesperas incipimus, insinuant nobis (secundum Iudocum) vehemens antiquorum Patrum desiderium de Aduentu Christi in Carnem; licet enim in Abrahæ sinu tum placidè requieuerint, certi in perpetuæ lucis regionem se ituros; longas tamen moras dilationis Dominici Aduentus pertæsi, ardentibus expectabant uotis accelerari missionem Christi in mundum, dicentes: Emitte Domine dominatorem terræ de Petra deserti, ad montem filiæ Sion. Et iterum: Vtinam dirumperes cęlos, & descenderes: Rursum. Rorate cęli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Ac iterum, Domine Deus uirtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. Vnde Alma Mater Ecclesia ad excitanda nostra quoque corda, his exclamatoriis ad Deum, & pijs Antiphonis, scilicet, O sapientia, cum sequentibus, ardentia desideria, sedula uota, & gemebunda suspiria (ut dictum est) significantibus, animum excitat nostrum, ut huiusmodi nos quoque piis ad Deum affectibus incendat, animumque in illis exercitet nostrum, utque præcordia nostra excusso torpore noxio ac segnitie omni, concipiant vel exiguum pij affectus incendium; Ne nos omnino gelidi, & Scythica glacie frigidiores, immo diuini ferè amoris expertes, euomamur de ore Domini, sicut ipse comminatur.

Iudoc. lib. 2. de Antiqb.

Apoc. 3.

Cur supradictæ Antiphonæ non sint plures, neque pauciores quam septem. Cap. X.

SVnt autem Antiphonæ prædictæ septem, & non plures, neque pauciores: quia eæ dirigũtur ad Christum in quo requieuit spiritus sapientiæ (vnde benè Prima Antiphona incipit: O sapientia) & intellectus spiritus, consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis; per quæ septem dona suæ incarnationis nobis gratiam ministrauit, prout in ipsis septem Antiphonis apparet.

Digitized by Google

Per has septem Antiphonas quid nobis Mater Ecclesia voluerit ostendere. Cap. XI.

RVrsus mater Ecclesia in his septem Antiphonis ostendit multiplicitatem morbi sui: Vnde ad quamlibet antiphonam nostris petimus morbis sanationem, & remedium.

A quo morbo petamus curari in Prima Antiphona. Cap. XII.

QVoniam verò ante Dei filij Aduentum eramus ignorantes, siue cęci, pœnis æternis addicti, serui Diaboli, mala peccati consuetudine vincti; tenebris obuoluti, exules à patria, & expulsi: & ideo indigebamus Doctore, redemptore, liberatore, eductore, illuminatore, & sal-
Eccl. 24. uatore, necnon & conseruatore: Vnde in prima Antiphona (quia igno-
Sap. 8. rantes eramus) nunc doceri ab ipso petimus, & cum Sapiente excla-
Isa. 40. mamus: O sapientia, quæ ex ore, &cæt. petentes remedium contra ignorantiam.

Quid petamus in Secunda Antiphona. Cap. XIII.

PRæterea cum parum prodesset si doceremur, & non redimeremur; ideo in Secunda Antiphona ab ipso redimi postulamus, cum
Iudit. 16. Iudith dicentes ac Michæo: ò Adonai, & dux domus Israel, &c.
Mich. 5. Vbi rogamus Deum, qui se Adonai nominat, ut ueniat ad nos redi-
Exod. 6. mendum.

Quid petamus in tertia Antiphona. Cap. XIIII.

AD hæc quoniam nihil prodesset, si essemus edocti, atque redempti, & adhuc post redemptionē teneremur captiui: ideo in tertia
Isa. 11. Antiphona petimus liberari cū Isaia dicētes: O Radix Iesse, &c.

Quid in quarta Antiphona petamus. Cap. XV.

SEd quid prodesset captiuis, si essent redempti, & liberati: si tamen nondum essent ab omni uinculo absoluti, ut scilicet sub peccato essent, & uincti liberè quò uellent ire non possent? & proinde in quar-
Isa. 21. ta Antiphona ab omnibus peccati vinculis educi, ac liberari petimus
Iob 12. cum Isaia dicentes; ò Clauis Dauid, &c.
Apocal. 3.

Quid in quinta petamus Antiphona. Cap. XVI.

AMplius quia hi, qui diu fuerunt in carcere oculos obtenebratos habent, nec clarè uidere possunt: ideo post absolutionem à carcere, restat nos illuminari, ut uideamus quò ire debeamus:

Vnde

Digitized by Google

Vnde meritò in hac quinta Antiphona cum Zacharia, Sapiente, Malachia, ac Luca petimus, & clamamus: O oriens, &c. Zach. 6. Sap 7. Malac. 4. Luc. 1.

Quid petamus, vel desideremus in sexta, & septima Antiphona. Cap. XVII.

VLtimo si essemus docti, & ab inimicis penitus liberati, & illuminati, quid ualeret, nisi deberemus ad regnum perduci, & ibidem saluari? proinde in duabus sequentibus Antiphonis saluari petimus, cum Aggæo dicentes: O Rex gentium, & cum Isaia, & Mattheo; O Emanuel, & quæ sequuntur: in quibus (ut dictum est) saluari petimus. Agg 2. Isa. 7. Matt. 1.

Cur omnes prædictæ Antiphonæ incipiant per O. Cap. XVIII.

OMnes itaque Antiphonæ septem prædictæ incipiunt per O, quod potius admiratiuè (inquit Gulielmus) ponitur, quàm uocatiuè.

Quare in Vesperis canantur Antiphonæ prædictæ. Cap. XIX.

ADuertendum est, quod supradictæ septem Antiphonæ non sine causa, & emphasi, ad Magnificat canuntur in Vesperis: hoc autem ab Ecclesia Dei Sancta factum est, quia Dominus, qui in illis uocatur, desideratur, expectaturque, ut ueniat: uenit tandem in Vespera mundi. Vnde dicitur in Hymno primo Aduentus, super quo fusius de hoc Christi aduentu dixi; Vergente mundi vespere, uti sponsus de thalamo, egressus honestissima Virginis matris clausula.

Quid per Sapientiam in prima Antiphona intelligatur. Cap. XX.

PEr Sapientiam autem in prima Antiphona inuocatam, filium Dei intellige. Vnde Apostolus ad Corinthios scribens, dicit: Nos autem prædicamus Christum, Dei uirtutem, & Dei Sapientiam. 1. Cor. 1.

Quid per Adonai in secunda Antiphona intelligatur. Cap. XXI.

ADonai autem Hebræum vocabulum, unum est ex proprijs Dei nominibus in sacris literis, & potissimum in Psalmis est frequentissimum, loco cuius Latini interpretati sunt, Dominus, & immortalis, & Deus, & optimus pater disponens, & perfectus, idest, unius essentię; Vnde Psaltes: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in uniuersa terra; & alio in loco; Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Exod. 6. Psal. 8. Psal. 23.

Digitized by Google

Quid per O Radix Iesse intelligamus. Cap. XXII.

Isa. 2. HOc dictum sumptum est ex Isaia dicente; in die illa Radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur: *Ruth 4.* vbi Radix Iesse dicitur Christus Dominus noster, quoniam de radice Iesse egressus est, ut de stirpe Dauid filij Iesse secundum carnem *Matt. 1.* progenitus.

Quid per O Clauis Dauid, & sceptrum domus Israel. Cap. XXIII.

In Apoc. CLauis autem Dauid dici potest ipsa Christi secundum Dionysium; uirtus illuminatiua, seu sapientia, per quam aperit nobis mysteria scripturarum: per hanc autem uirtutem aperit nobis & *Ruth. 4.* ipsum Dauid, seu librum Psalmorum. Vel per clauem Dauid intelligitur Christi humanitas de semine Dauid assumpta, per quam reseruata sunt omnia, & quæ Dauid de Deo, & quæ Deus ad Dauid locu- *Lib. 1. de Antiph.* tus est, per quam etiam ianua Regni cælestis est patefacta. Sed, inquit Iudocus; Quid enim per clauem Dauid rectius designatur, quàm gratia spiritualis sapientiæ, quæ & Dauid, & alijs Prophetis mysterium humanæ redemptionis aperuit luculenter? quæ specialiter, & nominatim non inconuenienter dicitur Dauid, propter prærogatiuam manifestationis: Aperit autem corda ad intelligentiam fidei; aperit ora ad prædicationem uerbi; aperit intellectus scripturarum, aperit naturas rerum, aperit sensum ad cognitionem, aperit affectum ad dilectionem; aperit linguam doctorum ad docendum; aperit corda populorum ad credendum.

Quid per Emanuel intelligatur. Cap. XXIIII.

Esa 7. Luc. 1. Matth. 1. Gulie. li. 2. c. 1. Iudoc. li. 2. de Antiph. EManuel, & Rex, & Legifer noster Christus dicitur, de quo Esaias inquit, Ecce, virgo concipiet, & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel; quod quidem nomen Matth. interpretatur in Euangelij sui principio: Nobiscum Deus, quoniam per susceptam carnem nobiscum est Christus communione naturæ, & Deus diuinæ substantiæ maiestate.

Vigilia Natiuitatis Domini Inuitatorium unde desumptum sit. Cap. XXV.

IN Vigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi; Inuitatorium est: Hodie sciemus quia ueniet Dominus, & manè uidebitis gloriam eius: quod est transumptum ab Exodo; ubi dicitur; Vesperæ scie- *Exod. 16.* tis quod Dominus eduxerit uos de terra Ægypti, & mane uidebitis gloriam Domini.

Hos

Hoc Vigilia Natiuitatis Domini Inuitatorium quid recolat vel nobis innuat. Cap. XXVI.

POteſt autem dici, quod Inuitatorium ex vna parte Natiuitatem Domini rememorat: ex alia verò Reſurrectionem recolit, & innuit. Hodie ergo, ſ. in vita præſenti, ſcietis, quod veniet Dominus: ideſt, panis viuus, qui de cœlo deſcendit; & mane uidebitis gloriam eius; ideſt, reſurrectionis gloriã, nõ ſolum humanã, ſed etiã gloriã diuinitatis eius. Ioan. 6.

Quid in hoc vigilia Natiuitatis Domini Officio potiſſimum fiat. Cap. XXVII.

SAnè in hac Vigilia Alma Mater Eccleſia monet, & inuitat ſuos filios; ut parati ſint ad ſuſcipiendum Dominum: Vnde in nocturnali Officio primum Reſponſoriũ eſt, ſanctificamini, ſcilicet filij Iſrael; ideſt filij ſpirituales, qui uidetis Deum per fidem, & parati eſtote; vt interſitis nuptijs; quia non erit in nuptijs, qui eijcitur à nuptijs. Apoc. 19.

Inuitatorium Domini noſtri Ieſu Chriſti Natiuitatis, quid ſignificet. Cap. XXVIII.

IN hac autem Sanctiſſima Domini noſtri Ieſu Chriſti Natiuitate Inuitatorium eſt tale, ſcilicet; Chriſtus natus eſt nobis: venite adoremus; vbi aduertendum eſt, quod Sancta Mater Eccleſia hoc cantat Inuitatorium in perſona Angelorum, quæ, ſicut Angelus ad paſtores dixit: Nolite timere, Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt nobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in Ciuitate Dauid; Ita nobis annunciat hodie gaudium magnum, & inuitat nos hoc Inuitatorio: ſicut Angeli inuitauerunt Paſtores ad adorandum hunc Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ.

Pſalmi qui dicuntur in Matutino Natiuitatis Domini noſtri, quid nobis innuant. Cap. XXIX.

PRæterea nouem Pſalmi, qui dicuntur per tria Nocturna, & in Officio nocturnali, hòc nobis innuunt, quod omnes Sancti Patres, qui fuerunt in tribus temporibus: ſcilicet ante Legem, ſub lege, & tempore Gratiæ, in nouo Teſtamento ſociati ſunt per Aduentum Chriſti nouem Ordinibus Angelorum: vt ſicut Angeli S. Trinitati congaudent, ſic & illi prædicti Patres congaudeant.

Quid indicent nobis illi tres Nocturni. Cap. XXX.

INſuper aduerte quod Primus Nocturnus Natiuitatis Domini recolit tempus ante Legem, ſeu eos, qui fuerunt ante Legem, vt Abraham,

Digitized by Google

ham, Isaac, & Iacob. Secundus Nocturnus recolit, innuitq; nobis tempus Legis, vt Dauid, & Prophetas, & alios, qui sub Lege fuerunt, & alios plures. Tertius verò Nocturnus recolit nouum Testamentum, quod habuit initium à Baptismate: quod tertio tempore, scilicet Gratiæ nobis collatum est: seu eos qui fuerunt in nouo Testamento: ut sunt Apostoli, Martyres, & alij Sancti.

Cur in primis duobus Nocturnis, Antiphonis illorum non addatur Alleluia. Cap. XXXI.

IDeo autem in Antiphonis, quæ cantantur in Primis duobus Nocturnis Natiuitatis Domini non dicitur Alleluia: quoniam Patres illorum temporum differebantur ab æterno gaudio, scilicet à patria, in
Apoc. 19. qua iuxta Apocalypsim cantatur Alleluia.

Quamobrem Antiphonis Tertij Natiuitatis Domini Nocturni, Alleluia addatur. Cap. XXXII.

AT Antiphonis Tertij Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi Nocturni addimus Alleluia, quoniam cęlos recolunt, scilicet Apostolos; & quoniam istos plus honorauit Aduentus suus, quam præcedẽtes alios Patres; ita vt si digni de hoc mundo migrãt: illico in cęlum transferãtur, & societati Sanctorum iungantur, quod antiqui Patres longo tempore expectauerunt infrà claustra inferni.

Quid in Primo, & Secundo Responsorio huius Sanctissimæ Natiuitatis Domini contineatur. Cap. XXXIII.

IN Primo autem, & Secundo Responsorio huius Natiuitatis Domini nostri, duo significantur, scilicet restauratio Angelorum, & reparatio hominum; Restauratio Angelorum notatur in Primo Nocturno: vbi dicitur: Gaudet exercitus Angelorum. Reparatio hominum, notatur in Secundo: vbi dicitur; Pax vera descendit.

Epistolæ Sancti Pauli cur legantur post Natiuitatem Domini vsque ad Septuagesimam. Cap. XXXIIII.

QVia verò nostra Mater Ecclesia intendit nobis manifestare fidem filij Dei, quod fit melius per Epistolas Pauli, quia ipse prę cęteris de fide locutus est, per quam quasi stellam Christus cognoscitur: ideo post Natiuitatem Domini eius Epistolæ leguntur. Vel ideo Epistolæ Beati Pauli post Natiuitatem vsque ad Septuagesimam leguntur, quia sicut Prophetæ nasciturũ Dominum prædixerunt; & maximè Esaias: vnde meritò Esaiæ Lectiones ante Natiuitatem Domini legimus: ita & Apostoli, Deum natum prædicauerunt, & maximè Paulus, qui plus alijs laborauit: vnde eius Epistolas post Natiuitatem legimus, Christum natum ostendentes.

Cur

Digitized by Google

Cur in Epiphania Domini non dicatur Inuitatorium.
Cap. XXXV.

CÆterum in ipso Festo Epiphaniæ ad Primum Nocturnum non dicitur Inuitatorium, ad ostendendum, quod Ecclesia in primitijs suis venit de Gentibus ad Dominum non inuitata nec vocata per præconem aliquem, sed sola stella duce: vnde non expectauit ipsa conductores, sicut fecerunt illi, qui dicebant: Nemo nos conduxit: ut sic magis incutiatur erubescentia eis, qui tardè credunt, cum multos habeant prædicatores. Magi enim non uocati uenerunt adorare Christum. Vel non dicitur Inuitatorium in Epiphania, vt nos, qui quotidiè inuitamur, & excitamur ad adorandum, & deprecandum Dominum Deum nostrum, videamur in tali die detestari inuitationem Herodis fraudulentam, Magis dicentis: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, &c. Vel non dicitur Inuitatorium: quia ipsa res, hoc est, stella, nos inuitat: per quam quidem stellam significatur fides, quæ ducit nos ad Deum, & illuminat nos in nocte huius sæculi.

Matth. 20.
Matth. 2.

Cur potius in Tertio Epiphaniæ Domini Nocturno Inuitatorium dicamus, quam in Primo, & Secundo.
Cap. XXXVI.

SEd est aduertendum, quòd in Tertio Epiphaniæ Domini nostri Iesu Christi Nocturno dicitur Psalmus inuitatorius, scilicet; Venite exultemus ad septimam Antiphonam: & sic inuitamur in Tertio Nocturno, & non fuimus inuitati in Primo, & Secundo; ad ostendendum, quod in tertio tempore, scilicet Gratiæ, sufficienter demum inuitata est Ecclesia de Gentibus; & sic nullus se excusare potest: Quia in omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum: quia in tempore, scilicet Gratiæ, data est vniformis gratia in plenitudine.

Psal. 18.
Dist. 29.

Cur per Hebdomadam dicatur Inuitatorium.
Cap. XXXVII.

PEr totam tamen Epiphaniæ Domini Hebdomadam dicitur Inuitatorium: quia tunc Sancta nostra Mater Ecclesia hoc agit in persona Magorum, alijs qui non viderant, hoc annunciantium.

Cur

Digitized by Google

Cur ab octaua Epiphaniæ omnia Responsoria usque ad Septuagesimam sint Dauid. Cap. XXXVIII.

In q.3.2.80. Tract.

Iacob.2.

De sum. Trin.c.1.

PAulò ante fuit dictum, quod ideo Epistolæ Beati Pauli post Natiuitatem Domini leguntur; quia fidem filij ostendunt illæ magis, quàm aliorum dicta Sanctorum. Et quoniam fides debet habere opera: nam sine operibus mortua est, ideo Responsoria ab octaua, Epiphaniæ Domini, usque ad Septuagesimam, ipsa quoque sunt de Psalmis Dauid, in quibus instruimur de bonis operibus, ad hoc, vt fides nostra, quam à Paulo accepimus, non sit sine operibus.

In Sabbatho ante Septuagesimam cur iteretur Alleluia. Cap. XXXIX.

De Septuagesima.

CIrca verò Officium Sabbathi ante Septuagesimam, est aduertendum, quod ideo Alleluia iteratur à nobis; quoniam illud multum diligentes in thesauro cordis nostri recondimus, sicut amicum iter longinquum profecturum sæpe amplectimur, & eius os, faciem, &c. osculamur; quia tanquam à conuentu Angelicæ iubilationis separamur, ac seiungimur. Rursus ideo in Sabbatho ad vesperas geminatur, seu multiplicatur Alleluia; quoniam in lapsu Adæ, qui erat in magna quiete, gaudium perdidimus; sed animabus requiem recuperantes, & corporibus, in Resurrectione denique geminabimus.

Quam obrem ab hac Dominica in Septuagesima vsque ad feriam quintam Cenę Domini, intermittimus Alleluia in principio Horarum, & loco eius dicimus; Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. Cap. XL.

De consec. dist.1.c. hi duo.

Psal. 136.

Ruper. Ab. lib.4 c.5. De diuin. Officio.

LEo Papa dicit, quod ideo in principio Horarum Canonicarum in Septuagesima Alleluia: in Missis verò, Gloria in excelsis deponimus: quos quidem Hymnos Angeli cantauerunt: quoniam peccato veteris hominis conuentu angelicæ iubilationis expulsi, in huius miseræ vitæ Babylonem, super flumina eius sedemus, & flemus, dum recordamur illius Sion, in qua Deum decet Hymnus: A Septuagesima ergo quando prothoplastus lapsus est, recitare Alleluia, & Gloria in excelsis in Ecclesia nouem Hebdomadibus, scilicet vsque ad Pascha, intermittimus; vbi Christus resurgens à mortuis tristitiam nostram vertit in gaudium, & Alleluia nobis reddit.

Digitized by Google

Cur in fine Lectionum huius Dominicæ, & sequentium usque ad Pascha, non dicimus; Te Deum Laudamus. Cap. XLI.

QVia verò populus Israel, siue genus humanum deiectus, deiectumue fuit olim in miseriam: ideo dum captiuus teneretur à Nabuchodonosor, in organis, & cytharis, & alijs instrumentis, sicut cantauerat in Hierusalem, non cecinit, dicens: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Quia ergo ille populus siluit tum à canticis lætitiæ: ideo Ecclesia in hoc Septuagesimæ tempore, usque ad Pascha cantica lætitiæ, scilicet, Alleluia: & Gloria in excelsis Deo: & Te Deum laudamus: ipsa quoque tanquam posita in captiuitate Babyloniæ, subticet. Exod. 16. Exod. 2. Psal. 13.

An Alleluia, & Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ æquipolleant. Cap. XLII.

QVoniam autem hoc tempus Septuagesimæ, est tempus mæroris: idcirco cantica Angelorum non dicuntur, sed hominum: idest deposito Alleluia, Ecclesia dicit in principijs Horarum: Laus tibi Domine Rex ęternę glorię: multum enim differt Alleluia à clausula Laus tibi Domine, &c. si quidem Alleluia est uox Angelica, ista humana: illa Hebraica, ista Latina: & ideo minus digna. Apoc. 19.

Propter quid Psalmi Dominus regnauit; & Iubilate Deo: deponantur; & loco eorum Psalmi Miserere mei Deus; & Confitemini Domino in Laudibus Dominicarum Septuagesimæ usque ad Pascha dicantur. Cap. XLIII.

SAnè silentio non est prætereundum, quod à Septuagesima, usque ad Pascha per Dominicas noctes duo Psalmi mutantur ad Laudes, scilicet, Dominus regnauit: qui est Psalmus lętitię: & Iubilate Deo, in Psalmos: Miserere mei Deus, qui est Psalmus Pœnitentialis: & Confitemini Domino. Hoc autem ideo fit, quoniam per Pœnitentiam uenitur ad laudis confessionem, & per timorem ad spem. Quisque enim in peregrinatione (quod Septuagesima significat) positus, timori, & spei subditus est. Psalmus enim Miserere, timorem, quem oportet fragiles peccatores in pręsenti peregrinatione de uindicta Dei habere, designat, informans eos, ut peccata sua plangant. Verum quoniam per dolorem cordis, & confessionem reatus, fiducia accedendi ad Dominum habenda est: ideo Deum laudantes, dicimus ad alterutrum Psalmum Confitemini Domino. Psal. 91. Psal 99. Psal. 50. Psal. 117. Septuagesima quid significet.

Cur

Digitized by Google

Cur loco Psalmi Confitemini Domino in Septuagesima ad Primam dicatur Psalmus: Dominus regnauit. *Cap. XLIIII.*

SÆpè memoratus autem Psalmus Dominus regnauit, hoc tempore Septuagesimæ: imò & in Sexagesima, ac Quinquagesima, de Laudibus transit ad Horam Primam; atque loco Psalmi, Confitemini Domino, ipse dicitur: ne aliquid de Psalterio prætermittamus, quin totum Psalteriũ in Septimana dicatur: quod totum in Ecclesia primitiua in die legi solebat.

Septuagesimæ Officium, siue tempus quid nobis repræsentet. *Cap. XLV.*

2. Paralip. 36. 3. Esd. c. 2. 1. Esd 6. 3. Esd. c. 6.

SEd est hoc etiam aduertẽdum à nobis, quod Septuagesima tempus iudiciale captiuitatis repręsentat: si quidem Nabuchodonosor populum Iudaicum propter eius peccata ab Hierusalem in Babylonem duxit, & Septuaginta annis operibus duris affectus est: finitis verò sexaginta annis, Cyrus Regem Babylonicum subiugauit, populoque redeundi licentiam concessit; vnde pars sub magno Iesu Sacerdote cũ Zorobabel ad patriam rediẽs Templum Hierosolymis cum gaudio reædificauit, pars autem remansit vsque ad perfectionem Septuaginta annorum, quibus expletis, Dario, & Assuero regnantibus, & quidã sub Esdra, & quidam sub Neæmia liberati, reuersi sunt in Hierusalem, & tunc duplex gaudium habuerunt. Vnde propter hoc nostra Sancta Mater Ecclesia, cupiens ipsa quoque toto tempore vitæ suæ propter culpam per pœnam nostro Christo, & Deo seruire, pœnitentiam agit in hoc Septuagesimæ tempore, tanquam posita in Babylonica captiuitate: idest, huius mundi: vt quandoque liberetur, & perueniat ad Hierusalem cœlestem: & sic propter hoc facit Septuagesimam.

Propter quid liber Genesis legatur in Septuagesima. *Cap. XLVI.*

QVia igitur in hoc Septuagesimæ tempore intendit (vt iam dictum est) Sancta Dei Ecclesia pœnitentiam agere, vt reuertatur in Ciuitatem Sanctam Hierusalem: iccirco Genesis legit librum, qui instruit nos in Initialibus pœnitentiæ, in fide scilicet, & timore: quæ sunt de essentia pœnitentiæ: quia per ea concipitur pœnitentia. In fide namque instruit nos talis Genesis liber, non secus ac Symbolum Apostolorum: vbi enim in eo dicitur: visibilium, & inuisibilium: In hoc dicitur, in principio creauit Deus cœlum, & terram, scilicet, cœlum empyreum; & ea, quæ in eo sunt, quæ apud nos sunt inuisibi-

lia,

Digitized by Google

lia, & terram, idest, omnia ista visibilia. Item in fide nos prædictus liber instruit Incarnationis, & Passionis, vt credamus Christum, inquantum hominem, passum fuisse, & non inquantum Deum, & hoc per Isaac, qui non fuit immolatus, sed aries. Item instruit nos & in fide Resurrectionis, & Ascensionis, & Spiritussancti missionis per Ioseph, qui post venditionem sublimatus est in Ægypto, distribuens triticum per totam Ægyptum; sicut Christus post venditionem sublimatus mundo distribuit triticum verbi Dei per Prædicatores suos per totum mundum. Item incutit etiam timorem per Adam, ne nos per uitium gulæ, siue per inobedientiam, eijciamur de Paradiso spirituali, sicut ille de Paradiso terrestri. Per Cain instruit, vt caueamus ab homicidio. Per Ciuitates destructas, ut caueamus à uitio Sodomorum. Iterum per Esau, à uitio gulæ: Per diluuium, vt caueamus ab omni uitio.

Genes. 22. *Genes. 41.* *Luc. 8.* *Genes. 3.* *Genes. 4.* *Gen. 19.* *De pœnit. dist. 1. sed continuo.*

Sexagesima quid significet. *Cap. XLVII.*

VErum Sexagesima significat tempus uiduitatis Ecclesiæ, & illius mærorem propter absentiam Sponsi, qui peccatoribus abest per gratiam; Viatoribus autem per humanitatis præsentiam: Vnde ipsa, Sexagesimam celebrat, quia expectat, ut sibi præstetur post huiusmodi celebrationem, sexagesimus fructus, qui uiduis debetur, ut Deo etiam coniungatur. Vel ideo Sexagesimam celebrat, quoniam sicut Dominus post opera sex dierum, benedixit diei septimo: sic nos post impletionem operum Decalogi, benedicat, ut perueniamus ad beatitudinem æternam.

De Sexagesima.

Quinquagesima quotuplex sit. *Cap. XLVIII.*

PRæ alijs notandum est nobis, quod Quinquagesima est multiplex in Sacra Scriptura, alia est enim dierum, alia annorum, alia Psalmorum, alia personarum, & alia Denariorum.

Quinquagesima dierum quotuplex. *Cap. XLIX.*

QVinquagesima autem dierum est triplex: una incipiens à Dominica post Sexagesimam, usque ad diem Paschæ, quæ Quinquagesima est pœnitentiæ, afflictionis, & abstinentiæ, tunc enim homines abstinent à carnibus, & continent se à luxurijs. Altera est à Pascha, usq; ad Pentecosten: quæ quidem est Quinquagesima lætitiæ, & exultationis. Tertia ab octaua Paschæ, idest à Sabbatho in Albis, usq; ad Sabbathum post Pentecosten, quę tertia est figuræ, siue gloriæ, & glorificationis: figurat enim octauam ætatem, ubi stola utetur, idest, stola animæ, & corporis induemur.

Quin-

Digitized by Google

De quiqua geſima Annorum.

Quinquageſima Annorum quid ſit. Cap. L.

Leuit. 25.

SEd Quinquageſima Annorum erat annus Iubileus, qui quinquageſimus erat. Vnde Dominus ait: Sanctificabiſque annum quinquageſimum, & uocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ; ipſe eſt enim Iubileus; omnia etiam debita illo anno remittebantur, & poſſeſſiones alienatæ reſtituebantur: Vnde Iubileus remittens, vel initians interpretatur, per quem rectè pœnitentia figuratur, per quam vera libertas tribuitur, & à Diaboli ſeruitute liberamur; per eam etiam peccatorum debita remittuntur, & hæreditas æterna, atque cœleſtes manſiones reſtituuntur; benè facit ergo Sancta Eccleſia celebrans Quinquageſimam; quia poſt eius celebrationem, remiſſionem peccatorum conſecuta eſt.

Quotuplex eſt Quinquageſima Pſalmorum. Cap. LI.

Pſal. 50. Pſal. 100. Gen. 18. Luc. 7.

QVinquageſima quoque Pſalmorum, triplex eſt, ſignificans tres Chriſtianæ religionis ſtatus. Primus eſt Pœnitentiæ, ideoque Prima Pſalmorum quinquageſima (ſunt enim Pſalmi centum quinquaginta) terminatur in Pſalmo Miſerere mei Deus, qui eſt quinquageſimus. Secundus ſtatus eſt Iuſtitiæ, iccirco Secunda Pſalmorum quinquageſima finitur in Pſalmo centeſimo, qui incipit: *Miſericordia, & Iudicium*. Tertius Chriſtianæ religionis ſtatus eſt laudis vitæ æternæ, vnde tertia Pſalmorum Quinquageſima, terminatur in Pſalmo Centeſimo quinquageſimo, dum in fine illius Benedicti Pſalmi, Omnis ſpiritus laudat Dñm dicitur. De Quinquageſima verò Perſonarum, & Denariorum dicitur in Geneſi, & Euangelio, dum Dominus ad Abraham dicit: Si inuenero Sodomis quinquaginta iuſtos, &c. et alibi dicit: Duo debitores erant cuidam fęneratori, vnus debebat denarios quingentos, alius quinquaginta, &c. ſed hæc nihil ad præſens noſtrum inſtitutum.

Quinquageſima quid notet. Cap. LII.

Pſal. 50.

QVinquageſima ergo pœnitentiæ tempus, & remiſſionis ſignificat: inde meritò eſt, quod hoc tempore Quinquageſimæ, Pſalmus Miſerere mei Deus, qui eſt quinquageſimus, & eſt tempus pœnitentię, & remiſſionis, frequentatur, legitur, ac dictitatur.

Quadrageſimam cur faciamus. Cap. LIII.

2. Eſdr. 2. 3. 4. & 5. De conſec. diſtin. 5. c. Quadrageſima.

NEC uacat quidem myſterio, quod quadragintaſex diebus à capite ieiunij, uſque ad Paſcha, in abſtinentia ſimus: quoniam poſt Babylonicam captiuitatem, quadragintaſex annis à populo Iſraelitico ædificatum fuit templum Domini: Vnde & nos

Digitized by Google

& nos post captiuitatem Babilonis, idest, confusionis vitiorum, quadraginta sex diebus per abstinentiam, & bona opera nosmetipsos templum Deo ædificamus. Hæc omnia supradicta sunt utique ualdè bona: sed si Beatum Gregorium audiamus, meliora profectò ex eo intelligemus; nam inquit ille tantus vir: Quadragesima summa obseruatione est obseruanda, vt ieiunium in ea, præter dies Dominicos, qui de abstinentia subtracti sunt, nisi quem infirmitas impedierit, nullatenus soluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni. A prima ergo Dominica Quadragesimæ vsquè ad Pascha Domini sex Hebdomadæ computantur, quarum uidelicet quadraginta dies & duo sunt, ex quibus dum sex Dominici dies abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quàm triginta sex dies remanent: uerbi gratia, si per 365. dies, annus uoluitur, deinde per 36. dies affligimur quasi anni, Deo decimas damus. Sed ut Sacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Saluator noster Sacro suo ieiunio consecrauerat, quatuor dies pro horis hebdomadæ ad supplementum 40. dierum tollantur, idest quarta feria, quæ caput ieiunij subnotatur, & quinta feria sequens, sexta feria, & Sabbathum, nisi istos dies quatuor superioribus 36. adiunxerimus 40. dies in abstinentia non haberemus. Iubemur autem & ab omnipotenti Deo omnium bonorum nostrorum decimas dare.

De consecra dist. 5. c. Quadragesima.

Quadragesima cur dicatur potius quàm Quadragesima sexta cum abstineamus quadraginta sex diebus. Cap. LIIII.

QVod autem Quadragesima appelletur ille numerus quadraginta sex dierum, quibus abstineamus, & non Quadragesimasexta, hoc quoque non fit sine ratione: nam, Quadragesima non protenditur nisi vsque ad diem Cęne Domini, quæ est dies absolutionis; quia per Quadragesimam bene obseruatam, & per veram pęnitentiam peruenit homo spiritualiter ad Cœnam agni. Vnde Apocal. Beatus, qui uocatus est ad cœnam nuptiarum agni, Secundum ergo hoc solum sunt quadraginta dies, demptis scilicet quatuor illis diebus præcedentibus primam Quadragesimæ Dominicam, & duobus post cœnam Domini. Vel ideo dicitur Quadragesimæ; quia filij Israel laborantes in deserto, quadraginta annis cibati sunt manna, donec uenirent in terram habitabilem. Vel dicitur Quadragesima propter quadraginta mansiones, per quas uenerunt prædicti filij Israel in terram promissionis: & sic exemplo istorum nos quoquè quadraginta diebus à debitis corporis abstinentes, uerbis uitæ reficimur, orationi uacamus, ut tandem per Iesum Christū in terram promissionis, hoc est, uiuentium, introeamus. Vel Quadragesima dicitur quia Christus noster descendit ad nos per quadraginta generationes; ut nos ad eum nostro quadragenario numero ascendamus: & Moyses accipiendo legem, ieiunauit per quadraginta dies: similiter, & Helias; Dominus quoque noster quadraginta diebus ieiunauit absque cibo, & hoc pro institutione, & exemplo; & de istis uide

Ioan. Cass. collatione. c. 21. 28.
Nota.
Apoc. 19.
Exod. 16.
Num. 33.
Psal. 141.
Matth. 1.
De cōsecr. dist 5. cap. Ieiunium.
Exod. 24.
Exod 44.
3. Reg 2.
Matth. 4.

Digitized by Google

quæ dixi in expositione primi Hymni Quadragesimæ, qui incipit: Ex more docti mystico.

Officium Passionis cur Ecclesia auspicetur à Dominica quinta Quadragesimæ. Cap. LV.

Rup. Abb. li. 5. cap. 3. De di. Off. Ioan. 2.

INcipit autem huius celebritas Passionis a fine Sabbathi, idest, à Vespera huius Dominicæ præcedenti: quia Lazaro in præcedenti sexta feria suscitato, quidam de Bethania abierunt ad Pharisæos, narrantes eis miraculum: & cum in illa die, nempè feria sexta, fuerit primæ dies Mensis ad Sanctificationem multi Iudæi, Pontifices, & Pharisæi conuenerant ibi; inde audientes signum, mox, hoc est, in Sabbatho, collegerunt consilium aduersus Iesum, & ex illa hora cogitauerunt, ut interficerent eum; Ac deinceps Iesus non palam ambulabat apud eos, quia nondum uenerat hora eius. Ideo igitur in Vespera Sabbathi, quasi post horam eiusdem Consilij publicum luctum incipit Dei Ecclesia, suo compatiens Domino, ut capiti membra. Et ex tunc lugendo recitat vexillum Regis, mysterium Crucis, acetum, fel, & arundinem, clauos, & lanceam perforati corporis, denique passionis misteria, rationes patientis, & illusiones inimicorum, & insidias eorum: hæc & similia in Vesperis, & nocturnis officijs plangit.

Ut quid Hymnus Passionis primus, hoc est, Vexilla Regis prodeunt, &c. cantetur ab Ecclesia. Cap. LVI.

RVrsus ideo Ecclesia cantat Hymnum: Vexilla Regis prodeunt, & reliqua in hac Passionis Dominica, ut si fortè aliqui sint lapsi, veniant ad vexillum, quod omnes amaritudines facit esse dulces; quod significatum est per lignum proiectum in aquas Marath. Semper enim, & maximè in isto tempore Passionis, debemus habere in memoria Domini Passionem; quia memoria Dominicæ Passionis secum non patitur amaritudinem peccati.

Exod. 15.

Passio Domini cur duabus Septimanis recolitur ante Pascha. Cap. LVII.

POrrò ideò spiritualiter duabus Hebdomadis ante Pascha Passio Domini recolitur: quoniã ipse Dominus noster Iesus Christus à duob. & pro duob. populis passus est. Vel quia duo Testaméta per duas Hebdomadas exprimimus, Vetus scilicet, quod prædixit Deum passurum; & Nouum quod ostendit ipsum passum. Vel Tertio, quia in duobus huius sæculi temporibus, scilicet ante Legem, & sub Lege vaticinata eius fuit Passio.

Cur finito Psalmo, Venite exultemus, tempore Passionis non dicatur Gloria Patri; nec etiam in Responsorijs. Cap. LVIII.

QVoniam verò uersiculus, Gloria patri, &c. ad laudem Sanctissimæ, atq; indiuiduæ Trinitatis pertinet, ipsamq; is repræsentat, iccir-

Digitized by Google

eo tempore, quo dehonestata est Sancta Trinitas, non dicitur: quia verò Christus, qui est Secunda Persona in Trinitate hoc passionis tempore cœpit dehonestari; proinde factum est, ut Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, dimittatur hoc eodem Passionis tempore. Sed certè quia hæc, quæ dicimus, de dehonestatione Christi, fuerũt specialiter in Crucifixione, unde potest dici, quod Gloria Patri, &c. pro nunc tacetur propter humilitatem, per quam ad Christi Passionem perueniendum est. Vel hoc fit, quia Dominus se abscondit. sed in Resurrectione resumitur Gloria Patri, quia non amplius uidemus eum, non habentem speciem, & decorem, sed iam per Resurrectionem fuit Gloria immortalitatis glorificatus. *Ioan. 8. Rup. Abb. lib. 5. c. 2. de diu. Off. Esai. 53.*

Cur Gloria Patri non taceatur in Hymnis, & Psalmis.
Cap. LIX.

IN Psalmis uerò, & Hymnis eodem tempore Passionis ob id minimè Gloria Patri tacetur: quoniam Psalmus significat operationem, ipse uerò Dominus noster nunquam bonum desijt operari, ideo nec nos cessamus etiam ei Gloriam post Psalmos attribuere: iuxta quod præcepit nobis Concilium Toletanum; & hoc facimus omni tempore, exceptis tribus ante Pascha Domini diebus. *Conc. 4. Tolet cap. 15.G.*

Cur in triduo ante Pascha omnino supprimatur Gloria Patri.
Cap. LX.

SED tribus ante Pascha Resurrectionis Domini diebus, omnino Gloria Patri in omnibus & Hymnis, & Psalmis, & Responsorijs tacemus: quoniam tunc maximè Sancta Trinitas dehonestata est, licèt ante dies illos de nece Domini etiam ageretur, tunc tamen ipse uapulauit, spuitur, alapizatur, & crucifigitur: Vnde Esaias; & uidimus eũ non habentem speciem, neque decorem. Vel tacetur Gloria Patri, quia tunc sepulturã Domini celebramus, quæ maximè fuit eius humiliatio. *Esai. 53.*

Cur in Dominica Passionis legantur Lectiones Hieremiæ Prophetæ.
Cap. LXI.

NEc hoc silentio prętereundum est, quod ideo Lectiones Hieremiæ Prophetæ in Nocturnis legimus: quoniam ipse non solum dictis, sed etiam (inquit Rupertus) Passionibus suis Redemptoris nostri figurauit Passionem: multaque de hoc alia ipse ibi fatur prædictus Rupertus, sed ea hic ideo sileo, quoniam pollicitus sum, multitudinem eorum, quæ ipse, ac cæteri de hoc scripserunt, ac disceptarunt, in Compendium redigere, eaque hoc in libello breui quam fieri possit oratione ad publicam collocare vtilitatem. *Hier. 1. & 38. Rup Abb. lib 5 ca. 5. de diu. Offi.*

Digitized by Google

Cur in Cæna, hoc est, in illo triduo Domini, non dicamus Responsorium ad Capitulum in Prima: Christe fili Dei uiui. Cap. LXII.

Matth. 26. IN hac Dominica Passionis Domini, scilicet in Cæna Domini, & in illo toto triduo tacemus ad Capitulum Primæ, Respõsorium illud: Christe fili Dei uiui: quia tunc Ecclesia eius mortem, & Passionẽ repræsentat. Vel quia secundum Iudæorum reputationem, non poterat alij misereri, qui seipsum saluum facere non poterat.

Cur à Sabbatho ante Dominicam Passionis, usquè ad Feriam Secundã post Octauam Pentecostes; non fiant consueta Commemorationes, & præsertim de Pace. Cap. LXIII.

1. Colos. 1. Io. 10. QVoniam, inquit Apostolus, Christus pacificauit per sanguinẽ crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt, & post Resurrectionem suam pacem discipulis suis annunciauit, & cum eis ipse, qui
Ioan. 14. est nostra pax, continue conuersatus usq; ad ascensionem suã fuit, tunc
Ephes. 2. eis pacẽ suã dedit, dicens; pacẽ meã do uobis; & in Pentecoste consola-
Ioan. 14. torem dignatus est mittere; ideo non fit commemoratio de Pace.

Cur in quinta Feria Cæna Domini Inuitatorium non dicatur, sed ab Antiphona auspicetur Officium Sancta Ecclesia. Cap. LXIIII.

SEd est aduertendum, quod nostra Mater Ecclesia in Feria quarta Cœnæ Domini haudquaquam Inuitatorium dicit, ne imitemur, sed potius detestemur pestiferum Iudæorum consilium per nostrum silentiũ; & abhorrere uideamur à facto eorum conuentu, ut Iesum caperent, in sermone, & morti eum traderent. Vel in tali die non dicitur Inuitatorium, quia tum Apostoli iam dispersi erant, qui alios ad Dominum inui-
Psal. 68. tabant, & conuocabant. Sed incipit officium in illa die absolutè, Zelus domus tuæ comedit me, idest amor uehemens Ecclesiæ fuit causa, quare passus sum.

Hymnus in prædicta die cur non dicatur. Cap. LXV.

AD hæc nec etiam in prædicta Feria quinta Cęnæ Domini Hymnus Laudatorius, siue laudis dicitur: q̃m sicut iã prædixerat di-
Psal. 21. uinus Psaltes, tũc factũ est opprobriũ hoĩum, & abiectio plebis.

Cur post Lectiones illius diei non dicimus, Tu autem Domine; nec ante Iube Domne Benedicere. Cap. LXVI.

POrrò ante Lectiones illius Feriæ prædictæ: Iube Domne benedicere non dr̃, nec post eas, Tu autem Domine: quoniam pastor recessit

& Sacerdos,

Digitized by Google

& sacerdos, qui gregi benedicere, & misereri debet.

Cur post Lectiones prædictas dicamus, Hierusalem Hierusalem, &c.
Cap. LXVII.

AT loco, Tu autem Domine miserere nobis, ponimus, siue succlamamus in fine prædictarum Feriæ quintæ Lectionum: Hierusalem, Hierusalem, conuertere ad Dominum Deum tuum, quoniam illum propter peccata, ac scelera amisimus: ideo ad hoc, vt iterum illum recuperare ualeamus, admonemur per uerbum illud bis repetitum, Hierusalem Hierusalem, conuertere ad Dominum Deum tuum; ut ad pœnitentiam conuertamur.

Cur bis repetatur post huiusmodi Lectiones Hierusalem Hierusalem.
Cap. LXVIII.

PEr hoc autem, quod dicitur bis Hierusalem, arguitur duritia Iudæorum, & peccatorum: sicut alibi in Euangelio interpretatur; Matt. 23.
dum dicit Dominus: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt. &c.

Quid per nouem Psalmos, nouem Lectiones, & totidem Responsoria in noctibus Dominicæ sepulturæ mistice intelligatur.
Cap. LXIX.

NOuem autem Psalmi, nouem Lectiones, nouemque Responsoria, quę in istis tribus noctibus diuisim cantantur per singula Nocturna, ostendunt nobis, ac innuunt quod Christus descendens in infernum; tria hominum genera, scilicet, Virgines, coniugatos, & continentes inde rapuit, & ad societatem Angelorum transuexit. Per tria ergo Nocturna, tria recolimus hominum genera, scilicet, qui fuerunt in Lege naturali, & in tempore Legis, & Prophetarum. Præterea sicut prędicti homines per mortem Domini in tribus, scilicet, in actionibus, cogitationibus, & gaudijs, sociati sunt nouem ordinibus Angelorum; ita per tres noctes istas Dominicæ sepulturæ, nouem Psalmi, nouem Lectiones, totidemque Responsoria subduntur. Psalmi enim ad actiones, Lectiones ad operum Dei cognitionem, Responsoria uerò ad gaudium, & ad cantum Angelorum pertinent.

Totum Alphabetum Hebraicum in Lamentationibus cur inseratur.
Cap. LXX.

PLanè totum per ordinem Alphabetum Hebraicum in lamentationibus posuit Sancta Mater Ecclesia, ut per hoc notetur cœcitas, & du-

Digitized by Google

& duritia Iudæorum, qui res, tanquam Alphabetum, notissimas, videlicet, passionem Dei intelligere, & credere nolunt, propheta dicente, Miluus in cœlo, Turtur, & Ciconia cognouerunt tempus aduentus sui: Israel autem me non cognouit: & populus meus me non dilexit. Vel ideo apposuit huiusmodi Alphabetum in ipsis lamentationibus, quoniam mos fuit Hebræis illud ponere in eorum cantibus, siue luctus, siue lætitiæ alicuius rei multum notabilis, ut potest videri Prouerb. 3 1. dum ibi dicitur Aleph. Mulierem fortem &c. & in Prologo libri Regum; ibi, Caph, Mem, Nun, Phe, Sade.

Esai. 1.

Hebraica litera primis inserta Lectionibus feria quinta, quid contineant. Cap. LXXI.

SVnt autem in primis tribus Lectionibus Feriæ quintæ Cœnæ Domini, literæ quædam Hebraicæ interpositę ad hoc, quoniam interpretationes earum maxima ex parte continent sententiam versuum quibus anteponuntur.

Quatuor prima litera pradicta; scilicet, Aleph, Beth, Gimel, & Daleth. quomodo interpretentur. Cap. LXXII.

Duran. li. 6. c. 72 in ration. Iac. de Valē. in Psal. 118. Act. 2.

EST aduertendum quod secundum Gulielmum, & Iacobum de Valentia primæ quatuor literæ Hebraicæ in lamentationibus insitæ, sic ab eo interpretantur, dicētes, quòd Aleph interpretatur Doctrina: Beth, domus: Gimel, plenitudo: Daleth, tabularum: seu scripturarum; & hæc est si quidem prima connexio literarum ipsarum, in quibus dicitur, quod doctrina ecclesiæ, quæ est domus Dei (iuxta illud Lucæ; & factus est repente de cœlo sonus tāquam aduenientis spiritus vehementis; & repleuit totam domum, vbi erant sedentes.) est in plenitudine scripturarum.

Quomodo intelligatur secunda literarum connexio, qua sequitur. Cap. LXXIII.

POrrò sequentes literæ post præmemoratas sunt e, idest, ista; Vau, & Zain: idest, hæc: Heth, idest Vita; quę est secunda connexio, in qua dicitur, quod ista, & hæc doctrina quam prædiximus, est vita, quam viuimus.

Tertia litterarum connexio quam habeat intelligentiam. Cap. LXXIIII.

INsuper Caph, manus interpretatur, Lamech verò, siue Lamed, cor, vel disciplinam denotat, & hæc quarta connexio, in qua quidem dicitur, quod in vtero cordis disciplina exigitur: quia nihil facere possumus, nisi quæ facienda erunt agnouerimus.

Quid

Digitized by Google

Quid per quintam connexionem doceamur. *Cap. LXXV.*

QVinto autem loco quærimus quid per Mem, Nun, & Samech doceamur; & quidem Mem ex ipsis Nun: Sempiternum: Samech adiutorium dicit; & hæc est quinta connexio, in qua detegitur, quod ex ipsis scripturis est nobis Sempiternum auxilium.

Quid nobis sexta literarum connexio indicet.
Cap. LXXVI.

IN penultimo uerò loco sedem habet sexta literarum Hebraicarum connexio, quarum prima est Ain, Secunda Phe, tertia Sadech, Ain, oculus: Phe, errauit: Sadech, iustitia uel consolatio interpretatur; & hæc est sexta connexio; ubi dicitur, quod sæpe dicta scriptura est oculus errantibus, & consolatio.

Vltima literarum connexio quid sibi velit. *Cap. LXXVII.*

NOuissimo verò loco aduertamus, quod septima literarum Hebraicarum connexio hoc nobis innuit: quod, Coph, aspice super: Res, caput: Sin, super vulnus: Thau, signum, vel consumationem dicit; & hæc est septima connexio prædictarum literarum; ubi in numero fit misticus intellectus, quando dicitur; Aspice in scriptura contineri caput nostrum à quo habemus medelam super vulnera, & assequimur consumationem, idest, uitam æternam. Hæc omnia supradicta declarat Iacob. de Valen. *In Psal. 118.*

Candelæ cur in fine huius triduani Officij extinguantur.
Cap. LXXVIII.

ITaque toto ferè perfecto à Sacerdotibus Officio, candelæ, siue Lumina extinguuntur, ut per huiusmodi tenebras in istis tribus adhibitas, & celebratas noctibus, recolamus illas tenebras, quæ tribus horis fuerunt Christo in Cruce pendente. Vel ideo tribus noctibus lumen extinguitur; quia uerum lumen triduo iacuit in sepulchro. *Nota.*

Candelæ propter quid non simul omnes extinguantur.
Cap. LXXIX.

SEd est aduertendum quòd prædictæ candelæ, secũdum Gulielmum, una post aliam extinguuntur, & non omnes simul: quoniam potest esse ratio, ut fatur prædictus Gulielmus, quòd Discipuli non simul à Christo, sed successiue unus post alium discesserunt. *Guliel. li. 7. cap. 72.*

Digitized by Google

Candela quæ in medio est aliarum, cur non extinguatur, sed occultetur. Cap. LXXX.

NOn vacat etiam mysterio, quod candela medium tenens, & omnibus altior existens alijs, non extinguitur, sed uel in arca, uel post Altare reconditur, occulteque seruatur: vt postea reueletur, & ecclesiam illuminet: quoniam talis candela fidem, quæ in sola Virgine remansit, significat, & innuit, per quam postea omnes fideles docti, & illuminati sunt. Vel huiusmodi candela significat Christum, qui licèt uideretur, secundum carnem extinctus, tamen secundũ diuinitatem, quæ illis erat occulta, viuebat; & postea resurgens cum luce clarissima, se suis Discipulis manifestauit. Vel talis candelæ occultatio notat fidem post infidelitatem: sed Luminis renouatio significat noui Testamenti renouationem.

Vt quid Candela, quæ vltima extinguitur, sit omnibus alijs maior. Cap. LXXXI.

SAnè candela quæ ultima extinguitur, est maior cæteris, secundum aliquos, significatque Christum, qui fuit Dominus Prophetarum, secundum uerò alios, ubi candela non est maior, sed est æqualis alijs, Christum similiter denotat, qui reputatus est unus ex Prophetis. Et ultima extinguitur, quia nullus post eum apud illos Propheta surrexit: sed extinctus, eis perfidiæ tenebras dereliquit.

Extinctio Lampadum per Ecclesiam, ac aliorum luminarium quid denotet. Cap. LXXXII.

POst candelas luminaria quoque successiuè unum post alterum extinguuntur, ac lampades omnes, unum tamen penè extinguitur, quia absconditur, & postea reuelatur: ad notandum quod Luc. 20. Matt. 23. peruersi uineæ cultores, & generatio praua, nuntios patris, uidelicet Prophetas, per uaria tempora, completo suo mysterio Prophetiæ occiderunt, Luc. 20. & tandem patris hæredem, quem hæredem in sepulchro positum, lumine occultato figuramus: cuius luminis reuelatio est Resurrectionis eius manifestatio, & commemoratio.

Cur ad Benedictus, extinguantur sic omnia Luminaria. Cap. LXXXIII.

AMplius ad canticum Euangelicum, hoc est, ad Benedictus, omnia præter supremam candelam extinguuntur Luminaria: quia Christus Dominus noster Euangelizans occiditur.

Vt quid vociferatio ad Benedictus, siue tumultus fiat.
Cap. LXXXIIII.

STrepitus autem siue tumultus popularis; qui tunc fit ad Benedictus, nihil aliud est, siue signat; quàm concrepatio; concrepationem ve Iudæ proditoris, & tumultus cohortis, quam cum gladijs, & fustibus Iudas contra Christum adduxit.

Quibus de causis Pater noster, & post orationem, Qui tecum viuit. &c. dicatur sub silentio. Cap. LXXXV.

POST popularem uerò ad Benedictus tumultum, & vociferationem procidentes nos in terram dicimus Pater noster sub silentio, ac Psalmum Miserere mei, cum collecta: Respice quæsumus Domine: Qui tecum sub silentio pronuntiantes; in quibus timor Apostolorum in occultis notatur, ac signatur.

Quid fragor, sonitusue, aut strepitus nobis denotet.
Cap. LXXXVI.

POST, quam supradicta omnia sunt absoluta, fit cum manu, uel alio quodam modo sonitus, strepitusue, aut fragor, qui sonitus, & fragor representat terrorem eorum Apostolorum, nempè incussionem, vel ex tumultu cohortis, uel ex terræ motu.

Cur ab hac die, vsque ad octauam Pentecostes omittatur Officium Beatæ Mariæ Virginis. Cap. LXXXVII.

AB hac quoque die Feriæ quintæ Cænæ Domini, vsque ad octauam Pentecostes, Officium Beatæ Mariæ Virginis omittitur, ut memoriæ, atque reuerentiæ Passionis, atque Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi (de quibus hoc tempore Sancta Mater Ecclesia agit) ardentius insistatur. Cum ergo honor, & obsequium specialiter hoc tempore Christo eius nato in nostra humanitate passo, & glorificato, impensum redundet in ipsam matrem, nulla sibi quidem fit iniuria ipsum officium omittendo.

Mortuorum officium cur hoc ipso tempore prædicto omittatur.
Cap. LXXXVIII.

VLterius progredientes dicimus, quod cum recordatio, ac commemoratio beneficiorum Christi; præcipuè quæ ipse suæ Passionis, & Resurrectionis tempore nobis omnibus contulit omnem nostrum affectum, & intellectum requirat: iccirco iure quidem optimo à prædicta die Feriæ quintæ, vsquè ad octauam Pentecostes, Ecclesia Dei Sancta illud solum Officium, quod ad ipsum Christum spectat, & in

quo

Digitized by Google

quo de eius Passione, & Resurrectione agitur, hoc ipso tempore dicit, & celebrat, ac cantat, & non Officium mortuorum, ut sic non plura ad plura dispersa, ad unum duntaxat uehementius occupetur.

Mortui an aliquod sentiant dispendium ob id, quod hoc tempore prædicta Passionis & Resurrectionis Christi eorum non dicitur Officium. Cap. LXXXIX.

SED nec propter hoc defuncti, qui sunt in purgatorio, dispendium patiuntur, quia non dicitur eorum Officium isto tempore Passionis, & Resurrectionis Christi: etenim cum sint nobis per charitatem uniti, ideoque beneficiorum nostrorum ipsi quoque secundum quod meruerunt, sunt participes. Nec expressius memoria pro illis fieri posset, quàm agendo memoriam de Morte, & Resurrectione Christi, per quàm a pœnis liberari expectant.

Dictio Parasceue quid indicet. Cap. XC.

cap. quia, de Iuda. & Sar in ver. Parasceues. Exod. 16.

POst feriam quintam Cœnæ Domini, sequitur feria sexta in Parasceue, ubi aduertendum est, quod Parasceues (Secundum Abbatem, siue Glossam) dies est Veneris: quia Iudæi in die veneris solent parare escas pro die Sabbathi, & dicitur Parasceue ab apparatu ciborum, uel escarum.

Hæc Feria Sexta quot habeat priuilegia. Cap. XCI.

HAec Sexta Feria, imò & ab ista Sexta Feria, omnes aliæ Feriæ Sextæ priuilegiatæ sunt propter Christi Passionem, sicut & à sequenti Dominica omnes aliæ Dominicæ propter eius Resurrectionem. Sunt autem huiusmodi Sextæ Feriæ, sex priuilegia, scilicet, Christi immolatio, Inferni spoliatio Mortis conculcatio, Humani generis redemptio, Paradisi reseratio, uel aperitio, & Scripturarum manifestatio.

Sabbathum Sanctum, cur dicatur Sabbathum, curq; addatur Sanctum. Cap. XCII.

POstquam pauca supposuimus de die Parasceue, hoc est, die Veneris Sancti: consonum est consequenter, & de Sabbatho Sancto etiam aliqua referre. Plane sicut Deus operibus creationis mundi (Scilicet in sex diebus) completis, in septima die requieuit ab omni opere, quod patrarat, sic & in sexta ætate operibus creationis consummatis (iuxta quod Christus in cruce pendens, dixit, Consummatum est) in septima ætate requieuit: Nam cum anima eius passibilitatem corporis heri exiuit, quodammodo requieuit, ac in Sepulchro obdormiuit: ut hoc etiam bene testantur Antiphonæ primi Nocturni diei Sancti huius. Prima enim antiphona dicit, In pace in idipsum dormia, & re-

Gen. 1.

Ioan. 19.

Antiphona

& requiescam: Secunda similiter hoc ferè idem & ipsa testatur: ex quibus omnibus supradictis, colliginus uerè diem hunc Sabbathum dici, idest, requiem. Quia requieuit toto opere sex dierum perfecto: requieuit itidem post quam creauit omnia ut diximus, requieuit & in sepulchro post mortem. Sabbathum uerò Sanctum antonomasticè dicitur, eo quod, ut prænotauimus, requiem Christi significat ab opere creationis in fine sextæ ætatis. Vel propter requiem Christi, in cuius morte sanctificati sumus omnes. Dicitur etiam Sanctum, propter baptismum quod fit in die ista, in qua noua ecclesiæ proles Sanctificatur, ut uidetur hic Romæ in Ecclesia Sancti Ioannis Lateranensis, in qua multi tali die aquis lauantur, mundantur, & sanctificantur. Sanctum enim dicitur, quod omnino mundum est & purum, neque quicquam terrenæ contagionis habet. Dicitur & illud Sanctum, quod Dei cultui, & obsequio est contentum, ut non possit amplius in humanos usus accommodari.

Sabbathũ cur Sanctũ dicatur.

Sanctum quid.

Vespera Sabbathi Sancti cur ita sint breues. Cap. XCIII.

VEsperæ autem Sabbathi Sancti, ideo sic breuissimæ sunt, scilicet; Laudate Dominum omnes gentes tantum, quæ quasi non sunt Vesperæ: quia Sabbathum æternæ quietis, quod per hoc Sabbathum figuratur, nullam habet Vesperam. fit etiam breue Officium propter ipsos Neophitos, quibus omnia debent breuiter cantari, maxime prima die, ne eis generetur fastidium ex prolixitate.

Hymni cur hoc die Sancto Sabbathi Sancti inclusiuè non dicantur usque in Domin. in Albis. Cap. XCIIII.

HYmni quoque hoc die Sabbathi Sancti, immo, & per octo dies ultra, non canuntur; quoniam in Resurrectione non cantabimus Hymnos huiusmodi, sed in Plateis Hierusalẽ cantabimus Alleluia ut Thobiæ 13. sed loco Hymni cantatur Alleluia propter spem, quam habemus de gloriosa Resurrectione.

Thob. 13. cur loco Hymni dicatur Alleluia

Paschale tempus quid significet. Cap. XCV.

QVid autem Pascale tempus indicet, dicendum est modo, & quidem totum hoc Paschale tempus significat tempus illud, quod erit post diem Indicij, quando uidelicet ad patriam uitæ, quam per Adam amisimus, Deo propitiante, regrediemur.

Pascha quid, & unde dicatur. Cap. XCVI.

PAscha Grecum nomen est, quod Hebraicè dicitur Phase, quod Latine transitus interpretatur. & non dicitur Pascha a Passione, sed dicitur à transitu; & hoc Historicè ex eo, quod exterminator Angelus

Exod. 12. Nota.

Digitized by Google

Exod. 12. gelus uidens sanguinem in foribus Israelitarum pertransijt, nec eos percussit: Tunc etiam populus ex Aegypto trãsiuit, idest, exiuit, tertiaq; die mare rubrum pertransijt. Dicitur etiam Allegoricè, quia Ecclesia in hoc tempore transijt per baptismum ab infidelitate ad fidem. Tertio dicitur Tropologicè, quoniam hoc tempore transimus per contritionem, & confessionem de uitijs ad uirtutes. Quarto dicitur Analogicè, quia tunc Christus transijt à mortalitate ad immortalitatem: & faciet nos etiam transire: Vnde in Euangelio dicitur: Cum uidisset Iesus quia Ioan. 13. uenit hora ut transiret de hoc mundo ad patrem, &c.

Pascha cur potius Grecè, quam Hebraicè nominetur. Cap. XCVII.

Nota. PRæterea hunc Sanctissimum Resurrectionis diem Græco, & non Hebraico uocabulo nominamus, licèt lingua Hebraica dignior sit tamquam mater, ne in hoc uideamur Iudaizare, Phase dicentes.

Ad exprimendum hunc transitum cur potius Græco quàm Latino uocabulo utamur. Cap. XCVIII.

ITem ad exprimendum sæpeiam dictum transitum, uel Phase, aut Pasca, uocabulo Grçco potius utimur, quàm Latino: quoniam Grçca lingua antiquitus Romæ, & in Italia tantæ fuit authoritatis, ut non solum dies solennes Græcis nominibus nuncuparentur, ut Pascha. Pentecoste, & Epiphania, verumetiam & dignitates, ut Apostolicus, Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, & huiusmodi.

cap. licet, de fer. per Gloss.

Cur Pascha semper celebretur in die Dominico. Cap. XCIX.

NOtãdum est etiam quod Pascha nostrum semper debet fieri in die Dominico, ut statuit Pius Papa, & etiam Victor Papa, qui propter hoc Concilium Palestinum conuocauit, licet enim prius eodem die celebraretur: quia tamen quidam inde dubitabant, Angelus Domini ad corroborandos eorum animos apparuit in habitu pastorali Hermæ Doctori, præcipiens, ut Pascha semper diebus Dominicis celebraretur. Hic de hac dictione Pascha forent multa dicenda: at quoniam de Paschate hoc loco ex professo tractare non intendo: iccirco qui uoluerit de huiusmodi solennitate alia inuestigare, uideat D. Rupertum, & D. Duran. suis locis, qui diffusè de hoc inquirunt.

In Decretali Epistola 1. ad uniuersos Christi fid. tom. 1. Cõcil. de consecr. dist. 3. c. nosce, & c. seq. In prima decretali Epist. ad Theophilũ. tom. 1. cõc. de cõsecr. dist. 3. c. celebritatẽ.

Paschatis Septimana cur tres tantum Psalmos, tres Antiphonas, & tres cantet, legatque Lectiones. Cap. C.

ADuertendum nobis est, quod in die Paschatis Sanctissimo, immò & per totam Hebdomadam inclusiuè cantantur tres Psalmi,

cum

Digitized by Google

tum tribus Antiphonis, ac tribus Lectionibus, ac ideo numerus Psalmorum, Antiphonarum, & Lectionum, iste ternarius obseruatur: quoniam inquit Gregorius, hoc fit propter honorem Trinitatis. Vel quia per hoc notatur triduana Domini sepultura. Vel quia & tempore per præcedens ieiunium sunt sancti homines emacerati, & afflicti: & ideo inquit & Durandus: Hominibus propter præcedens ieiunium attritis parcitur. Vel dicamus, quod per tres Psalmos, tria tempora significantur, per tres uerò Antiphonas significantur Patriarchæ, & Apostoli: At tres leguntur Lectiones, quia Lex, Psalmi, & Prophetæ Resurrectionem Domini profitentur.

Cap. in die de consf. distin. 5.

Lib. 7. c. 87

Cur ad Primam huius Sanctissimi diei non fiant petitiones, obsecrationes, & postulationes. Cap. C I.

SCire etiam debemus, quòd ideo in Officio Primæ huius Sanstissimi diei minimè petitiones, obsecrationes, ac postulationes facimus quoniam dicit Dominus; in die illa non rogabitis me quicquam. Vel quia cum glorificati resurrexerimus, non indigebimus istis.

Ioan. 16.

Cur preces ad Primam non dicantur. Cap. C I I.

PRæterea nec preces in hoc Sacratissimo Paschatis die ad primam dicuntur: quia ubi non erit miseria, non erit petenda misericordia; & ubi non erit tentatio, non erit dicendum libera nos à malo.

Cur nec Capitulum dicatur. Cap. C I I I.

DEmum nec Capitulum ad hanc Horam huius Sancti diei Primam dicimus, quod est refectio, ne post longam Psalmodiam homo tedio afficiatur: confortat enim fessos: sicut electuarium membra, tum quia ibi, scilicet in futura uita, nullum erit tedium, tum quia in Officio breuis est Psalmodia.

Hæc Septimana Paschatis quid significet. Cap. C I I I I.

ISti uerò septem dies Paschæ Resurrectionis Christi, ideo computantur cum Septuagesima, quia hæc Septimana est septima à Quadragesima, & per hanc Septimanam significatur illa Septuagesima, in cuius septima decade filij Israel acceperunt licentiam redeundi, & iam quasi liberati erant.

Cur semper per hos septem dies dicatur, Hæc dies quam fecit Dominus. &c. Cap. C V.

POrrò omnes isti septem dies sunt quasi una dies Dominica; Vnde & ideo semper cantatur in eis: Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea: de qua die uide quæ dixi in Hymno

Digitized by Google

Maximus Episcopus. no Natiuitatis Domini, primo de mente Beati Maximi Episcopi. & in præfatione quoque Missę dicitur. Te quidem omni tempore; sed in hoc potissimum die gloriosius prædicare. &c.

Cur semper de Resurrectione Domini nostri in istis septem diebus agamus. Cap. CVI.

EST autem nobis aduertendum, quod in istis septem diebus prędictis Paschatis, ideo semper de Resurrectione Domini nostri Iesu Christi in Officio agimus, ad ostendendum, quod per septem dona Spiritus sancti uenitur ad ueram Resurrectionem. Vel potius quia in tota uita ista (quæ per septem dies currit) debemus anhelare ad gloriam Resurrectionis quantum possumus.

Dominica in Albis cur sic appelletur. Cap. CVII.

QVoniam uerò in tota Septuagesima, quæ usquè ad hunc Sanctissimum Paschatis Resurrectionis diem protenditur; Pœnitentiam agimus: ideo omnium Mater Ecclesia Sancta hodie celebrat induta albis, ut magis ac magis albi nos quoq; simus, ac candidi, ut etiam hortamur a nostra Matre Ecclesia in primo Hymno, qui incipit: Ad cænam agni prouidi, & stolis albis candidi: & ibi uide aliquid faciens ad hunc locum. Cæterum ob id fortè dicitur Sabbathum in Albis, & Dominica in Albis, quod Neophiti albis uestibus in Sabbatho Sancto, postquam aquis albuti sunt baptismatis, induantur, & usquè ad Mar. 16. hunc diem illis utantur. Vel ob id (& fortè melius) quod Angelus iam sanctis mulieribus in albis apparuit coopertus stola candida.

Rogationes quid sint, & quando fiant. Cap. CVIII.

De Rogation. SCiendum nobis est (ut patet etiam in Romano breuiario) quod in tribus diebus ante festum Ascensionis Domini nostri Iesu Christi fiunt Rogationes, quæ dicuntur, Litaniæ: Litania enim Græcè, Litania quid. apud nos uerò supplicatio, seu rogatio est; in qua supplicamus, ut nos à morte subitanea, & ab omni infirmitate defendat: Rogamus uerò sanctos, ut pro nobis apud Deum intercedant. Fiunt autem hæ Rogationes tribus diebus ante Ascensionem Domini: ut per ieiunium, quod De consec. dist. 3. Rogationes. in hoc triduano (secundum Aurelianense Concilium) facere debemus, & orationem, parum de carne habeamus; ut propter carnis maceratione, acquiramus nobis alas per orationem, quę est ala, qua anima nostra uolat in cælum: ut sic Christum ascendentem liberè sequi Aurel. cōc. 1. c. 29. tomo 1. & nos ualeamus.

Cur

Cur Litaniæ Græco denominentur uocabulo. Cap. CIX.

LItaniæ autem denominantur Græco potius, quàm Latino uocabulo, propter authoritatem linguæ Græcæ, prout dictum est suprà eodem tractatu, cap. 96. hoc est, quoniam Græca lingua antiquitus Romæ, & in Italia tantæ fuit authoritatis, ut non solum dies solennes; de quibus ibi, uerum etiam dignitates Græcis nominibus nuncuparentur.

Quotuplex sit Litania. Cap. CX.

EST autem nobis insuper aduertendum, quod Litania est duplex, maior nempe, & minor. Maior autem Litania ob id dicitur, quoniam in maiori loco, scilicet, Romæ, & à maiori, scilicet à magno Gregorio, & pro magno, & grauissimo morbo inuenta est. Litania uerò minor dicitur altera, quoniam a minori, scilicet, simplici Episcopo Mamerco nempè & in minori loco, nempe Hiemnæ inuenta est. *Litania quotuplex.*

Minor Litania quando fiat. Cap. CXI.

EA propter etiam Litania minor, quæ etiam Rogationes, & processiones uocantur, fit tribus diebus ante Ascensionem, quia, eo tempore apud Hiemnam uidens Mamercus eius Episcopus magnam luporum, & aliarum ferarum, acriter homines perimentium pestem, periculososq; terremotus illic crebrò contingentes, induxit, siue indixit ieiunium, & huiusmodi tunc instituit Litanias, quæ (ut diximus paulo ante) minores nominantur. *Aurel Concil cap. 29. tom. 1.*

Litania maior quando fiat. Cap. CXII.

MAior uerò Litania in festo Sancti Marci celebratur propter pestem inguinariam, siue inflaturam inguinum, cuius institutionis causas describit post Paulum Monachum Montis Cassini, Durando dicente; quod tempore Pelagij Papæ tanta fuit inundatio aquarum per Italiam, quod aquæ ascenderunt usquè ad superiores fenestras templi Neronis, quod erat Romæ, nec aquæ intrabant in templum. Ex hoc tunc per Tyberim effluxit multitudo serpẽtum, inter quos fuit maximus Draco, ex quorum flatibus aer corruptus, inde emersit pestis inguinaria, qua homines passim, & subito moriebantur. & cum penè totus populus Romanus moreretur, ac deleretur; Pelagius Papa omnibus ieiunium, & processionem indixit; sed in ipsa processione ipse cum septuaginta alijs expirauit, cui substitutus fuit Gregorius primus, qui & Magnus dictus est; & hanc Litaniam ubique terrarum seruari præcepit, & ideo hæc Litania dicitur Gregoriana ut suprà diximus. Contigisse autem dicitur Romanis præmissa inguinaria pestis, pro eo, *Lib. 7. cap. 102 in Rationali.* *Nota.*

Digitized by Google

quod cum in Quadragesima continenter uixissent, & in Paschate corpus Domini recepissent, postmodum ludis, commessationibus, & luxuriæ frena laxabant. Fuit si quidem tam sæua hæc pestis, ut vbique homines perimeret: ita, quod (sicut dicitur) cum aliquis sternutabat, altre audiens, & accurens ei dicebat; Deus te adiuuet. & abinde (ut dicunt) hæc adhuc consuetudo seruatur, ut audiens aliquem sternutantem, statim dicat, Deus te adiuuet. Rursus fertur etiam, cum tunc aliquis oscitabat, frequenter spiritum emittebat. Vnde cum aliquis se uelle oscitare sentiebat, continuò signum crucis sibi imprimebat, quæ similiter consuetudo usq; ad hodiernum diem ipsa seruatur.

Nota.

Litaniæ quæ in festo S. Marci fieri solent cur cruces nigræ uocentur. Cap. CXIII.

HViusmodi item Litaniæ maiores, quæ fieri solent, in prædicto Festo Beati Marci, cruces nigræ uocari etiam sæpe solent, ob id, quod in signum mæroris ex tanta hominum strage, & in signum pęnitentię homines nigris uestibus induebantur, & cruces, & altaria nigris uelabantur.

Cur in processionibus Crux & arca reliquiarum præcedant. Cap. CXIIII.

CÆterum in processionib. præcedunt Crux, & capsa reliquiarum Sanctorum: ut uexillo Crucis, & oratione Sanctorum, demones repellătur. Portatur item uexillum ad repræsentandam uictoriam resurrectionis, & ascensionis Christi, qui cum magna preda cælos ascendit. Ascendisti enim inquit Psaltes, de Christo Domino nostro, in altum, cæpisti captiuitatem: Vnde uexillum per aera uolitans, est Christus in cælum ascendens. Et sicut uexillum in processione ipsa multitudo fidelium sequitur, sic & Christum ascendentem magna Sanctorum patrum collectio comitatur.

Psal. 67.
Nota.

Vnde Ecclesia sumpserit ut in processionibus Vexillum Sanctæ crucis portetur. Cap. CXV.

QVod uerò cruces, & uexilla portentur, à Constantino sumpsit Ecclesia, qui cum in somnis Crucis signum uidisset, eiq; dictum fuisset, in hoc signo uinces; iussit in uexillis bellicis: aliàs, nelle bandiere, o nell'insegne, crucem insigniri, quod & hodie seruatur. Nam & Pius Papa V. sic, & in uexillo, quod Marco Antonio Columnæ, exienti contra Turcas ex altari Beati Petri illud accipiens, tradidit, crucis signum erat sculptum: necnon & illud Constantini admonitum, hoc est, in hoc signo uinces, & quæ ad hanc faciunt propositam materiam uide in Hymno unius Martyris, qui incipit: Deus tuorum militum, in quo multa de hac re inuenies.

Anno Domini 1571

Tro-

Digitized by Google

Propter quas alias causas fiant Litaniæ. Cap. CXVI.

FIunt etiam Litaniæ propter plures alias causas, nempe pro bello, pro fame: pro pestilentia, de qua dubitans Beatissimus Vgo Papa Gregorius XIII. & ipse ordinauit Litanias, & preces in Ecclesijs Romæ reuerenter quotidie dici, atque cantari, necnon & in Missis orationem contra pestem dici, quod hodie nos Sacerdotes illabefactè obseruamus hic Romæ, ut sic ista, & omnes imminentes aduersitates per supplicationes, & orationes, atque ieiunia effugiamus.

Anno verbi incarnati 1577. De consec. dist 3. Rogationes.

Propter quam aliam causam Litaniæ hoc tempore fiant. Cap. CXVII.

NOn solum autem (ut diximus) Litaniæ fiunt hoc tempore, Scilicet in Festo Sancti Marci, ob id quod pestis inguinaria homines infestaret, sed fiunt etiam, ut fructus terræ dare, & conseruare dignetur Omnipotens Dei bonitas. Quia ergo tali tempore bella emergere solent, & fructus terræ, qui adhuc in teneritate, uel flore sunt, pluribus modis facilè corrumpi solent; Ideo hoc tempore per Litanias Deum rogamus, ut talia à nobis auertat: & ab aeris intemperie, & à bellis, & ab hostibus Christianæ religionis nos eripiat, & deffendat: super hoc patrocinia Sanctorum potissimum, & generaliter implorantes: & ideo Rogationes uocantur: de quibus hæc sufficiant. Sequitur modo ut de Domini Ascensione, & eius Officio transcurrendo aliqua sub breuitate dicamus.

Quænam differntia sit inter Ascensionem, Assumptionem, & Euolationem. Cap. CXVIII.

QVoniam autem ex Ascensione Christi sequitur Officium, ideo quod sit discrimen inter Ascensionem, Assumptionem, & Euolationem uidendum est. Et quidem Ascensio ad Christum pertinet. Assumptio ad Beatam Virginem: Euolatio autem ad Sanctos: & ratio huius est: quoniam Ascensio fit propria uirtute ascendentis: Assumptio autem uirtute Christi assumentis, qui filius specialiter obsequitur matri. Euolatio autem fit minsterio Angelorum. Alia est differentia: quia Locus euolantium, est distinctio Chororum; Locus uerò Assumptę Virginis est super choros Angelorum, locus uerò Christi ascendentis, est suprà locum assumptæ Virginis, ad dexteram patris cœlestis.

De Ascensione Christi.

Digitized by Google

Quot in Ascensione Domini nostri Iesu Christi, siue in eius Officio ueniant consideranda.
Cap. CXIX.

Circa Ascensionem Christi in hoc Sancto Officio, octo sunt consideranda, quæ ex nostro Ascensionis Officio colliguntur. Primum est, quod scilicet eleuatus est omnibus uidentibus Discipulis: ut desiderium ueniendi ad ipsum excitaretur in eis. Secundum est, quod nubis suscepit eum ab oculis eorum, & per umbram nubis figuratur, quod in hoc mortali corpore Iesum in alto uidere non possumus: hæc supradicta duo patent in primis Lectionibus. Tertium est, quod eleuatis manibus ferebatur in cęlum. Eleuauit autem manus propter duo, scilicet, ut suos patri offerret, & ut inimicos altè retracta manu percuteret; hoc autem patet ibi, nempè in tertia Laudum Antiphona. Quartum est, quod benedixit eis, ut eos contra hostem muniret, & bonis cælestibus augeret, quod ex Luca, & ex eadem Antiphona Laudum patet. Quintum est, quòd ascendit in iubilatione: quod refertur ad uocem iocunditatis redemptorum ascendentium cum ipso, qui prius uoce lachrimabili in portis inferni clamauerunt. Aduenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris, hoc autem quintum patet ibi, scilicet in tertia Antiphona Secundi Nocturni, & in eius Psalmo. Sextum est, quod ascendit in uoce tubæ, quod refertur ad sonum prædicationis Apostolorum, qui sonus fuit eis iniunctus, dicente Domino: Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. idest, hominibus, qui de omnibus creaturis aliquid habent, uidelicet esse cum lapidibus, uegetare cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: hac autem de re uide, quæ dixi circa primum Hymnum, qui incipit, Primo dierum omnium, &c. hoc autem sextum patet similiter in præmemorata tertia Secundi Nocturni Antiphona, & in eius Psalmo. Septimum est, quod ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, idest, captiuos captiuitate inferni, quos secum Victor eduxit. Christus enim post mortem descendit ad inferos, qui portas aereas confregit, & uisitauit infernum. & dedit eis lumen, ut uiderent: contriuit ergo portas æreas, & uectes æreos confregit, & captiuam duxit captiuitatem, in qua cum esset Dauid, & uidens se liberari, dixit, Domine eduxisti ab inferno animam meam, & saluasti me à descendentibus in Lacum: hoc autem septimum desumptum uidetur ex Psalmo 67. Octauum est, quod dedit dona hominibus: quia omnia bona nostra de sursum sunt, quo Christus ascendit: hoc etiam Octauum ex eodem prædicto Psalmo excerptum est.

Act. 1. *Act. 1.* *Luc. 24.* *Psal. 46.* *Matt. 28.* *Lib. 1.* *Psal. 46.* *Psal. 106.* *Psal. 27.*

Digitized by Google

Pentecostes quid, & unde dicatur. Cap. CXX.

PEntecostem à pente; idest, quinque & costem, idest, decem dicitur, quoniam quinque decem dies sunt à Pascha Resurrectionis, usque ad Pentecostem. post quinque enim decades Paschæ hoc celebratur Pentecostes festum.

De Sancto Pentecost. festo ca. de prin. eccl. qui in fac. Pal mil. l. 2. li. 12. & clem. una. de rel & uen Sanct. s. nos.

Cur Alleluia sic frequenter in Sanctissimo hoc Pentecost. festo cantetur. Cap. CXXI.

ICcirco autem frequenter in hoc Sacratissimo Pentecostes festo Alleluia cantatur. immo, & per totam hebdomadam Pentecost. quia per dies Pentecostes, Ecclesia per baptismum Deo populos congregat: & ideo saluti eorum congaudens, quousque albis utuntur uestibus Hymnum laudis decantat. Tunc enim stantes oramus in signum liberationis eorundem, qui per dona Spiritussancti de morte ad uitam resuscitari meruerunt.

Cur in hac Pentecost. nocte legamus duntaxat tres Lectiones, tres Antiphonas, & tres Psalmos. Cap. CXXII.

IN hac autem Sacratissima Pentecostes nocte, necnon & per totam huius Sancti Festi Hebdomadam, leguntur tres Lectiones, & dicuntur tres Psalmi, cum tribus Antiphonis, sicut in nocte Sacratissimæ Paschæ: ad notandum unum esse opus totius Sanctæ Trinitatis in potentia miraculorum. Vel hoc etiam fit propter Sacramentum Baptismi in trium personarum, Patris, scilicet, Filij, & Spiritussancti nomine celebrati. Vel ob triduanam Domini sepulturam, cui sumus in Baptismo consepulti. Vel ideo tres Antiphonæ, & tres Psalmi, tresque leguntur Lectiones in hoc ipso festo: quia Spiritussanctus tria circa Apostolos operatus est. Nam illos ueteres inouauit, innouatos confirmauit, & confirmatos ad alios misit. Ad primum pertinent illud, quod dicitur in prima Nocturni Officij Antiphona, ubi dicitur: Factus est repentè de cælo sonus. Ad secundum, quod dicitur in secunda, nempè: confirma hoc Deus. Ad tertiam, quod dicitur in tertia, scilicet, Emitte spiritum tuum. &c.

Antiphona diei Pentecostes cur terminentur per duplex Alleluia. Cap. CXXIII.

OB id autem nocturni huius Sacratissimæ solennitatis Antiphonæ per duplex Alleluia finiuntur, ac terminantur: quoniam Spiritussanctus duo in Apostolis Domini operatus est; remissionem uidelicet peccatorum, & operationem miraculorum.

Digitized by Google

Quid septem dies, hoc est, tota Pentecost. octaua cum tribus Psalmis Antiphonis, ac totidem Lectionibus indicent.
Cap. CXXIIII.

PEr hos insuper septem dies, quibus hoc diuinissimum celebramus Officium, tres exsoluentes Psalmos, Antiphonasq; necnon & tres Lectiones, indicamus septem fratres, idest, septem dona spiritus procurare tres sorores, idest, tres uirtutes Theologales, Fidem, scilicet, Spem, & Charitatem.

Sanctæ Trinitatis Festum, cur post Natiuitatem ac Christi Sanctissimam Resurrectionem, & post Pentecost. solennitatem celebretur. Cap. CXXV.

IN octaua autem Pentecostes Sanctæ ac indiuiduæ Trinitatis præconizatur Festum in Ecclesia Dei, ut ostendamus Deum patrem cuius festiuitatem in natiuitate Domini celebrauimus, & filium, cuius festum in Resurrectionis Paschate solennizauimus, & Spiritum sanctum, cujus missionem laudibus extollimus, unum esse Deum. Vel ut nobis tali in festo ille ostendatur, à quo sunt omnia bona.

Cur post octauam Pentecostes libri Regum legantur. Cap. CXXVI.

POst autem octauam Pentecostes, sequitur altera Dominica, quæ una est ex principalibus Dominicis: quia nimirum ab ea quartum incipit tempus peregrinationis nostræ: sumus etenim in uia ueniendi ad patriam, sed quoniam hostes habemus prius, quam illuc perueniamus, scilicet Carnem, Mundum, & Diabolum; ideo legitur de libris Regum, in quibus agitur de bellis, & de Victorijs, ut inuitemur ad pugnandum fortiter contra hostes, ut uictoriam habeamus, sicut Iudæi de Philistheis, & tandem gloriemur in cęlis: quia non est nobis lucta tantum aduersus carnem, sed etiam aduersus aereas potestates. Vnde primo in Vesperis illius Sabbathi Dominicæ sequentis incipit dici Psalmus, Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

Ephes. 6. *Psal. 143.*

Excelsum, & gloriosum sacratissimi corporis Christi Festum, cur alma Mater Ecclesia, in quinta Feria post Festum Trinitatis singulis annis deuotè ac solemniter ipsa celebret.
Cap. CXXVII.

In Clem. unica, de reliq. & uen. sanct.

LIcet inquit Clemens V. igitur hoc memoriale Sacramantum in quotidianis Missarum solenniis frequentetur: conueniens tamen

tamen arbitramur, & dignum, vt de ipso semel tantum in anno ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam, & insaniam memoria solennior, & celebrior habeatur. In ipso namque die Cænæ Domini, quo ipse Christus hoc instituit Sacramentum, vniuersalis Ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, Sacramenti confectione, Chrismatis adimpletione, mandati circa lotionem pedum, & alijs, quamplurimum occupata, plenè vacare non potest celebrationi huius maximi Festi. Hoc enim circa Sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa obseruat Ecclesia, vt (quamuis in Litanijs, & Missis, ac alijs etiam ipsorum memoriam sæpius renouemus) nihilominus tamen ipsorum Natalitia certis diebus per annum solennius recolat festa, propter hoc de eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis, circa solennitatis debitum aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut aliàs ex humana fragilitate omittitur, statuit ipsa Mater Ecclesia certam diem in qua generaliter omnium Sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi, quicquid in proprijs ipsorum festiuitatibus omissum extiterit, soluatur. Potissimè igitur exequendum est id circa hoc viuificum Sacramentum Corporis Christi, & Sanguinis, qui est Sanctorum omnium gloria, & Corona, ut festiuitate, ac celebritate præfulgeat speciali; quatenus in eo, quod in alijs Missarum Officijs circa solennitatem est forsitan prætermissum, deuota diligentia suppleatur, & fideles (festiuitate ipsa instante) intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solennijs sæcularibus forsitan agendis impliciti, aut aliàs ex negligentia, vel fragilitate humana minus plenè gesserunt; tunc attentè, & vigili animo, in humilitate spiritus & animi puritate restaurent. Modo audi post Viennense Concilium in hac parte Sacrosanctam Synodum Tridentinam; Declarat, inquit ipsa præterea Sancta Synodus piè, & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & festo die præcelsum hoc, & Venerabile Sacramentum singulari ueneratione, ac solennitate celebraretur; vtquè in processionibus reuerenter, & honorificè illud per uias, & loca publica circumferretur. Aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, & memores præstent animos erga cõmunem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & planè diuino beneficio, quo mortis eius uictoria, & triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit uictricem veritatem de mendacio, & hæresi triumphum agere: vt eius aduersarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta uniuersæ Ecclesiæ lætitia positi, uel debilitati, & fracti tabescant, uel pudore affecti, & confusi, aliquando resipiscant.

Cur hæc generalis corporis Christi veneratio fiat in feria quinta Cænæ Domini.

Cõc Trid. Sess. 13. c. 5

Digitized by Google

Quæ mirabilia in hoc Augustissimo, & mirabili Sacramento veniant consideranda. Cap. CXXVIII.

AD hæc ad hoc excellentis Sacratissimi Corporis Christi Sacramentum hæc mirabilia notantur, quæ omnia in hoc quoque Officio eius Festi patent, ac relucent. Primò nota mirabilem in eo productionem, quia de cœlo nobis productum est; & ad uocem Sacerdotis aperiuntur cœli: Hæc autem in nostro Officio patent, ibi, Panem de cœlo præstitisti eis, &c. & ibi, Dat panis cœlicus figuris terminum, Et ibi. Cuius Officium committi voluit solis presbiteris: hoc autem figuratum fuit, ut Dominus dixit; Ego pluam uobis panem de cœlo. Nota secundo mirabilem in eo multiplicationem, quæ quotidie conficitur, & sumitur, nec consumitur, ut ibi patet; Sic totum omnibus, quod totum singulis. Et alibi, A sumente non concisus, non confractus, non diuisus, integer accipitur. Sed hoc fuit figuratum quando Dauid partitus est in vniuersam Israelis multitudinem singulis collyrida panis vnam, assaturam bubulæ carnis unam; & quando etiam vir ille uenit de Baalsalisa deferens uiro Dei panes primitiarum, & uiginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua. At ille dixit; Da populo, ut comedat, Responditque ei minister eius: quantum est hoc, ut apponam coram centum uiris? Rursum ille; Da, ait, populo, ut comedat; Hæc enim dicit Dominus: comedent: & superit: Posuit itaquè coram eis, qui comederunt, & superfuit iuxta uerbum Domini. Nota tertio mirabilem in eo ministrationem: quia quoad effectum, ita per bonos, ut per malos ministratur: boni enim, & mali Sacerdotes æquè Corpus Christi conficiunt, quod figuratum est quando dicitur; cum Helia abijt, & fecit iuxta verbum Domini, cumque abijsset, sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem. Corui quoque deferebant ei panem, & carnes Vesperi, & bibebat de torrente, &c. Nota quarto mirabilem in eo confortationem, quia scilicet animæ nostræ substantiam fulcit, & quotidiè accipiendus est, & qui de eo manducat, in æternum non deficit. Hæc autem ibi elucescunt, ac duplicis substantiæ totum cibaret hominem: quod fuit figuratum; cum Heliæ fugienti per desertum uiam unius diei, & tandem dormienti, Angelus ad caput eius posuit panem subcineritium, dicens, surge, & comede, qui cum comedisset, ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Et qui contemnit, uel negligit hunc panem sumere; cadit à uirtutibus; quod figuratum fuit in ueteri Testamento dum dicitur: Statimque Saul cecidit super terram, & robur non erat in eo: quia panem non comederat illa die. Nota quinto in eo mirabilem munditiam, quia nisi dignè, & à dignis sumatur, propinat mortis iudicium, idest, condemnationem, manducat, & bibit, quod ibi patet, scilicet, in primis huius sanctissimi festi Lectionibus, quas Paulus misit ad Corinthios, deinde ad nos deuenerunt, quod inquam, & Dauid Sanctus tangere uoluit, cum dixit;

Nota. *De consecra. dist. 2. Quid est Sanguis.* *Exod. 16.* *De consecr. dist. 2. c. in Christo semel.* *2. Reg. 6.* *4. Reg. 4.* *1. q. 1. c. intra Catholicam.* *3. Reg. 17.* *De consec. dist. 2. c. nõ iste panis, & c. Christus panis est.* *3. Reg. 19.* *De consec. dist. 2. c. si quoties, & c. si quis intrat.* *1. Reg. 28.* *De consec. dist. 2. Qui scelerate, & c. timorem.*

dixit; Qui manducatis panem doloris. Nota sexto in eo mirabilem translationem, siue transsubstantiationem, quia etiam prece iniusti fit transsubstantiatio virtute Spiritusancti, non merito Sacerdotis, quod fuit figuratum, cum ad Gedeon dixit Angelus: Tolle carnes, & azimos panes, & pone super petram illam; & ius desuper funde, cumque fecisset ita, extendit Angelus Domini summitatem virgę, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & azimos panes, ascenditque ignis de petra, & carnes, & azimos panes consumpsit, hoc est, sacrificium: Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius. Nota septimo in eo mirabilem transmissionem: quia transmittitur etiam ad defunctos, non summè malos, nec summè bonos, quod fuit figuratum ubi præcepit Angelus Abachuc, quod panes, & pulmentum, quod ferebat Messoribus, portaret in Babylonem Danieli posito in Lacu Leonum; & cum nesciret Abachuc locum, apprehendit illum Angelus capillo capitis sui, & posuit eum in Babylonem super lacum; & accepit Daniel prandium.

1 q. 1. c. ea scriptura, et sequen. Iud. 6.

13. q. 2. ca. non æstimamus, & c. anima.

Nota.

Dani. 14.



Digitized by Google

SVMMARIA SINGVLORVM CAPITVLORVM SEXTÆ PARTIS

SEXTI TRACTATVS.

De Prima

Digitized by Google

De Prima Hora.

Prima, idest, Diurni Officij principium, quorsum instituta institutumue fuerit. Cap. I.



OSTQVAM autem hucusquè de Nocturnis tractauimus Officijs; iuri consonum modò videtur de Diurnis esse dicendum. Primum igitur de hac Sancta Hora Prima, siue initio Officij Diurni sic fatur Rupertus Abbas. Prima Hora Creatori nostro laudes referre debemus ante omnem curam corporis, qua scilicet Hora, Dominus noster iam consputus, & illusus, atquè alapis cæsus, & adhuc sannis, & opprobrijs saturandus Pilato propter nos ligatus astitit. Itemque rediuiuus stans in littore, (cum captura piscium, à quibus retia rupta non sunt, significasset Ecclesiam, qualis futura esset in Resurrectione mortuorum) mellitum cum septem discipulis celebrauit conuiuium. Quia ergo primum quærendum est regnum Dei, & cætera adijcientur nobis. Et in Lege iubet Dñs, omne sibi primitiũ offerri; Primã offeramus Horam diei nostro Redemptori, & quæramus regnum eius, qui passus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationem nostram: hæc Rupertus. Durandus autem in hac parte sic disserit: In Hora prima Deum laudare debemus, tum quia est initium diei; & nobis dedit noctem cum salute; & sine Sathanæ impedimento transire: tum quia tali Hora Christus à Iudæis Pilato traditus est; & etiam Angelus nunciauit mulieribus ad monumentum orto iam sole uenientibus, eum resurrexisse: Eadem etiam Hora uisus est in littore maris a Discipulis piscantibus. Tum quia eadem Hora Dominus conueniebat in templo & populus manitabat; idest, mane expectabat: uel, idest mane ad eum festinabat: Tum quia scriptura ait: Primum quærite regnum Dei: Merito ergo Ecclesia in hac Hora Dominum laudat, & eum inuocat dicens; Deus in adiutorium meum intende, cum glorificatione, & inde petit liberari, & à persecutionibus mundi, & à tentationibus Diaboli, ut patet in Hymno: Iam lucis orto sydere. At quid Iudocus? Iudocus præmemorata duorum prædictorum uirorum refert. sed cum uolueris scire; quam ob rem Sancta Dei Ecclesia in Prima diei Hora, & circa Solis ortum, oret, illud memento, quod suprà tractatu primo diximus, & tene menti ea, quæ ibi dicuntur.

De Hora Prima. Lib. 1. c. 2. de diu. Off. Matt. 27. Ioan. 21. Matt. 16. Exod. 13. & 23. Rom. 4. Lib. 5. c. 5. Matt. 27. Mar. 16. Ioan. 8. Ioan. 21. Matt. 6. Luc. 21. Lib. 2 de Prima hora. Quæst. 7.

Cur Hymnus Primæ inuariabilis sit. Cap. II.

Est autem insuper notandum, quod Hymnus huius Primæ Horæ nunquam mutatur, ob id, quoniam quolibet diè liberatione pre-

Digitized by Google

præmissa: hoc est, à persecutione mundi, & a tentationibus Diaboli egemus liberari. De Antiphonis dictum est suprà tractatu secũdo, Cap. uigesimoprimo, cum seq.

Tres Psalmi Primæ cum Symbolo Athanasij cur dicantur, quidq; ipsi indicent. Cap. III.

IN hac autem hora Prima tres Psalmos cum Symbolo Athanasij exsoluimus: quoniam in illis petimus in Diurnis horis, & actibus seruari ab innocentibus, & liberari ab inimicis inuisibilibus, & uisibilibus; armariq; cingulo castitatis, galea salutis, & scuto fidei. Ex continentia enim præcedentis Hymni euidenter apparet, quamobrem dicatur primus Psalmus, scilicet, Deus in nomine tuo saluum me fac: orat siquidem in eo Ecclesia à periculis; & ab inimicis liberari. In secundo ipsa se armat cingulo castitatis contra hostes. In tertio uerò Psalmo se munit galea salutis, scilicet, Spe, cum dicit: Retribue seruo tuo, &c. At in Symbolo armat se scuto fidei, cum dicit: Quicunq; vult saluus esse, &c. in quo fides nostra continetur, quę est scutum, & munimen nostrum, & uictoria contra Carnem, Mundum, & Diabolum, & eius omnes tentationes.

Nota. *Ephes. 6.* *1. Pet. 5.*

Cur ex prædictis tribus Psalmis huius Horæ Primæ, duo eorum sexdecim habeant uersus; quidque illi indicent. Cap. IIII.

AB alto, hoc est, à capite iterum repetas: & dicito ex tribus prædictis huius Primę horę Psalmis, duos esse Psalmos, hoc est: Beati immaculati, & Retribue Seruo tuo, &c. qui ad hoc sexdecim constant uersibus: quoniam eorum duodecim uersus significant duodecim Prophetas minores, de quibus quę dixi in Hymno Primo Quadragesimæ, qui incipit. Ex more docti mystico, ac etiam de maioribus uide ibi fusius. Alijs uerò quatuor uersibus, quatuor maiores designantur Prophetæ, scilicet Hieremias, Esaias, Daniel, & Ezechiel. Vel per duodecim uersus, duodecim Apostoli, per quatuor uerò, quatuor Euangelistæ annunciantur. Dicuntur ergo illi duo Psalmi ex sexdecim uersibus constituti, ut ostendatur, quod ea, quæ duodecim Prophetæ minores, & quatuor maiores, siue duodecim Apostoli, & quatuor Euangelistę dixerunt, pro posse obseruare debeamus.

Psalmus Confitemini, cur ad Primam dicatur. Cap. V.

ITem in præmissis Dominicis dicitur etiam ad Primam Psalmus Confitemini, ne aliquid de Psalterio prætermittatur, quin totum in septimana illud dicatur. Vel quia ibi, præsertim in uersu illo. Hæc dies

quam

Digitized by Google

quam fecit Dominus, &c. agitur de Resurrectione, ad quam dies Dominici pertinent. In Psalmo ergo Deus in nomine tuo saluum me fac, petimus erroris depositionem, In Psalmo Confitemini exhortamur ad Laudis confessionem. In Psalmo Beati immaculati, ad Laudis exhortamur operationem. In Psalmo Retribue, monemur ad mandatorum retributionem. Verum, quia Fides est fundamentum mandatorum, & uictoria, quæ uincit mũdum, quia cætera sine Fide frustrãtur; *1. Ioan. 5.* ideo subditur Symbolum Fidei; Quicunque uult saluus esse, ad eradicandum inualescentem hæreticorum vim, & fidem Catholicam diuulgandam.

Quid Capitulum Hora Prima nobis innuat.
Cap. VI.

PEr Capitulum autem quod post Psalmos cantamus, Gladius spiritus à Sancta Dei Ecclesia sumptus significatur, hoc est, Verbum Dei: Capitulum enim siue breuis illa Lectio, pertinet ad doctrinam: oportet enim ut prius præcedant bona opera, quæ per dictos Psalmos significantur: & demum sequatur doctrina de spiritualibus, ac secretioribus: Vnde illud; Cepit Iesus facere, & docere. *Act. 1.*

Responsorium Capituli prædicti quid. Cap. VII.

AD hæc post Capitulum sequitur Responsorium: Christe fili Dei uiui miserere nobis, &c. in quo Sancta Dei Ecclesia ostendit se innuere, & applaudere ijs, quæ in illo dicta sunt: Orat nihilominus ipsa pro se, dicens postea: Exurge Christe, idest, fac nos exurgere & exurgere nos à uitijs nihil aliud est, quàm ad Dominum redire.

Cur post Capitulum, ac eius Responsorium preces dicamus.
Cap. VIII.

PReces autem hac Hora Prima post Capitulum, & eius Responsorium exsoluimus propter tria. Primo, ád resecandas superfluas cogitationes. Secundo, ad impetrandam misericordiam propter oues errantes, & operarios fatiscentes. Tertio, ad postulandum auxilium contra tentationes, ut possimus in Deminica oratione Patrem securius inuocare.

Kyrie eleyson cur ter dicamus in Prima.
Cap. IX.

PRæterea dicitur ter a nobis in precibus Kyrie eleyson: ad notandum tres status Diuinitatis, & maiestatis, quos in Ecclesia aliquo modo celebramus. Primus siquidem status fuit ante assumptam naturam humanum; quando uidelicet Trinitas inuocabatur sine copula

tione

tione humanæ naturæ, & dicebatur Dñs, quia Dñs nomen illi. Secundus ſtatus fuit poſt aſſumptam, Natiuitatem, ſcilicet quando Christus uidebatur in terra, & nihillo minus credebatur à ſuis Deus, & filius Dei; propter enim aſſumptam humanitatem, quæ uncta eſt oleo ſpirituali, uocatur Christus. Tertius ſtatus fuit ex eo tempore, quo uoluit clarificari aſſumptam humanitatem plus quam eſſet, quãdiu mortalis erat: quia ergo in illa clarificatione oſtenſa eſt, & etiam demum Trinitas: ideo dicimus ter in precibus kyrie eleyſon.

Cur poſt kyrie eleyſon dicamus Pater noſter. Cap. X.

POſt uerò Kyrie eleyſon, Dominica ſic ſequitur oratio, in qua quidem ſeptem ſunt petitiones: propter quæ habenda etiam ſeptem dona Spiritusſancti, per quæ merentes ſeptem uirtutes, & per iſtas à ſeptem uitijs liberati, ad octo beatitudines perueniamus.

Cur Pater noſter hic demiſſa uoce dicatur. Cap. XI.

HÆc autem oratiò Dominica ſecreto in prædictis precib. dicitur, ut per hæc uerba humilitas, & orationis deuotio ſignificetur. Vel ut quaſi ad interiora reuerſi ipſas res cum magna diligentia, mente capiamus, quas uerbis pronunciamus. Vel quia in eo Deo loquimur,
Pſal. 7. qui non tantum uerba, ſed renes ſcrutatur, & corda. Vel hoc fit ad
Hier. 21. notandum, quod oratio ipſa potius habet efficaciam in deuotione
Exod. 24. cordis, quam in clamore oris, licèt enim Moyſes ad Dominum non clamaret ore; tamen Dominus, qui magis attendit clamorem cordis, quam oris, inquit ei, Quid Clamas ad me.

Cur principium, & finis huius Sacratiſſimæ orationis altè, & publicè pronuncietur. Cap. XII.

ESt nihilominus aduertendum, quod prædictæ Sacratiſſimæ orationis principium publicè pronunciatur; ut per hoc manifeſtum principium populi Officio adſtantes ad orandum inuitentur, ac magis incitentur. Pari modo eius finis altè pronunciatur, ut ab omnibus confirmetur: & ut auxilio precum aſtantium, ac intereſſentium, Amen, reſpondentium, à tentatione liberemur.

Quid per Credo poſt orationem Dominicam impetrare nitamur. Cap. XIII.

POſt autem Dominicam orationem, Credo in Deum patrem immediatè recitamus; quoniam in eo fides noſtra continetur, quam ore ac uerbis ideo manifeſtamus hic, ut Deo placere poſſimus: etenim ſine

Digitized by Google

sine fide, inquit Paulus, impossibile est placere Deo: per quam contra omnia aduersa armantur illi, qui per Dominicam orationem mundantur.

Cur secreto Symbolum in Prima dicatur. Cap. XIIII.

ET aduerte quod hoc symbolum Apostolorum, siue Credo, in Prima dicitur submissè: ac demissa voce dicitur, ad notandum, quod corde creditur ad iustitiam, sed finis eius alta pronunciatur voce, ad ostendendum, quod ore fit confessio ad salutem. Doctor tamen Angelicus, hoc est Diuus Thomas Aquinas aliter huic quæstioni, & perpulchrè quidem occurrit, respondetque dicens: Ad sextum, dicendum est, quod quia Symbolum Patrum est declaratiuum Symboli Apostolorum, & etiam fuit conditum fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente: propter hoc publicè in Missa cantatur. Symbolum autem Apostolorum quod tempore persecutionis additum fuit, fide nondum publicata, occultè dicitur in Prima, & in Completorio, quasi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum. Post hæc Sacerdos, quasi suspirans dicit: Et ego ad te Domine clamaui, &c. iuxta illud Dauid: De profundis clamaui ad te Domine. Quia verò non est speciosa laus in ore peccatoris: quia peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum per os tuum: ideo petit sibi gratiam confitendi, qua repletus possit dignè laudare dicens; repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam &c. Subsequuntur etiam postea multæ preces, quibus Ecclesia Obsecrat, Orat, Postulat, & Gratias agit. Orat dum bona sibi dari petit, ut ibi, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Postulat, dum à se mala sibi contraria remoueri petit, ut ibi, Dignare Domine die isto, sine peccato nos custodire. Gratias agit pro iam receptis, dum dicit; Benedic anima mea Domino.

2.2.q.1.ar. q.6.

Psal. 94. Eccles. 15. Psal. 70. 3. quæst.6. § Quod instatur. Psal. 50.

Preces cur genibus flexis ad Primam dicantur. Cap. XV.

DVm autem huiusmodi preces dicit Sacerdos in diebus scilicet profestis, vel Aduentus Domini, vel Quadragesimæ, vel etiam in Vigilijs, se ad terram ideo prosternit, ut maiorem in se, & alijs excitet deuotionem. Vel ideo in huiusmodi profestis diebus, & diebus alijs prædictis genua in dicendis precibus flectimus, vt nostram significemus corporalem infirmitatem. Nam de puluere, & de terra sumpti sumus. Recordatus est, inquit Psaltes, quoniam puluis sumus: & Esaias: Et nunc Domine Pater noster es tu, nos vero lutum. Vel ut animi nostri infirmitatem monstremus, quoniam ipsi per nos

De precib. quæ fiunt in hac Hora Prima.

Psal. 102. Esai. 64.

non

non erigimur. Vel hoc fit ad nostram erubescentiam, quia non audemus oculos in altum, hoc est in cœlum tollere, nec leuare. Vel vt cordis contritionem indicemus. Vel sic nos postrati: & Christum adorantes, cum ad terram descendisse, & carnem de terra induisse credentes monstramus. Vel quia reducimus ad memoriam: quia licèt in Paradiso creati fuerimus, corpora tamen nostra propter lapsum nostrũ inter animalia bruta iacere, & animam corporali mole grauatá indicamus. Vel hoc fit ut ipso actu confiteamur nos esse peccatores, & terrenis desiderijs inhærere, ideo uentrem terræ, & animam pauimento infigimus. Et hoc introductum fuit ab Abraham, qui cadens in terram, Dominum adorauit, quem Prophetæ imitati fuerunt, hoc etiam docemur a Salomone, & à Paulo, dicente; Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Genes. 18. 3. Reg. 8. Ephes. 3. c. decet, de immunita. Eccles.

Vt quid preces non dicantur in tempore Paschali ad hanc horam, neque ad alias sequentes, neq; in Pentecoste neq; in alijs Sanctorum diebus Festiuis. Cap. XVI.

SCito tamen quod neque tempore Paschali, neque in diebus Pentecostes, neque in diebus Sanctorum Festiuis, fit genuflexio in hac Hora Prima, nec per Horas alias sequentes dicitur kyrie eleyson, nec Dominica oratio, sed stantes ferè semper oramus propter Lætitiam Resurrectionis Iesu Christi, quam tunc recolimus. Similiter in Pentecoste recolimus libertatem per aduentum Spiritussancti nobis datam. Pari modo in alijs festiuis diebus Sanctorum à genuflexione abstinemus, propter lætitiam ipsarum festiuitatum, in quibus recolimus sanctam societatem Angelorum, & Sanctorum.

Prædictis absolutis quamobrem subsequatur salutatio, scilicet Dominus vobiscum. Cap. XVII.

VLtimo subijcitur Oratio, quam salutatio, scilicet Dominus vobiscum, præcedit, & etiam sequitur: quoniam sicut Dominus postquam surrexit, salutauit Apostolos dicens, Pax vobis, & postea locutus est eis; & post locutionem iterum dixit: Pax vobis. Ita Presbiter eius Vicarius, postquam surrexit ab accubitu, salutat fratres dicens, Dominus vobiscum, & pro eis orat. & post orationem iterum dicit, Dominus uobiscum, quasi dicat si gratiam Dei impetrastis, in illa perseuerate. & iterum populus dicit, & cum spiritu tuo: ac si dicat, orasti pro nobis, & nos pro te oramus. De hac autem salutatione, & Sacerdotis; qui orationem collecturus est, surrectione sic fatur Cassianus Heremita, cum is, qui orationem collecturus est è terra surrexit, omnes pariter surgunt, ita ut nullus, nec antequam inclinetur ille genuflectere, nec cum è terra surrexit, remorari

Ioan. 20. Ioan. Cassian. lib. 2. cap. 7.

morari præsumat, ne non tam secutus fuisse illius conclusionem, qui precem colligit, quam suam celebrasse credatur.

Cur in Hora Prima post supradicta dicatur Benedicamus Domino. Cap. XVIII.

NOuissimo verò loco succlamamus prædictis absolutis: Benedicamus Domino: de quo nos suprà in Tractatu Secundo, quæst. sexagesimaoctaua fusius diximus. De Preciosa in conspectu Domini, est mors sanctorum eius, & de imploratione Beatæ Mariæ, ac Sanctorum, quæ ibi post Benedicamus Domino, non est à me inuenta determinata ratio apud aliquem: proinde nec ego hæc attingere audeo: quoniam quæ hic scribo summulam esse uolo eorum, quæ à Ruperto Tuiciense, Iudoco Clictoueo, & Durando, de mente Sanctorum Pontificum referuntur.

Cur ter dicamus Deus in adiutorium meum intende. Cap. XIX.

DEinde Sacerdos ad honorem Trinitatis orat generaliter pro se, & pro omnibus, dicens ter, Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Vel dicitur ter Deus in adiutorium meum intende, &c. ut petat auxilium contra insidias Diaboli, Carnis, & Mundi. Vel ad honorem (vt diximus) Sanctissimę Trinitatis, & ideo subijcitur, Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto. Cur autem ad Primam loco Psalmi Confitemini Domino, in Septuagesima dicatur Psalmus; Dominus regnauit, dictum est suprà Tractatu tertio, quæstione quadragesimatertia. Cur etiam in Dominica Passionis, hoc est in Cæna Domini, & in illo triduo, in Prima Hora non dicamus Responsorium Christe Fili Dei viui: dictum est & in Tractatu tertio, quæst. sexagesimaprima Et cur ad Primam in Paschate non fiant petitiones, obsecrationes, & postulationes, dictum est supra in Tractatu tertio, quæst. centesima. *Nota.*

Verba rubra, quæ ante breuem Lectionem leguntur, scilicet, ad Absolutionem Capituli; quidnam innuant nobis. Cap. XX.

SCiendum est, quòd permultæ regulæ, seu religiones hoc adhuc habent institutum circa Horarum exsolutionem, nempe; vt, cum peruenerint ad finem orationis, quæ incipit: Domine Deus omnipotens; de choro egrediantur, & domunculam, quam Capitulum, seu Pretiosam, appellant, ingrediantur, in qua publicè quilibet se accusat de factis proprijs, ac culpis; quod uidelicet, non surrexit benè ad Horam Matutini; quod non humiliauit caput Sacramento, vel

etiam

Digitized by Google

etiam Prælato: quod non fuit attentus in Choro; quod altercatus est cum aliquo fratre, & similia: Deinde pergunt, & finiunt dicere, quæ post orationem sequuntur, scilicet, Praciosa in conspectu Domini, cum sequen. vsque ad finem: quæ omnia ueluti quoddam Capitulum appellant: Vnde propterea ponuntur illa verba, scilicet, ad Absolutionem Capituli, idest, post finem confessionum culparum; quas fecerunt Fratres, & cæteri, dicentes Officium, dicitur; Dominus autem dirigat corda; & corpora nostra, &c. iuxta temporum varietates, ac vicissitudines prout videtur descriptum, seu ordinatum in ipso Breuiario.



SVMMARIA.

Digitized by Google

SVMMARIA

SINGVLORVM CAPITVLORVM

SEPTIMÆ PARTIS

SEXTI TRACTATVS

1 *In hora Tertia cur Deum laudamus.*
2 *Rupertus Abbas quid dicat de hora Tertia.*
3 *Hora Tertia cur non Secunda appelletur cum Primam subsequatur horam.*
4 *Capitulum cur post Hymnos, & Psalmos succinamus.*
5 *Versus Capituli quid.*

De Hora Tertia.

Cur Hora Tertia teneamur Deo laudes exsoluere. Cap. I.



HOra Tertia, inquit Gulielmus in suo Rationali, Deo laudes exsoluimus, quoniam secundum Marcum, Iesus linguis Iudæorum morti adiudicatus est, & à Pilato ad columnam ligatus est, & flagellatus, meritò ergo ait ille, hora illa oramus, vt sicut scilicet ab Adã per Diaboli suggestionem à nobis separatus est, ita per Christi crucifixionẽ dignetur eadem hora Spiritussanctus in corda nostra infundi. In hac etiam, inquit ipse, hora, repromissus Spiritussanctus, datus est Apostolis, & visibiliter Dei magnalia loquebantur. Vnde in Actibus Apostolorum dicitur; Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. Hac etiam de causa dicitur Hymnus, Nunc Sancte nobis Spiritus &c. Dicitur etiam Psalmus, Legem pone mihi Domine, quia tũc Lex noua data est Apostolis. *Lib. 5. c. 6.* *Genes. 3.* *Ioan. 14.*

Quid de Sanctissima hac hora Tertia Rupertus Abbas. Cap. II.

HOra Tertia, inquit Rupertus, duplici ratione splendet insignis, namque hac hora Dominus Iesus spinis coronatus, & linguis Iudæorum crucifixus est, iuxta illud: Filij hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, & linguæ eorum gladius acutus, videlicet, quia Pilato iudicante illud non admitti, firmauerunt sibi sermonem nequam, *Lib 1. c. 3.* *Matt. 27.* *Mar. 15.* *Psal. 56.* *Psal. 93.* *Io. 19. et 7.*

 Peruna-

pertinaciter clamantes, crucifige, crucifige. Et Spiritussanctus qui in remissionem peccatorum non fuerat datus, antequam Iesus esset glorificatus, super nascentem Ecclesiam in igneis linguis effusus est. Et impletum est discipulis promissum Domini dicentis: Vos autem Baptizabimini Spiritusancto non post multos hos dies. Quid verò dicat Iudocus de sæpè memorata benedicta Hora non est quod in medium afferatur, ille siquidem dicit, quæ Durandus narrat. Non est tamen silentio hic prætereundus ille tantus vir, scilicet, Cassianus Heremita, qui sicut nouus, sed profectò grauissimus, iterum hic Romæ apparet, ita etiã noua de Horis Tertia, Sexta, & Nona, ac grauissima profert. Ait enim ille; his enim tribus temporibus etiam Danielem Prophetam quotidie fenestris apertis in cęnando, preces Domino fudisse cognoscimus. Nec immeritò hæc specialius tempora religiosis sunt Officijs deputata; in his si quidem promissionum perfectio, & summa nostræ salutis est adimpleta. Hora namque Tertia, repromissus olim per Prophetas Spiritussanctus super Apostolos in orationum officio constitutos descendisse primitus comprobatur. Nam cum pro elocutione linguarum, quę ab eis infusione Spiritussancti profluebat, gens incredula Iudæorum, obstupescens pariter, & uidens, diceret eos musto repletos: stans Petrus in medio eorum ait, Viri Israelitæ, & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc uobis notum sit, & auribus percipite verba mea: Non enim, sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est, quod dictũ est per Prophetam Ioel, & erit in nouissimis diebus dicit Dominus, effundam de Spiritusancto meo super omnem carnem, & prophetabunt filij uestri, & filiæ vestræ, & iuuenes vestri scissiones uidebunt, & seniores vestri somnia videbunt, somniabunt, & cætera: quæ omnia hora Tertia videmus impleta, Sanctique Spiritus vaticinatum per Prophetas aduentum eodem tempore super Apostolos commeasse.

Act. 1. et 2. — Ioan. Cassia. l. 3. c. 3. — Dan. 6. — Ioel 2. — Esai. 44. — Act. 2. — Ioel. 2. cap.

Hac Hora Tertia cur non Secunda appelletur, cum Primam sequatur Horam. Cap. III.

ROget hic fortè aliquis, dicens: quibus de causis non potius hãc Horam, quam Tertiam horã appellamus, Secũdam Horam uocemus, quam Tertiam: sed huic quæstioni occurrit Iudocus dicens, neque eam quæ proximè sequitur Primam Horam in designando tempore Ecclesiasticorum Officiorum Secundam appellare quis rectè potest, tum quod hic non est attendendus naturalis, & continuus numerorum ordo, secundum quem ordinem, Primo Secundum subijcitur, Secundo Tertium, & Tertio Quartum: quemadmodum huiusmodi ordo seruatur in supputandis horis horologiorum, sed solum aduertenda est illarum Horarum denominatio, quæ in sacris literis manifestius sunt annotatæ, & in quibus aliquod mysterium, aut ueteris, aut nouæ Legis peractum legitur: Secunda si quidem hora neque in Sacris Scripturis celebrata inuenitur, neque in ea aliquod pręcipuum, aut insigne redemptionis nostræ Sacramentum memoratur fuisse completum: Eadem

Lib secũdo, de Horis can.

etiam

Digitized by Google

etiam ratione neque Quarta, neque Quinta hora, aut reliquæ continuato naturali ordine numerandi occurrentes, hic quæritandæ sunt, aut nominandæ: quoniam hic non de horarijs temporum spacijs fit sermo.

Post dictos Hymnum & Psalmos, cur Capitulum succinamus. Cap. IIII.

DIctum est supra à nobis pauló ante, propter quid Hymnum: Nunc Sancte nobis Spiritus dicatur in hora Tertia. Pari modo cur Psalmum, Legem pone mihi, recitemus hac Hora ipsa; nempè, quia tunc lex noua data est Apostolis. Quoniam uerò homo per legem Dei à morbo peccati sanatur, iuxta illud Sapientiæ: Nec herba, nec Malagma sanat eos, sed tuus sermo Domine: ideo dicimus Capitulum; sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es: quod desumptum est ex decimoseptimo capite Hieremiæ prophetę. *Psal. 118.* *Sap. 16.* *Hier. 17.*

Versus Capituli prædicti quid. Cap. V.

RVrsus quia homo non potest sanari nisi conseruetur: ideo sequitur versus; Adiutor meus esto, quasi dicat, quamuis liber, & sanus in initia tua sim constitutus: tamen non sufficio sine tuo adiutorio peruenire ad illam meridiem, de qua dicitur: Indica mihi ubi pascas, ubi cubas in Meridie. Deinde subijcitur, Ne derelinquas me: idest, inceptum meum ne intermittas, quia sine te nihil est conatus meus, neque despicias me; idest, ne contemnas, quod ego mortalis te æternum audeo quærere; quia tu es Deus meus, qui me creasti, & recreasti, salutaris meus, idest qui sanas plagas peccati mei. Cætera, quæ circa hanc Sanctam Horam forent trutinanda, non obseruo: quoniam nec maiores nostri illa obseruarunt: & si illi millies me peritiores nó tetigere ea, cur ego, qui illorum dicta, non autem mei aliquid in medium afferre intendo propriæ pusillitatis, ac imperitiæ oblitus officium magnorum, grauiumque Doctorum subire contendam: Præterquam quod etiam ipse circa hæc breuitatis amator esse cupio: ne sic alijs tędio sim.



Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
OCTAVÆ PARTIS
SEXTI TRACTATVS.

1 *Hora Sexta ad quid instituta sit.*
2 *Gulielmus quid in Rationali de hac Hora dicat.*
3 *Iudocus quid de hac dixerit Hora.*
4 *Psalmus Defecit, vt quid in hac Hora Tertia dicatur.*
5 *Responsorium cur dicatur.*

De Hora Sexta.

Hora Sexta ad quid instituta. *Cap. I.*

Lib. 1. c. 4. De Diuino Offic. *Ioan. 12.* *Ibidem.*

HOra Sexta Christus Dominus propter nos (ait Rupertus) in cruce exaltatus est, ut ad se omnia traheret, & extincto modico lumine Iudæorum, de quo ipsa lux uera dixerat; Adhuc modicum lumen in uobis est, currite, dum lucem vitæ habetis, ut non tenebræ uos comprehendant: corporalibus quoque super terram irruentibus tenebris lumen verum transiuit ad illuminationem gentium.

Quid de hac sacra Sexta Hora intendat Gulielmus. *Cap. II.*

Guliel. lib. 5. cap. 7. *Ioan. 19.* *Act. 1.* *Cant. 5.*

HOra Sexta, inquit ille, pro nobis crucifixus, & clauis confixus est Christus, quare tenebræ super omnem terram factæ sunt, ut sol in morte Domini sui lugens, se quasi nigris tegeret vestibus, ne illum crucifigentibus lumen præberet. Hac etiam Hora in die Ascensionis cum Discipulis discubuit. Meritò ergo Ecclesia illa Hora Deo laudes exhibet, gratias ei agens, quia pro ipsa Christus pati voluit, propter quod ipsum diligit uehementer. Vnde in Canticis, Nuntiate dilecto, quia amore langueo.

Quid Iudocus in hac Sacra Hora dicat. *Cap. III.*

Lib. 2. De Hor. Can.

DEnique quę de hac salutari nobis Hora memoret Iudocus, minimè silentio prætereundum censui. ait enim sic; Porrò Hora Sexta persoluuntur Deo quotidianæ laudes in memoriam eximiæ illius Charitatis,

ritatis, qua pro nostra redemptione ea Hora cruci est affixus: quemadmodum dicit Ioannes; Erat inquit, Parasceue Paschæ Hora quasi Sexta: & Lucas; Erat autem ferè Hora Sexta, & tunc etiam subito obortæ sunt, (vt ait Matt. & Luc.) tenebræ per uniuersam terram ab Hora Sexta usque ad Nonam, ut Sol pullus, & ater suo lumine contracto, suum, & omnium visus fuerit eluxisse conditorem. Rursus eadem Sacra adnotatur Hora, qua Dominus noster uolens ostendere nostræ salutis desiderium, quo flagrabat, à muliere Samaritana aquam petiuit, & illi suæ salutaris doctrinæ (& per illam Samaritanis omnibus) fluenta communicauit, sui cognitionem, quod esset verè Saluator mundi ipsis elargiens, atque sub illorum typo se in Sexta ætate toti mundo per susceptam carnis dispensationem benignus manifestans, Saluatoremque declarans. Non subticuit id diuinus Euangelista, cum ait; Erat autem ibi fons Iacob: Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Hora autem erat quasi Sexta, venit mulier de Samaria hauriens aquam. Eandem denique beatissimus Petrus, orationi intentus, visionem habuit, de populo gentium in vnum Ecclesiæ sinum per fidē congregando, cum vidit linteum descendens de cœlo, plenum quadrupedibus, uolatilibus, & reptilibus, quemadmodum Acta Apostolorum testantur: Ascendit (inquiunt) Petrus in superiora, ut oraret circa Horam Sextam. Ioannes autem Cassianus Heremita sic ipse quoque de hac Sancta Hora fatur; Hora autem Sexta immaculata hostia, Dominus noster, atque Saluator oblatus est Patri, crucemque pro totius mundi salute conscendens, humani generis peccata deleuit, & spolians principatus, & potestates, traduxit palam, uniuersosque nos obnoxios, atque constrictos insolubili chyrographi debito liberauit, tollens id de medio, & crucis suæ affigens trophæo.

Ioan. 19. Luc. 23. Matth. 27. Ioan. 4. Act. 10. Ioan. Cass. lib. 3. c. 3.

Psalmus Defecit in salutare tuum anima mea: propter quid ad hanc Sextam Horam dicatur.
Cap. IIII.

SEd ad hanc Sanctissimam Sextam Horam ideo recitamus Psalmum, Defecit in salutare tuum anima mea, &c. quoniam propter Christum, qui passus est pro nobis, nos elanguentes, ut diximus, anima nostra in salutare Dei tendens, & illud sentiens, à terrenis ipsa deficit, & ex magno beneficio accepto, affligitur quasi ex dilectatione.

Vt quid Responsorium dicatur. Cap. V.

ET ob hoc etiam dicitur Responsorium, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, supple: quia dignatus est pati pro me, idest, pro salute animæ meæ.

Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
NONÆ PARTIS
SEXTI TRACTATVS.

De Hora Nona.

Hora Nona quorsum instituta, & cur in ea Hora laudes Deo dicamus. Cap. I.

Lib. 1. c. 5. de diuin. Officijs. Matth. 27. Luc. 27. Marci 15.



Ona quoque Hora, ait eximius Doctor Rupertus, iure in laudem Dei clamamus, quando clamans Dominus Iesus voce magna emisit spiritum, latrone admisso in paradisum; & venia quamuis sero veraciter pęnitentibus, & confitētibus dedicata: & reciſſo uelo Legis, & Prophetarum, cæpimus reuelata facie contemplari gloriam Domini. Tunc etiam latere eius perforato, formandæ Ecclesiæ profluxerunt Sacramenta, sanguis, quo redimimur: aqua qua abluimur.

Quid de hac Sacratissima, & splendidissima Hora Nona dicat Iudocus. Cap. II.

CLichtoueus verò hæc de hac celeberrima Hora Nona in medium affert, & ait; Demum Hora Nona quotidianis laudibus Sancta Ecclesia Deum concelebrat in memoriam amarissimæ Passionis Domini, quam illa Hora pro nobis perpessus est. Nam vt Sacri scribunt Euangelistæ, circa Horam Nonam, clamans uoce magna expirauit. Circa eandem etiam Horam descendit ad inferna, vt Sanctos inde Patres liberaret, & de principe huius mundi triumpharet. Denique vnus militum circa eandem Horam lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua, in remissionem peccatorum nostrorum. Eadem quoque Hora Discipuli Domini ad orationem conuenire

Matth. 27. Ioan. 19.

sunt

Digitized by Google

sunt soliti, quemadmodum Acta perhibent Apostolica de Petro, & Ioanne, quod ascendebant in Templum ad Horam orationis Nonam, & cętera.

Quid de hac sępè memorata solennique Hora Nona referat Guilielmus. Cap. III.

HOra Nona (ait ille) Christus clamans emisit spiritum. Mori enim voluit pro homine illa Hora in qua Hora homo de paradiso expulsus est: Et in eadem Hora per mulierem, & lignum redemit, quos per mulierem, & lignum deceperat hostis, ut ars artem falleret, & medelam ferret inde, vnde hostis læserat. In eadem quoque Hora, miles latus Christi aperuit, ex quo duo nostræ saluationis Sacramenta, scilicet aquam Baptismi, & Sanguinem nostræ redemptionis nobis eduxit, & uelum Templi scissum est, & monumenta aperta sunt. Eadem Hora inferna penetrans, inextricabiles Tartari tenebras, serasque eius comminuens, captiuitatem Sanctorum secum transuexit ad cœlos, igneaque romphea submota, antiquum incolam in Paradiso restituit. Eadem etiam Hora cœtus Apostolorum ad orandum conuenire consueuit; & Petrus, & Ioannes ascendebant in Templum causa orationis. Petrus quoque eadem Hora ascendit in cœnaculum oraturus, quando raptus est in extasim; & linteolum plenum reptilibus de cœlo ante se dimitti uidit, audiens, Petre macta, & manduca. Meritò igitur propter has prærogatiuas hac Hora Deum Ecclesia laudat, dicens Psalmum, Mirabilia testimonia tua, &c. Responsorium. Redime me Domine: orans pro sua redemptione; ne oblita esse videatur, quod tali Hora redempta est. Cassianum modò audiamus sic de hac ipsa quoque Hora differentem. Hora verò Nona, inquit ille, Christus inferna penetrans inextricabiles Tartari tenebras coruscatione sui splendoris extinxit, portasque eius æreas effringens, ac seras ferreas conterens, captiuitatem Sanctorum, quæ clausa tenebris immitis tenebatur inferni, salubriter captam transuexit secum ad cœlos, igneaque romphea submota, antiquum incolam Paradiso pia confessione restituit.


Lib. 5. c. 8. In Rationali. *Ioan. 19.* *Iac. 45.* *Psal. 107.* *Act. 3.* *Act. 10.* *Cassia. Herem. Lib. 3. c. 3.*

Responsoria Dominicarum quomodo correspondeant in Tertia, Sexta, & Nona conuenienter Responsorijs Ferialibus. Cap. IIII.

SEd prius quam huic Sanctæ, ac benedictæ Horæ Nonæ imponamus extremam manum, aduertere possumus, quod Responsoria Dominicalia in tribus Horis, scilicet, Tertia, Sexta, & Nona, conuenienter respondent Responsorijs Ferialibus, siquidem in Responsorio Feriali, nempè ad Tertiam, quod est; Sana animam meam, &c. petitur sanitas vulnerum, quæ præterita peccata fecerunt: & in Responsorio Dominicali, videlicet, Inclina cor meum, &c. & in Versi-

Digitized by Google

culo Auerte oculos, &c. petitur cautela de futuris, quod fit in impletione diuinorum mandatorum. Item in Feriali Responsorio, scilicet, Benedicam Dominum in omni tempore. In Dominicali Responsorio fit iugis diuinæ laudis promissio: dicimus enim Benedicam Dominum in omni tempore. In Dominicali Responsorio, scilicet, In æternum Domine, &c. fit promissi impletio: ibi enim promittit se laudaturum, & sic laudat. Ad hæc in Responsorio Feriali Horæ nostræ præsentis Nonæ, scilicet, Redime me Domine, &c. petitur redemptionis effectus: quo fit, vt vis mentis, idest, amor, sit directus ad Deum. & in Responsorio Dominicali, scilicet, Clamaui in toto corde meo, promittitur effectus cordis, idest, amoris, scilicet, clamor ad Deum ex amore: est enim clamor cordis.



SVMMARIA.

Digitized by Google

SVMMARIA

SINGVLORVM CAPITVLORVM DECIMÆ PARTIS SEXTI TRACTATVS

1 *Vesperę ad quid institutę sint.*
2 *Iudocus quid dicat circa hanc Vespertinam Horam.*
3 *Quid Rupertus quoque referat.*
4 *Quinque Psalmos cur cantemus in Vesperis.*
5 *Vespertinum & Matutinum Officium hęc duo cur cęteris Horis in numero Psalmorum pręferantur.*
6 *In Vesperis ut quid fiat sępe Psalmorum mutatio.*
7 *Capitulum cur post Psalmos recitemus.*
8 *Hymnus post Capitulum quid.*
9 *Canticum Beatę Marię Virginis propter quid sic frequenter & continuò omnibus diebus ad Vesperas canamus.*
10 *Magnificat cur cantetur in Sexta Laude.*
11 *Mortuorum Officium cur non habeat Secundas Vesperas.*
12 *Sanctorum Officium habet Primas, & secundas Vesperas.*

De Hora Vespertina.

Vt quid Hora Vespertina sit instituta ad dandum Deo Laudes. Cap. I.



ANTOLICA Dei Ecclesia Christo in hac Sacratissima Horâ Vespertina, gratias ideo agit, quoniam ipsa primum eius sponsi Christi recolit aduentum; qui fuit vergente mundi Vespere, idest, ultima ætate: Vnde Apostolus: Nos sumus in quos fines sæculorum deuenerunt. Præterea Christus in Vespere de Cruce depositus fuit. Eadem quoque Hora in Cœna Sacramentum corporis, & sanguinis instituit: pedes Discipulorum lauit: Discipulis euntibus in Emaus in habitu peregrini in fractione panis se manifestauit.

1. Cor. 10. De pæn. dist. 3. c. sit enim. Luc. 19. Matt. 27. Luc. 24.

De

De hac Sacratissima Hora Vespertina quid Iudocus referat. *Cap. II.*

AMplius circa hanc Sacratissimam Vespertinam Horam sic fatur Clichtoueus: Vesperas, inquit ille, dici plerique autumant, à Vespere stella, quæ in crepusculo apparere solet, & diei extremitatem annunciare: quoniam circa declinationem diei, & finem Officij celebrari est institutum; & id quidem in memoriam depositionis Domini de Cruce circa illam Horam à uenerabili, & pio Ioseph, atque Nicodemo, permittente Pilato factam. Etiam in recordationem institutionis Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, quod Vespere facto post manducationem agni Paschalis typici coram Discipulis suis in vltima cœna Dominus instituit, ut perhibent Euangelistæ. Præterea circa eandem Horam duobus discipulis euntibus in Emaus apparuit Dominus post Resurrectionem in specie, & forma peregrini, qui scripturarum interpretatione eos illuminauit, & demum in fractione panis se illis exhibuit cognoscendum; Mane (inquiunt illi ad Dominum) iam eloquijs eius inflammati, nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Habes de Clichtoueo; Audi nunc alterum grauissimum uirum, & Doctorem egregium circa hanc Horam.

Luc. 9. *Matt. 27.* *Exod. 12.* *Luc. 24.*

Quid de hac Hora loquatur Rupertus. *Cap. III.*

PRæterea Rupertus Abbas hæc sentit de sæpè dicta Hora Vespertina: nempè ait: Vespere Dominus panem, & uinum assumens, & in ueritate suũ corpus, & sanguinem repræsentans, suis portatus in manibus, testamentum scribit suis hæredibus, humilitatem, scilicet, & charitatem, lauando pedes discipulorum maximè commendans. Iterumque recumbens longi solennitate sermonis, amicis, & filiolis iam moriturus ultimum Vale dixit. Item in Vespera specialiter; In uespera nihilominus apparens uiuus, habitu peregrini, cognoscitur in fractione panis; & hospitalia discipulorum corda iniecto suæ charitatis igne succendit: hæc, & alia multa ante, & post dicit in Hora Vespertina, sed nõ omnia illa huc transferre uolui, ne Lectorem tædio afficerem. Cassianus uerò ita de hac Hora ratiocinatur. De Vespertinis autem, ait ille, sacrificijs, quid dicendum est, quæ iugiter offerri etiam in veteri Testamento Lege Mosayca sanciuntur? Holocausta enim Matutina, & Sacrificia Vespertina cunctis diebus in templo, licèt figuralibus Hostijs etiam ex eo probare possimus indesinenter oblata, quod à Dauid canitur; Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum sacrificium Vespertinum: Quo in loco de illo quoque uero sacrificio Vespertino sacratius intelligi potest, quod uespere à Domino Saluatore ornantibus Apostolis tradebatur, cũ initiaret Ecclesiæ Sacrosancta mysteria, uel quod ipso die postero Sacrificium uespertinum, in fine scilicet sæculorum, eleuationem manuum suarum

Lib. 1. c. 6. De Diuin. Offic. *Matt. 26.* *Luc. 22.* *Ioan 13.* *Matt. 27.* *Luc. 24.*

pro

Digitized by Google

pro salute totius mundi oblatus est patri, quæ extensio manuum eius in patibulo, satis propriè eleuatio nuncupatur. Omnes enim nos in inferno iacentes eleuauit ad cœlos, secundum promissionis eius sententiam, dicentis: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

Cur Sancta Dei Ecclesia in hac Hora quinque cantet Psalmos. Cap. IIII.

DIcit autem in hac Hora Ecclesia quinque Psalmos, primò, propter quinque Christi vulnera, qui pro nobis obtulit Sacrificium in Vespera mundi. Secundò, ad correctionem; vt uidelicet, defleamus, & petamus ueniam peccatorum, quæ in die per quinque sensus corporis, & ad nos intrant. Tertiò, per ipsos quinque Psalmos munit se Ecclesia contra nocturnales tribulationes: hæc enim Hora insinuat fletum eorum quibus occidit Sol iustitiæ: & ita sunt Vesperæ illius; de quo dictum est: Ad Vesperam demorabitur fletus, qui durabit usque ad Matutinum, idest, quousque Sol fidelibus oriatur: qui occiderat peccatoribus, secundum quod dicitur; & ad Matutinum Lætitia. Et propter easdem etiam causas pectus quinque digitis tundimus.

Hora Vespertina, quid insinuet.
Psal. 29.

Vespertinum, & Matutinum Officium hæc duo, cur cæteris Horis in numero Psalmorum præferantur. Cap. V.

NOtandum nobis est, quod Vespertinum, Matutinumque Officium cæteris Horis in numero Psalmorum ideo præferãtur; quoniam in senaria operum distinctione Vespere, & Mane solummodo memorantur, & in ueteri Lege Matutini, & Vespertini Officij antiquitas commendatur. Vnde Psaltes: Vespere, & mane narrato, & annunciato, & cæt. *Psal 54.*

Cur in Vesperis fiat mutatio Psalmorum. Cap. VI.

SEd nec hoc omittendum est, scilicet, quod in Vesperis cantantur Psalmi secundum materiam diei; ut ecce: In septima die, scilicet, in Sabbatho, propter Resurrectionem, quæ sequitur agimus de Victoria, & laude Dei: Vnde in primo Psalmo, scilicet, Benedictus Dominus, ad literam agitur de Victoria Dauid contra Goliath: quantum uerò ad spiritualem sensum de Victoria nostra. Quia ergo post uictoriam nihil restat, nisi laudare Dominum, per quem Victoriam habemus: ideo sequuntur quatuor Psalmi, qui sunt de laude. In primo enim laudem promittit Ecclesiæ, Exaltabo te. In secundo seipsum incitat; Lauda anima mea Dominum. In tertio alios inuitat, Laudate dominum. In quarto congratulatur cœlesti Hierusalem, dicens Lauda Hierusalem Dominum, &c. & sic de alijs Ferijs, & Psalmis dicito.

Psal. 143.
Psal. 144.
Psal 145.
Psal. 146.

At

Digitized by Google

At Horatum, temporisue mutatio circa Vesperas dicendas; hoc est, quare in Quadragesima dicantur Vespere ante prandiū ferialibus diebus post nonalem Missam, hic insuper dicendum est: & quidem Dominus Archidiaconus Florentinus in cap. solent, de consecra. dist. 1. huic nostræ petitioni hanc dat responsionem, uidelicet, quoniam ieiunium Quadragesimæ maioris celebramus ad imitationem Christi: Et quia Christus ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, nihil comedens, deberemus & nos toto illo tempore ieiunare nulla die, uel hora comedentes, sicut & ipse non comedit: & quia hoc nos facere non possumus propter defectum naturæ, saltem toto die ieiunando, uolumus modo, quo possumus eum imitari: At quia instante, & urgente famis necessitate, non possumus expectare ut finiatur dies, expectamus saltem, ut Horæ diurnales finiantur, Horæ scilicet, quæ in die sunt celebrandæ, quarum ultima est Officium Vespertinum. Completorium enim, quod sequitur, licet deputetur huic diei, quasi complens ipsam, non tamen decantatur in hac die, sed post finem ipsius in principio sequentis diei: quia secundum computationem Canonicam à Vespertino tempore incipit sequens dies: sed secundum leges humanas à media nocte, quod idem uidetur: Athenienses verò ab Occasu, Babylonij ab Ortu; at Arabes à Meridie.

L. More Rom. de feriis.

Cur Psalmos sequatur Capitulum. Cap. VII.

SEd quoniam exultatio sæpe negligentiam parit: iccirco post recitatos Psalmos cantamus Capitulum, seu Lectionem, quod quæue hominem reuocat ad Cor.

Hymnus post Capitulum quid. Cap. VIII.

ESt nobis aduertendum, quod Hymnus cantatur post Lectionem ideo à nobis; quia Hymnus locum Responsorij, quod dicitur post Lectiones, obtinet: Vnde ne omnino amittamus exultationem, & gaudium, Hymnum statim post Capitulum dulciter concinimus.

Propter quid continuè in omnibus diebus cantemus Canticum Beatæ Mariæ Virginis. Cap. IX.

IDeo autem Canticum Beatæ Mariæ Virginis quotidie in Vesperis dicitur à nobis, ut frequenter Dominicæ incarnationis memoria, animas fidelium in opere Dei, & in doctrina se exercentium ad deuotionem operis incępti accendat. In Cantico enim ipso notantur cogitationes, sicut in Psalmis notantur opera. Si ergo diligenter Beatę Mariæ actus, & dicta sæpe recolimus, obseruantia castitatis & uirtus operationis semper ad ipsius orationis imitationem perseuerabūt in nobis. Nec etiam nos mouebit fauor indebitus humanus: non temporalium immoderatus appetitus; non temporalis affectio; non de impetrāda de-

Digitized by Google

da demum peccatorum venia desperatio nempe non nos mouebit fauor inhumanus: quia cum Beata Virgo commendaretur à Beata Elisabeth dicente: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me, &c. Non ipsa Virgo virginum mota fuit humano fauore, sed seruans humilitatem clamauit: Magnificat anima mea Dominum, &c. Non mouebit nos immoderatus temporalium appetitus; quia dixit Dominus: Diuites dimisit inanes, deposuit potentes de sede; non temporalis mouebit nos afflictio, Deus exaltat humiles. Vel ideo inde inoleuit consuetudo, vt in Officio Vespertino cantetur Canticum Beatæ Mariæ virginis, & potius in Vesperis, quàm in alijs Officijs. Primò, quoniam secundum Bedam in Lucam 1. in ipsa vespera mundi suo singulari assensu mundo succurrit perdito. Secundò, quia per hoc fit incarnationis in vespera mundi factæ iugis recordatio. Tertiò, quia ipsa est stella maris, quæ in huius mundi vespere nobis lucere cœpit, sicut vespera stella in initio noctis lucere incipit: De hac materia uide quæ dixi in expositione Hymni Aue maris stella &c. vt mens nostra per diem uarijs fatigata cogitationibus, imminente hora quietis, scilicet, noctis tempore, recolendo dicta Dei genitrix quicquid superfluum, uel nociuum diurna euagatio contraxerit totum hoc precibus, & lachrymis ea intercedente mundetur. Quintò, quia Virgo portauit Dominum in uespera mundi.

Luc. 1. Luc. 1. Beda in Luc. 1.

Magnificat cur cantetur in Sexta Laude. Cap. X.

RVrsus hoc Sanctissimum Canticum in Sexta cantatur Laude; quia Dominus in Sexta uenit ætate, sicut & Canticum Simeonis in septima, propter septimam ætatem quiescentium.

Mortuorum Officium, cur non habeat Secundas Vesperas. Cap. XI.

MOrtuorum Officium incipit à Vesperis, non tamen habet Secundas uesperas, ad notandum quod hoc Officium finem habebit, quando animæ saluandorum ab omni pœna liberatæ; æterna beatitudine fruentur.

Sanctorum Officium habet Primas, & Secundas Vesperas. Cap. XII.

SEd Sancti de quorum glorificatione in anima iam certa est Ecclesia, Primas, & Secundas uesperas habent. Primas enim habent pro glorificatione animæ iam percepta. Secundas pro glorificatione corporis, quam habebunt, quæ nunquam finem habebit.

SVMMA-

Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
VNDECIMÆ PARTIS
SEXTI TRACTATVS.

De Completorio.

Completorium cur institutum. *Cap. I.*

Lib. 1. c. 7. De Diuin. Offic.
Mar. 14.
Luc. 22.
Esa. 63.
Ephes. 2.
Ioan. 10.



RVPERTVS Abbas de hac Completorij Hora loquens, ait, Hora Completorij nobis illud memorat de Passione Domini, quod iam egresso Iuda pauere cœpit, & tædere, factusq; in agonia, prolixius orauit; & sanguineas guttas prostrato corpore sudauit, torcular tunc solus calcans: Et in futuro sanguinem Martyrum pro se fundendum præfigurans. Itemque illud de Resurrectione eius, quod priusquam fecerat pacem inter Deum,

Digitized by Google

Deum, & homines legatus fidelis, rediens euangelizauit nobis stās in mediò discipulorum eius, & dicens eis, Pax vobis.

Quid de hac Completorij Hora dicat post Durandum, Iudocus. Cap. II.

PОrrò de hac Sanctissima Hora fatur sic Clichtoueus, dicēs, Completorium uerò dictum putant, quod in eo compleatur Officium quotidianæ Laudis Deo ab Ecclesia exsoluendæ: quandoquidem absoluto Completorio, nullum aliud superest illius diei peragendum Orationis sacrificium. hæc ratio placet; uerumtamen senti alteram alterius uiri non spernendæ authoritatis, dicentis, quòd ideo Completorium dicitur: quia completis horis omnibus diei dicitur: Vnde hic non vult, ut hæc dictio, Completorium, ad Officium referatur, sed ad tempus diei completum; quod sumpserit nomen à Completis Horis diei: sed hæc quæstio, cum nullius sit momenti, hic finiatur. Sequitur Iudocus; celebrabatur autem & id in postremo loco in memoriam sepulturæ Domini, quæ reuerenter, & deuotè illi exhibita est cum aromatibus, & syndone munda circa illius diei terminum; quemadmodum testantur Euangelistæ. Circa eandem etiam Horam Completorij Dominus noster, deuicta morte rediuiuus discipulis in domo ob metum Iudæorum clausis ianuis apparuit, & suæ Resurrectionis testimonia certissima in ostensione manuum, & lateris, manducatione, locutione, & cæteris argumentis præbuit; ut scribit Ioannes, dicens: Cum sero esset die illo una Sabbathorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. & Rupertus, & Iudocus in fine orationis ipsi conueniunt; Audi modo Durandum, à quo Iudocus fatetur se transtulisse quæ ipse dixit.

Matt. 27.

Ioan. 20.

Quid circa hanc Completorij Horam disserat Gulielmus. Cap. III.

IN Hora Completorij, inquit Durandus, Christus orauit patrem. Eadem quoque hora sanguineas guttas sudauit: Et etiam corpus eius in sepulchro positum fuit, & custodes deputati: merito igitur in hac Hora, Ecclesia Deo Laudes, & gratias agit; illam etiam in memoriam æterni gaudij celebrat. Completo namque electorum numero, in illa complетur gaudium electorum in die generalis retributionis; & inde est, quod Completorium significet gaudium. Dicitur autem Completorium; quia in eo completur communis usus locutionis, cibi, potus, & aliorum, quæ necessario pro corporis sustentatione sumuntur; sed secundum hoc, significat finem uitæ præsentis.

Luc 2.

Nota.

Quam

Digitized by Google

Quam ob rem hoc Officium Completorij incipiat præter morem aliarum Officiorum vel aliarum Horarum. Cap. IIII.

Psal. 84. AMplius, inquit Iudocus, ipsius Completorij Officium inchoatur præter morem cęterorum ab eo Versu Psalmi octuagesimi quarti: Cōuerte nos Deus salutaris noster, & auerte iram tuam à nobis, ut per illum in fronte huius Completoriæ orationis, petamus à Deo, si in diurnis actibus (qui iam propemodum sunt transacti, & completi) ab eo sumus auersi per culpam, & cogitatu maligno, uerbo, aut opere ipsum in die offendimus, nos iterum ad se conuertat; animum nostrum sęcularibus distractum curis, ac terrenis occupatum negocijs ad se reuocet, & colligat, iramque suam, quam prò commissis in die peccatis meremur, à nobis benignus auertat, ac amoueat.

Vt quid post Conuerte nos Deus salutaris noster, &c. dicimus Deus in adiutorium meum intende Domine ad adiuuandum. &c. Cap. V.

DIximus suprà rogantes Deum, ut auertat faciem eius à peccatis nostris; & non secundum peccata nostra faciat nobis Deus: & ne in furore suo arguat nos; sed misereatur nostri, peccataq; nostra per pęnitentiam dissimulet nostram: quia post hac non curabimus peccare, imo nunc succlamamus, Deus in adiutorium meum intẽde: Domine ad adiuuandum me festina: ut quod suprà diximus: Conuerte nos Deus, referatur ad facta, & præterita peccata tollenda: At Deus in adiutorium meum intende, ad bona opera futura facienda, quia sine adiutorio Dei quicquam boni facere non ualemus.

Gloria Patri, cur post prædicta succlamemus. Cap. VI.

QVia uerò id omne, quod agimus, totum ad Laudem Sanctissimæ, & indiuiduæ Trinitatis faciendum est; ideo sequitur Gloria Patri, & Filio, & Spirituisancto.

Cur quatuor dicantur, in hac Hora Completorij, Psalmi. Cap. VII.

De celeb. Miss. c. In quadam. DIcuntur autem quatuor Psalmi in Completorio ad obtinendam remissionem peccatorum, quę cōmittimus dum sumus in hoc corpore ex quatuor elementis, & ex quatuor humoribus, uel complexionibus composito: seu quia corpus ipsum ex his compositum contra pericula, & phantasmata noctis munimus, & Deo commendamus; ideoque tunc dicitur: In manus tuas Domine commendo spiritũ meum: & custodi nos.

Psalmus

Digitized by Google

Psalmus, Qui habitat in adiutorio, &c. propter quid dicatur. Cap. VIII.

DIcitur, inquam, Psalmus, Qui habitat in adiutorio altissimi, quia in eo promittit Deus liberare Ecclesiam à fure; hoc est à Diabolo, nocte incedente, & ideo nocte imminente dicimus illum: ut liberemur à quatuor tentationibus, scilicet, à timore nocturno, à sagitta uolante in die, à negocio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio Meridiano, idest, incurrente dæmonio.

Cur Psalmus, In te Domine speraui: qui est Secundus in hac Hora habeat tantum sex Versus. Cap. IX.

AMplius Psalmus Secundus huius Horæ, ideo sex tantummodo habet hic Versus, quoniam Dominus dicendo Sextum Versum, uidelicet; In manus tuas Domine commendo spiritum meum, sexta ætate, sexto die in carne obiit. Rectè ergo sex Versus tantũ habet, eundemq; Psalmum in Completorio cantamus ut in hac sexta ætate, in qua per eum redẽpti sumus (sicut habet finis ultimi uersus ibi) redemisti me Domine, Deus ueritatis, confortemur dormitione eius, ut scilicet mẽbra quiescant, & cor uigilet, sicut caro eius in sepulchro quieuit, & diuinitas vigilauit. Vel Psalmus Secundus ideo sex hic constat Versibus, quia dicitur Christum in Cruce pendentem incępisse illum Psalmum: Deus Deus meus: & omnes Psalmos sequentes seriatim usque ad dictum Versum dixisse, & ibi finiuisse, & spiritum emisisse. *Psal. 21.*

Cur in hac Hora postponatur Psalmis Hymnus. Cap. X.

NOtandum est autem, quod post Psalmos statim dicitur Hymnus, ea forte ratione: quoniam per bonam operationem peruenitur ad exultationem.

Hymnus huius Horæ cur inuariabilis sit. Cap. XI.

POrrò Hymnus huius Horæ ideo est inuariabilis, quoniam in illo petimus liberari à phantasmatibus, qua liberatione semper egemus: ideo illum semper in Completorio recitamus.

Canticum Simeonis cur in Completorio cantemus. Cap. XII.

CAnimus autem in hac Hora Canticum Simeonis, scilicet, Nunc dimittis, &c. quod est Lucæ; ut illius exemplo pacem inuenientes, mereamur uidere lumen, quod est Christus. *Luc. 2.*

Q Cur

Digitized by Google

Cur Cantica Euangelica & in Laudibus, & in Vesperis, & in Completorio dicantur. Cap. XIII.

HOc etiam non est silentio prætereundum, quod ideo in hac Hora, immo & in Laudibus matutinis, & in Vesperis, non autem in alijs Horis Cantica Euangelica concinimus: quia hæ horæ tres prædictæ pertinent ad octauam, idest, ad Dñi Resurrectionem: quia mane (iuxta illud, Exurgam diluculo) surrexit. In Vespere se discipulis manifestauit. In Completorio Discipulis ait: Pax vobis.

Mar. 16. Luc 24 Ioan 20.

Preces cur dicantur in Completorio. Cap. XIIII.

POst hæc dicuntur preces; quibus etiam contra noctis phantasmata nos munimus. Subijcitur etiam Symbolum, in quo nostræ fidei professio continetur, ut si fortè nos mori contigerit, in confessione fidei moriamur, propter quod autem symbolum Apostolorum in hac Hora Completorij dicamus, supra dictum est.

Nota ad quid dicat Credo in Completorio.

Quare faciamus in hac Hora Confessionem. Cap. XV.

QVod prius debebamus dicere, non tedeat nunc audire; si quidem fit in hac Hora (sicut etiam in Hora Prima generalis Confessio) quia alterna uoce nos emendamus inuicem: iuxta illud, Confitemini alterutrum peccata uestra; ne demus requiem temporibus nostris; donec inueniamus locum Domino.

Psal. 131.

Regina cœli, vel alia huiusmodi Antiphona quomodo in usu esse cęperit. Cap. XVI.

NOuissimo loco notandum est, quod cum olim in Alma Vrbe esset magna aeris pestilentia; Beatus Gregorius tempore Paschali ordinauit, ut Imago Beatæ Mariæ Virginis, quæ in Ecclesia Sanctę Mariæ in Ara cœli seruatur, quam Beatus Lucas pinxisse dicitur, processionaliter portaretur, & dum ante processionem reuerenter portaretur: Ecce tota aeris infectio, & turbulentia cedebat imagini fugiens: Tunc autem iuxta imaginem auditæ tres uoces dicuntur Angelorum canentium; Regina cæli lætare alleluia: Quia quem meruisti portare alleluia, Resurrexit sicut dixit alleluia. Statimque Beatus Gregorius adiunxit: Ora pro nobis Deum alleluia. Quæ Antiphona ideo frequentatur hoc tempore Paschali. & dum hanc recitamus Antiphonam, non curuamus genua, nec in totis etiam Pētecostes diebus in orationibus: quoniam in ipsis diebus inquit Cassianus collat. 21. cap. 20. nec genua curuantur; quia inflexio genuum uelut pœnitentiæ ac luctus indicium est. Cæteræ Antiphonę huiusmodi, quę in fine Officij solent, secundum exigentiam temporum, uel Aduentus, uel Pentecostes, & reliquorum, genibus flexis dici, fortè ex hac Beati Gregorij institutione sumpserunt exordium, & in Ecclesijs Dei post finem Officij concini.

Cass. Coll. 21 c. 21.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIA

SINGVLORVM CAPITVLORVM DVODECIMÆ PARTIS SEXTI TRACTATVS

Digitized by Google

24 *Quid aqua benedicta, quidque Thus cadaueribus prosit.*
25 *Psalmi Graduales, ut quid frequêtentur in Quadragesima, & cur dicantur & sint quindecim.*
26 *Psalmi pœnitentiales, cur recitentur à nobis in Quadragesima in die Veneris.*

De Sanctorum Festiuitatibus.

Sanctorum festa quibus de causis Ecclesia celebret. Cap. I.



POST quam de Diuinis Officijs in genere, atq; Dominicis, & festiuitatibus ad Dñm pertinentibus in specie præmisimus, nunc haud inutile erit, ut de Officijs festiuitatum Sanctorũ aliqua in hac decima parte, seu Tractatu subiiciamus. Sanè Ecclesia Sanctorũ festa multis de causis celebrat. Primò, ut eis uicẽ rependamus, quia celebrant festũ de nobis: qm̃ gaudium est in cœlo Angelis Dei, & animabus Sanctis super uno peccatore pœnitentiam agente. Secundò, quia eos honorãdo, rẽ nostrã agimus: nam eorũ festiuitas nostra est. Vnde Apostolus: Omnia nostra sunt; nos autem Christi: Charitas enim oĩa communia esse facit. Tertiò, ut habeamus eos intercessores pro nobis apud Dñm: unde legitur, quod Bersabeæ, quæ interpretatur puteus facientis, idest Ecclesia triumphãs, impetrauit filio suo regnum. Quartò, ut eos imitemur, per eorũ enim exempla ad eorũ imitationẽ prouocamur. Quintò, propter augmentũ nostræ securitatis, & spei subleuationem: si enim hoĩes huius mundi mortales, & nobis similes potuerunt ita per sua merita sublimari, & nos similiter poterimus: qm̃ manus Domini nõ est abbreuiata. Sextò, propter honorem diuinæ maiestatis, quam (illos honorando) in eis honoramus; & mirabilem p̃dicamus eum, qui ipsos sanctificauit. Septimò, quia Sãctorũ dies, & anniuersaria in eorũ honorẽ nobis ad memoriam reducitur, propter nostram utilitatem, qm̃ in eis honoramus Deũ: ipsi nãq;, cum sint perfectè beati, orationibus non indigent; quia eis ad uotũ omnia succedunt: immo iniuriam facit martyri, qui pro martyre, orat.

Luc. 15. Dist. 1. c. quia tua.

1. Cor. 3.

Isa. 59.

De celebr. missa. c. cum Martha.

Quotuplex sit differentia Sanctorum. Cap. II.

EST autem quadruplex differentia Sanctorum noui testamẽti, quos per anni circulum colimus: Sunt enim Apostoli, Martyres, Confessores, & Virgines: Et hi per quatuor mundi partes significantur: per Orientem Apostoli: per Meridiem Martyres: per Aquilonem Confessores, per Occidentem Virgines. Sed hodie Sancta Romana Ecclesia ponit & quintam differentiam Sanctorum, nempe sanctarum mulierum.

Digitized by Google

Vtrum alicui Sanctorum Latriam: vel Sacrificium debeamus. Cap. III.

SEd est aduertendum, quod nulli Sanctorum Latriam, uel sacrificium debemus; sicut enim festiuitates Sanctorum celebrandæ sunt, & in eorum memoriam altaria construenda, nulli tamen eorum, vel Angelis, sed soli Deo sacrificare debemus. Nemo enim antistitum in locis Sanctorum corporum adsistens altari dixit: Offerimus tibi Petre, & Paule, ac Cypriane, sed Deo offertur; de illorum victorijs gratias agens, eorumque patrocinia implorat, vt ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. *Cōc. Trid. Sess. 22. c. 3.*

Quæ festiuitates celebrentur per annum. Cap. IIII.

QVæ autem festiuitates celebrandæ sint per totum annum, patet ex Concilio Lugdunensi; in quo sic statutum est; Dies Dominici feriandi sunt à Vespera in Vesperam. Item festum Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Ioannis Euangelistæ, Innocentium, Sancti Syluestri, Circuncisio, Theophaniæ, siue Epiphaniæ, Pascha cum tota præcedenti, & sequenti Hebdomadibus, Rogationes cum tribus diebus, Ascensio Domini, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, Sancti Ioannis Baptistæ, duodecim Apostolorum, Sancti Laurentij, Festiuitates Beatæ Mariæ: omnes dies Dominici, Dedicatio Sancti Michaelis, Dedicatio cuiuslibet Oratorij; Festum omnium Sanctorum, Sancti Martini. Et illæ Festiuitates, scilicet Sanctorum canonizatorum; quas singuli Episcopi in suis Ecclesijs cum clero, & populo, decreuerint celebrandas. Reliquas verò Festiuitates per annum non sunt cogendi ad feriandum populi, nec prohibendi. *De conse. dist. 3. c. 1. De fer. c. fin.*

Cur tempore Paschali non celebremus festa Sanctorum, qui cum Christo surrexerunt, vel cum eo cœlos ascenderunt. Cap. V.

SEd quæritur quare in tempore Paschali non celebremus Festa Sanctorum Veteris testamenti, qui cum Christo surrexerunt, uel cum eo cœlos ascenderunt debemus enim de illorum glorificatione gaudere, & solennizare, sicut & de aliis Sanctis, cum certi simus eos cœlos ascendisse? Respon. Quod ideo non solennizamus Festa prædictorum, quoniam ad inferos descenderunt: solennizamus enim Sanctorum natalitia, quando uidelicet cœlo nati sunt, non quando inferno. Potest etiam dici, quòd de glorificatione eorum in anima in Pascha, vel saltem in Ascensione festare debemus. Sed non possumus, propter authoritatem Officiorum illorum dierum: obūbra- *De pœnit. dist. 1. c. sicut primi. Nota.*

Digitized by Google

retur enim solennitas illorum authoritate maioris solennitatis: Quoniam ueniente Principe, cessat Magistratus. Vel in dedicatione Ecclesiæ, in qua nouem Lectiones dicuntur, fit festum de illis, sicut & festum Sancti Ioannis fit ad finem Augusti: qui tamen circa Pascha mortuus fuit, & festum Beati Iacobi Compostellæ in Iulio, qui tamen fuit tempore Paschali occisus. Veruntamen festa Sanctorum Veteris Testamenti, ut Abraham, Isaac, Dauid, Daniel, & aliorum per Græciam, & apud Venetias coli dicuntur, & ibi habere Ecclesias.

Octauæ Sanctorum cur celebrentur. Cap. VI.

De octauis Sanctorũ. Glo. in § 2. Inst. De ingenuis.

SAnè octauæ Sanctorum ideo celebrantur: quia sicut primus dies significat natiuitatem eorum, scilicet, qualiter nascuntur cœlo, & in societatem, & Sanctorum Patrum, quando animæ eorum à corporibus separantur; ita in octauis recolentes Resurrectionem corporum congratulamur Resurrectioni eorum.

Purificatio Beatæ Mariæ Virginis cur careat octauis. Cap. VII.

FEstum autem Purificationis ideo octauis caret. (ferè enim semper festa Beatæ Mariæ Virginis cum octauis celebrantur) quoniam licèt Christus legaliter fuerit præsentatus in templo, nullus tamen Doctor nos coarctat, & infantes die Quadragesima Natiuitatis eorum præsentari in templo: Vnde sicut præsentatio puerorum ad templum secundũ ueterem ritum defecit: (quia hodie fit in baptismo) ita & huius festi Purificationis octaua.

Nota.

Ad quid quatuor adinuenta sint festa principalia Beatæ Mariæ Virginis. Cap. VIII.

De pœnit. & remiss.

INter cunctos Sanctos, Dei genitrix Virgo Maria primatum obtinet, utpote, quæ est Sanctis dignior, & excellentior uniuersis, in cuius honore Ecclesia in quatuor anni temporibus quatuor solennes celebrat festiuitates, uidelicet Annunciationem, Assumptionem, Natiuitatem, & Purificationem; Omni enim tempore ipsam in memoria habere debemus, quæ omni tempore ad filium suum pro nobis peccatoribus intercedit. Hæ autem quatuor festiuitates fiunt secundum quatuor benedictiones, quæ in ipsius Virginis Salutatione continentur. Prima est: Aue Maria gratia plena; quæ primæ festiuitati competit, scilicet, Annunciationi, quando uidelicet eam Angelus salutauit, de Spiritusancto concepit, facta gratia plena. Secunda est, Dominus tecum: quæ competit Assumptioni, quando uidelicet assumpta est in cœlum: quia tunc fuit cum Domino suo, idest, filio, ut est Dominus; ante enim non uiderat Dominum ita manifeste in se. Tertia benedictio est: Benedicta tu in mulieribus; quæ competit Natiuitati, quia

tunc

tunc nata est mulier in utero sanctificata. Quarta benedictio est: Benedictus fructus uentris tui, quæ congruit quartæ festiuitati, scilicet, Purificationi: quia tunc obtulit illum benedictum fructum in templo, de quo fructu uide, quæ dixi in expositione primi Hymni festi Corporis Christi.

Officium Beatæ Mariæ Virginis an dicendum sit ex obligatione, vel ex consuetudine. Cap. IX.

SEd roget hic aliquis dicens: quis tenetur dicere hoc Officium Beatæ Mariæ Virginis? Ad hoc respondemus, quod ad hoc Officium Beatæ Mariæ Virginis quando regulariter dicitur in Choro, omnes clerici beneficiati, & in sacris constituti ex consuetudine Ecclesiæ tenentur: quæ consuetudo ad præceptum obligat: sicut ad aliud Officium. Secus quando non dicitur in choro; licet bonum sit, ut priuatè tunc dicatur.

Cur tria Festa Petri Archiapostoli fiant in anno. Cap. X.

CElebrantur tria festa Principis Apostolorum in anno, uidelicet, festum Cathedræ Romæ: festum ad Vincula, & festum Passionis, propter multas eius prerogatiuas: primo propter priuilegium: fuit enim præ aliis priuilegiatus; & ideo magis celebratur in authoritate; nam fuit Princeps Apostolorum: & claues regni cœlorum accepit. Secundo propter Officium ipse enim Officium prelationis super uniuersam Ecclesiam habuit. Tertiò propter beneficium, quia ipse, qui potestatem ligandi, atque soluendi habuit, liberat nos à tribus generibus peccatorum; scilicet cogitationis, locutionis, operationis.

Petri Apostoli tria sunt festa.

Matt. 16. & 17.

Cur potius Pauli Conuersio, quam aliorum Sanctorum celebretur. Cap. XI.

PAuli autem Conuersio potius, quam aliorum Sanctorum celebratur ab Ecclesia. Primò, propter exemplum, ne quisque quantumcumque peccator, desperet de uenia, quando tantum in culpa conspicit postmodum talem in gratia fuisse. Secundò, propter gaudium; sicut enim Ecclesia magnam habuit tristitiam in eius persecutione, ita maximam habuit letitiam in eius conuersione. Tertiò, propter miraculum, quod Dominus in eo ostendit, dum de seuissimo Persecutore, fecit fidelissimum Predicatorem.

Act. 6.
Act. 9.

Digitized by Google

Cur Ioannis Baptista Festum duplex faciat Ecclesia. *Cap. XII.*

Matt. 11. QVoniam inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista, meritò Ecclesia celebrat festum de illo, & facit ei duplex Officium, scilicet, Natiuitatis, & Decollationis, celebrat autem eius Natiuitatem propter Historiam, quoniam ipsa per Dominum de eo dicit per Angelum, & multi in Natiuitate eius gaudebunt: quod etiam propter Sarracenos dictum est, qui hoc festum celebrare dicuntur. Secundò propter allegoriam, & mysterium, quia per Ioannem figuratus est ortus gratiæ, quam nobis attulit Christus. ipsum enim Ioannes præcessit in Annunciatione, in Natiuitate, & Prædicatione, & ad inferos descensione. Tertio sicut Beata Virgo sanctificata fuit in utero matris, ita & ipse.

Festum Omnium Sanctorum quibus de causis fuerit institutum. *Cap. XIII.*

OMnium autem Sanctorum festum institutum fuit tribus de causis: Primò, propter omissorum festorum suppletionem, non enim propter ipsorum multitudinem de omnibus specialiter festare valemus. Secundò, propter negligentiam in festis, quæ celebrauimus. Tertiò, propter faciliorem orationum nostrarum impetrationem: facilius enim, quod petimus obtinebimus, si simul omnes intercedant pro nobis: quia impossibile est ferè, multitudinem non exaudiri.

Angelorum Festum cur faciat Ecclesia. *Cap. XIIII.*

ECclesia autem Angelorum festum facit duplici de causa. Prima, quia nobis ministrant: omnes enim sunt administratorij Spiritus Hebr. 1. in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Secunda ratio, quia pugnant pro nobis contra Angelos malos, nec permittunt nos tentari suprà id quod possumus: Vnde dicitur, Factum est Nota. Apoc. 12. prælium in cęlo, Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone: Huius enim belli princeps est Beatissimus Michael, & ideo fit ei festum: & quia eorum, qui mittuntur, princeps est Michael, qui fuit princeps Ecclesiæ Iudæorum, modo est princeps Ecclesiæ Christianorum.

Festum Angelorum unde originem sumpserit. *Cap. XV.*

HOc autem festum, quod est commemoratio Victoriæ Sancti Michaelis, inde originem sumpsit: quia cum Barbari depopularentur Apuliam, Christiani triduano ieiunio indicto Sancti Michaelis auxilium

lium implorauerunt, per cuius uisibile patrocinium fugam Barbari dederunt, & Christiani uictoriam habuerunt. Vocatur etiam festum reuelationis; quia in monte Gargano reuelatus est; de quo uide aliquid in expositione Hymni Primi Quadragesimæ, qui incipit; Ex more docti mystico.

Mortuorum Officium cur institutum. Cap. XVI.

MOrtuorum autem Officium institutum ob id dicimus: quod ipsi sunt in statu, ubi satis patiuntur, & ipsi per se non possunt opera ac spiritualia per semetipsos habere nequeunt, ideo nostris orationibus cunimur illis suffragari: unde quemadmodum ille, qui est in carcere positus, non potest seipsum liberare, & absoluere, & negocia sua expedire per seipsum: ut ambulando, petendo consiliū, iuribus, uel exceptionibus utendo, uel non potest soluere, quia non est soluendo, & pauper; & nihilo minus ualet ab altero extra carcerem posito liberari: puta soluendo pro eo: uel agendo id, quod ad eius absolutionem est necessarium; ita spiritibus defunctorum per Missarum celebrationem, aliorumque diuinorum persolutionem, precesque Sacerdotum institutum est subueniri, eosque adiuuari, ac liberari posse. *De Consec. dist. 2. cap. visum pret.*

Hoc Officium pro spiritibus mortuorum unde sumpserit exordium. Cap. XVII.

PReterea hoc Officium mortuorum initium habuit ex ueteri Lege; mortuo enim Iacob, Ioseph, & alij fratres sui cum multis Ægyptijs attulerunt eum in Ebron, sed prius fleuerunt septuaginta diebus in Ægypto; & postea fleuerunt septem diebus in Arca Achad. Item legitur, quod mortuo Mose, fleuit populus Israel 30. diebus, & similiter fecerunt de Aaron. Item dicit Salomon; luctus filij sapientis mortui septem diebus; luctus filij stulti sempiternus: ideo in æternum morietur. *Genes. 50.* *Deut. ult.* *Num. 20.* *Eccles. 22.*

Mortuorum officium unde incipiat. Cap. XVIII.

ILlud quoque notandum est, quod Officium mortuorum incipit à uesperis: postea sequuntur uigiliæ, in quibus ut clarè patet in eodem Officio, leguntur nouem Lectiones de Iob, incipientes. Parce mi Domine: sed sine Iube Domne benedicere, & sine: Tu autem Domine miserere nobis. Hoc tamen Officium non habet Secundas Vesperas, propter illam causam, quam recitauimus supra in Tractatu Octauo, in quæstione undecima, nempè: quia hoc Officium finem habebit quando animæ saluandorum, ab omni pœna liberatæ, æterna beatitudine fruentur. *Mortuorū officiū cur non admittat secundas vesperas.*

Cur in

Cur in principio huius Spirituum mortuorum Officij non dicamus, Domine labia mea aperies; nec Deus in adiutorium meum intende; nec Benedicamus Domino: nec Gloria Patri, &c.
Cap. XIX.

SEd hoc quoque haud omittendum est, quod hoc mortuorum Officium, sine Domine labia mea aperies, in principio, & sine Deus in adiutorium meum intende, & sine Benedicamus Domino, ac denique sine Gloria Patri dicimus: quoniam hoc officium imitatur triduanam Christi sepulturam; sicut enim in illo triduo, ita & in hoc Officio omnia laudis cantica subticemus, & solennitates quaslibet subtrahimus.

Cur Officium mortuorum potius Feria Secunda celebretur, quam alijs diebus. Cap. XX.

ESt item nobis animaduertendum, quod hoc salubre mortuis Officium in Aduentu Domini, & Quadragesima multum in die Lunę potius exsoluitur, quam in cæteris diebus: quoniam (ut dicunt quidam) in Prima Hora refrigerium habent illi, qui sunt in Purgatorio; & statim in Secunda feria redeunt ad pœnas, & laborem; ut igitur eorum subueniatur laboribus, Officium pro illis; atque Missa sæpe in Secunda feria persoluitur celebraturque.

Dur. lib. 4. c. 1. nu. 29.

Mortui an sciant de suffragijs, quæ pro ipsis fiunt. Cap. XXI.

SAnè Defuncti sciunt de suffragijs, quæ pro eis fiunt tribus modis, secundum Augustinum; Primò, per diuinam reuelationem, quando scilicet, Deus eis reuelat. Secundò, per bonorum Angelorum manifestationem: Angeli enim, qui hic semper nobiscum adsunt; & omnes actus nostros considerant, quasi in instanti possunt ad eos descendere, & eis protinus nunciare. Tertiò, per animarum hinc exeuntium intimationem. Adde & quartum, per experientiam, cum videlicet, se à pœnis sentiunt releuari.

Augu. in c. fatendum, 13. q. 2.

Suffragia eius, qui propter mortale peccatum in charitate non est, an prosint ei, qui in charitate decessit. Cap. XXII.

SI quærimus utrum suffragia per eum, qui est mortali irretitus peccato, defunctis facta, ualeant, & prosint ei, qui decessit, existens in statu gratiæ, poterimus respondere; quod opera quidem Sacramentalia, puta Missa, Officium mortuorum, Collectæ, & similia per talem facta, benè valent, & defuncto prosunt: quia illa ab operante non

te non habente efficaciam: sed à Deo, tum quia ille non proprio nomine: sed quasi sindicus totius Ecclesiæ, & omnium nomine hoc agit. Si uerò tanquã persona priuata alia suffragia facit, aut hoc agit alieno nomine, aut suo proprio: si alieno, ut quia defuncti, seu alterius in charitate existentis iussu: de illius bonis eleemosinam tanquam minister pro eo facit, tunc quidem illi prodest: quoniam is intelligitur facere, cuius mandato fecit: & qui mandat solui, ipse soluere uidetur. Hinc est, quod peregrinationis uotum ab uno emissum, alter eius iussu exequi potest. Si uerò priuato nomine, & de proprio quis pro illo eleemosinam dat, uel orat, uel ieiunat, uel aliter se affligit, quasi communiter dicunt Theologi, quod talia in nullo prosunt: nam legimus: Scimus, quia peccatores non exaudit Deus: sed illud cæci, & non Euangelistæ fuit uerbum: cum multiplicaueritis orationes non exaudiam.

De sentét. excō. Mulieres. ff. sol. matr. l. qui mandato. De uoto et uoti. Ioan. 9. Esa. 1.

Anniuersarium si contigerit celebrari in die Dominica, quid agendum. Cap. XXIII.

SI autem anniuersarium Mortuorum contigerit in die Dominica celebrari, uel in aliqua solennitate, non debet mutari ad sequentem diem, prout fit in festis Sanctorum, sed fiat in die præcedenti, ut citius occurramus pœnis defunctorum, quas in purgatorio sustinent, defuncti enim nostro indigent auxilio, & beneficio: sed non Sancti.

Nota.

Quid aqua benedicta, quidq́; Thus Cadaueribus prosit. Cap. XXIIII.

ASperguntur autem cadauera fidelium aqua benedicta, quoniam aqua benedicta expellit Dæmones, qui eam ualde timent, ne ad corpus eorum accedant: solent namque multum desæuire in corpora mortuorum, ut quod nequiuerunt in uita, saltem post mortem agant. Thus uerò ad ea adhibetur propter fœtorem corporis remouendum; seu ut defunctus Creatori suo acceptabilem bonorũ operum odorem intelligatur obtulisse, seu ad ostendendum, quod defunctis prosit auxilium orationis.

Psalmi Graduales, ut quid frequententur in Quadragesima, & cur dicantur, & sint quindecim. Cap. XXV.

POst quam diximus suprà, cur mortuorum Officium in die Lunæ in Quadragesima multum frequentetur, rationemque cur potius in die Lunæ, quàm in cæteris diebus adduximus: Roget forsan modo aliquis, cur Psalmi Graduales in die Mercurij recitentur per Sacerdotes, & quamobrem quindecim ipsi sint; ad cuius petitionem multo plura forent ei dicenda, quàm dicturus sum: sed quoniam supra pollici-

Eodẽ trac. q. 19.

pollicitus sum, multitudinem eorum, quæ ab alijs dicuntur circa ea, quæ tractare ego decreui, in compendium, ac epitomen redigere: ob id in responsione ero breuitatis amator. Attende igitur prudens Lector; & ego præuio Domini nostri Iesu Christi fauore dicam. Thalmudistæ dicunt, quod quando Salomon fodit fundamenta Templi, tanta abundantia aquæ incæpit emanare, quod videret velle quasi submergere totã ciuitatem Hierusalem, sed tũc Achitophel vir prudens scripsit semiforas, idest, nomen tetragrammaton in testa ollæ, & misit in aquam, adiurando eam, vt retro caderet, & sic aqua descendit versus centrum terræ per sexdecim millia stadiorum, sed tunc dixerunt Sapientes, quod hoc cedebat in maximum damnum Ciuitatis, quod aqua ita esset profunda pro puteis fodiendis, sed tunc Achitophel iterum scripsit nomen semiforas in alia testa ollæ, & misit in aliud profundum, adiurando aquam, ut ascenderet per quindecim millia stadiorum, quod sic factum fuit. Et tunc Salomon fecit fundamenta templi in memoriam illorum quindecim millium stadiorum, quibus aqua ascenderet de abysso; & sic dicunt Thalmudistæ, quod Salomon præcepit cantari hos quindecim Psalmos in ascensu illorum quindecim graduum, in memoriam illius magni miraculi. Sed quantum ista positio sit ficta, & friuola & irrisoria, & in se concludens mendacium, & contradictionem, cuilibet iudicio benè disposito potest patere: & ideo aliter dicendum est, nempè quod tota ædificatio, & dispositio Hierusalem & illius templi fuit figura Christi, & Ecclesiæ Militantis, & ex consequenti Ecclesiæ triumphantis; & ideo antequam ædificaretur fuit tradita ipsi Dauid à Spiritu sancto descriptio, & exemplar totius Templi, & Tabernaculi, in qua intellexit omnia, quæ ibi erant descripta, & figurata, ut patet 1. Paralipo. 18. Et ideo sicut ordinauit Dauid, ita Salomon ędificauit Templum in monte Moria cum ascensu quindecim graduum secundum exemplar templi sibi traditum. Ad cuius intelligentiam est notandum, quod Adam duo damna generalia incurrit per peccatum: Nam Primò, cecidit à dignitate, & fęlicitate in qua erat de præsenti, & à culmine Gloriæ cęlestis sibi promissę si stetisset. Secundò, fuit exul, & relegatus ab illo in Paradiso terrestri, & factus peregrinus cum tota sua posteritate per hunc mundum miserabilem: & ideo non potest redire ad patriam, à qua expulsus est, nisi peregrinando, & ambulando in Lege Domini, ab ea non deuiãdo, usquequo perueniat per Christum ad Hierusalem, quam perdiderat: & ad templum Gloriæ vnde cecidit. Sed cum peruenerit, & perductus fuerit ad vitæ suæ terminum, obseruando Legem, adhuc restat, vt ascendat per quindecim gradus uirtutum vsque ad templum Gloriæ, à qua cecidit, & quam per peccatũ amisit: & ideo sicut Dauid fecit Psalmum, Beati immaculati in via, qui ambulant &c. in quo denotatur tota peregrinatio huius mundi, in quo homo mysticus peregrinatur ab Adam, vsque ad Christum, & à Christo usque ad ultimum iudicium, siue finem uitæ cuiuslibet hominis: Ita pariter Dauid fecit hos quindecim Psalmos pro ascensu quindecim graduum Templi, per quos denotatur, & memorantur quindecim gradus uirtutum,

Thalmudistæ. *Nota.* *Paral. 18.*

fine quibus nemo poteſt in cœlum aſcendere, nec Gloriam amiſſam recuperare: oportet ergo per gradus, & merita uirtutum aſcendere in cœlum: & hæc figurabantur per peregrinationem Iudæorum, qui erant in diſperſione: nam ueniebant de Græcia, & de Italia, & de Ægypto, & de cæteris partibus mundi ad feſtum Hieruſalem, & dum peregrinabātur per itinera dicebant Pſalmum, Beati immaculati in via: qui ambulant, &c. & hoc per totum iter, ſed poſtea in aſcenſu templi dicebant hos quindecim Pſalmos; unum in quolibet gradu per ordinem procedendo: ſed omnia illis cōtingebant in figura: vnde per totum ſpacium itineris prædicti à domibus ſuis uſque ad portas Hieruſalem ſignificabant totum diſcurſum Legis Euangelicæ, & fidelium, qui peregrinantur in Hieruſalem, uel in Eccleſia Chriſti. Sed aſcenſus graduum Templi figurabat aſcenſum in Gloriam cœleſtem: Et ideo fecit Dauid hos quindecim Pſalmos appropriatos his quindecim gradib. Templi, ſecundum ordinem virtutum. Nam primus gradus appropriatur primo gradui virtutum, qui eſt receſſus à mundanis. Vltimus memorat ultimum gradum virtutum, qui eſt in quiete laudare Deum: & etiam dicit perfectionem Gloriæ, quæ eſt iam in patria inceſſanter Deum glorificare, & benedicere; & ideo ultimus Pſalmus dicit: Ecce nunc benedicite Dominum; & ſic prudens Lector per ordinem uirtutum poteſt facere diuiſionem iſtorum quindecim Pſalmorum: Et quoniam iſti quindecim Pſalmi poſſunt exponi tribus alijs modis, Myſtice nempè, Prophetice, & Moraliter; ideo Sancta Mater Eccleſia omnibus iſtis tribus modis intendit cantare iſtos quindecim Pſalmos ſiue quindecim gradus: Primò, pro Apoſtolis, & Diſcipulis, quia aſcenderunt à Synagoga in Eccleſiam, & Templum Chriſti relictis Legalibus. Secundò, pro omnibus fidelibus à peccato aſcendentibus in ſtatum gratiæ. Tertiò, pro uiris Sanctis, & contemplatiuis aſcendentibus à terrenis curis ad contemplationem ſpiritualium; & ideo in diebus Ferialibus olim Quadrageſimæ dicebantur quotidiè, ſed hodie in die tantum Mercurij; hoc eſt in Feria quarta, ne nimium laſſemur, exſoluuntur; & facit tres Sancta Eccleſia quinarios ex his quindecim Pſalmis. Et Primum quinarium dicit pro defunctis, qui ſunt in Purgatorio, ut abſoluti à pœnis, cito aſcendant in cœlum; & ideo dicit orationem Abſolue. Secundum quinarium dicit pro Pœnitentibus, ut aſcendant à peccato in Gratiam per Pœnitentiam, & ideo dicit orationem; Deus cui proprium eſt. Tertium quinarium dicit pro iuſtis, & contemplatiuis, ut conſeruentur in Gratia, & proficiant in uirtutibus uſquequò perueniant ad Gloriam: ideo dicit orationem; Prætende Domine famulis tuis, & famulabus tuis, &c. Vel dicuntur Pſalmi Graduales, qui ſunt quindecim, quoniam ſecundum Caſſiodorum, ſeptenarius numerus ſignificat Hebdomadam propter Sabbathum Veteris Teſtamenti: Octonarius uerò numerus Dominicum diem, in quo Dominum reſurrexiſſe manifeſtum eſt: quod ad Nouum pertinet Teſtamentum; ideo,

Ratio quare canat Eccleſia Pſalmos quindecim Graduales

Alia ratio.

ideo, & septem inquit Durandus, in rationali, & octo Psalmos illos recitamus, vt ostendamus, quod vtriusque Testamenti præcepta obseruare debeamus. Vltimo aduerte, quod quemadmodum Sancta Ecclesia totum Psalmum, scilicet Beati immaculati in via, qui ambulant. &c. dicit ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam pro peregrinantibus in mundo; ita pariter ad omnes Horas Beatæ Mariæ Virginis dicit hos quindecim Psalmos, eo quod Beata Maria Virgo per hos quindecim gradus uirtutum meruit ascendere super Choros Angelorum ad cœlestia Regna.


Psalmus Beati immaculati, cur ad Primam dicatur.

Psal. Graduales cur dicãtur in Officio B. M. Virg.

Septem Psalmi Pœnitentiales cur recitentur à nobis in Quadragesima in die Veneris. Cap. XXVI.

QVoniam verò homo sæpenumero cadit, & ægrotat, ob id à Sancta nostra Matre Ecclesia nobis septem Psalmi Pœnitentiales, velut competens medicina, prçstantur; Inde enim animarum nostrarum saluberrima lauacra suscepimus; inde peccatis mortui, reuiuiscimus; inde lugentes ad æterna gaudia peruenimus. Pœnitentium autem Primus Psalmus, Sextus est à Primo; sequitur deinde trigesimusprimus, & trigesimusseptimus, quinquagesimus, centesimusprimus, centesimusuigesimusnonus, centesimusquadragesimussecundus. Non autem credas incassum ad septenarium numerum fuisse hos Pœnitentium Psalmos perductos: quando & maiores nostri, inquit Cassiod. septem modis peccata nobis dimitti posse dixerunt: primo per Baptismum; secundo per passionem martyrij; tertio per Eleemosinam: quarto per hoc quod dimittimus peccata fratribus nostris; quinto cum conuerterit quis se ab errore uitæ suæ: sexto per abundantiam charitatis: septimo per Pœnitentiam. Addenda quoque communio corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi: cum tamen dignè suscipitur. Inueniuntur & alij fortè modi remissionum. Congruit enim vt numerum supplicationis nostræ indulgentia diuina transcendat.

Psal. 6. Psal. 31. Psal. 37. Psal. 50. Psal. 101. Psal. 129. Psal. 142.



SVM.

SVMMARIA SINGVLORVM CAPITVLORVM TERTIÆDECIMÆ PARTIS

SEXTI TRACTATVS.

1 *An sacris initiati; licet non sint beneficiati; & an clerici beneficiati; quamuis non in sacris sint constituti; teneantur omnes dicere Horas Canonicas.*

2 *An nesciens legere excusetur à celebratione Officij.*

3 *An puer maior septennio, qui ex dispensatione obtinet beneficium non curatum; si nescit legere sit & ipse priuandus beneficio.*

4 *Clericus infirmus an ad Horas teneatur.*

5 *An omittens ex infirmitate Officium, teneatur saltem illud audire, aut aliquid aliud orationis loco dimissi, dicere.*

6 *An libro carens, aut visu, & huiusmodi, excusetur si non dicit Officium.*

7 *An clericus beneficiatus, aut Sacris initiatus peregrinans, vel extans in Studio de licentia Episcopi, excusetur ab Horis Canonicis dicendis.*

8 *Omittens aliquid in medio Officii, vel in principio, an debeat totum reassumere vel id, quod omissum est dicere.*

9 *An obligatus dicere Horas in Choro, si non audiuit principium, aut finem alicuius Horæ; teneatur omne Officium illius Horæ, quod non audiuit, repetere.*

10 *An omittens ex negligentia septem Horas unius diei, committat vnum solum peccatum mortale, an plura.*

11 *Clericus excommunicatus num Horas dicere teneatur.*

De qui-

Digitized by Google

De quibusdam dubijs, quæ circa officium fieri, deque erroribus, qui committi circa idem solent.

An sacris initiati, licèt non sint beneficiati; quamuis in sacris sint constituti, teneantur omnes dicere Horas Canonicas. *Cap. I.*

Sacris initiati licet non beneficiati tenentur dicere Horas.



OLET ante omnia dubitari; an ad Horas Canonicas; quas supra septem esse distinctè enumerauimus; tantum presbyteri teneantur; an etiam inferiores clerici in Sacris existentes ad hasce horas quotidie recitandas obligentur. Ad quam quidem quęstionem respondimus supra in principio quęstionis, quam de diuino Officio inchoauimus; dicentes; quod non tantum presbyteri, sed & omnes alij Clerici Sacris initiati de præcepto ad Horas dicendas teneantur, etiã, quod non habeãt beneficium, ratione Ordinis Sacri. Item & ij etiam ad hoc Diuinum Officium obligantur; qui licet sacris non sint initiati; sunt tamen beneficiati. cap. fin. dist. 92. Intellige dummodo possint fructus percipere beneficij: quia qui de altari non uiuit, altari seruire non tenetur, secundum Cardinalem in Clem. 1. de celeb. Miss.

c. 1 dist. 91 c. 1. de cele. Missarum.

An nesciens legere excusetur à celebratione Officij. *Cap. II.*

Nesciens legere non potest obtinere beneficium.

SEcundo, si quis percunctetur dicens: si clericus beneficiatus nescit legere, quomodo potest satisfacere Ecclesiæ præcepto, quæ uult, vt qui habet beneficium, dicat Officium? Ad quod dicimus, quod talis sic illiteratus, nesciens legere, priuatur beneficio: quia Lex Canonica præcipit, huiusmodi beneficiatũ competentem debere habere scientiam; scilicet vt sciat Psalterium, homelias, Canonesque etiam Pęnitentiales, ut dicitur in c. Qui Episcopus, dist. 23. Qui ergo nescit Officium suum adimplere, id est, nescit Officium legere; consequenter beneficium non potest tenere. ar. c. cum in cunctis, de electio.

An puer maior septennio, qui ex dispensatione obtinet beneficium non curatum; si nesciat legere, sit & ipse priuandus beneficio. *Cap. III.*

Dispẽsatus in maiori, dispẽsatur etiã in minori.

VErum de puero maiori septennio, qui ex dispensatione beneficium obtinet non curatum; aliter statuendum esse videtur; etiam si & talis nesciat legere libros; & recitare Horas; nempe; ut cum eo Episcopus ex causa necessaria, vel vtili; possit dispensare;

sare; vt aliquas alias orationes loco Horarum dicat: Nam ex quo dispensat Episcopus in principali, scilicet, in beneficio; dispensare potest & in accessorio, scilicet, Officio. Verum hodie standum est determinationi Sacri Conc. Trid. *Sess. 23. c. 6*

Clericus infirmus an ad Horas teneatur. *Cap. IIII.*

DIcunt Syluester, & Armilla, etiam de mente Innocentij, & Panormitani; quod infirmus excusatur ab Officio dicendo: quando maximè in tali infirmitate multum infestatur, vel quando dicendo multum conturbatur. Sed si leue esset nocumentum, ut in febre quartana, uel febricula, non excusaretur: In hoc tamen standum esse iudicant iudicio medici, & boni uiri, idest, sui confessoris. *Clericus infirmus an ad Horas teneatur.*

An omittens ex infirmitate Officium teneatur saltem illud audire, aut aliquid aliud orationis loco dimissi dicere. *Cap. V.*

QVi verò ex infirmitate Officium dicere non potest; non tenetur illud audire: quia hoc nullo iure cauetur. Nec minus illud (infirmitate cessante) resumere, & repetere; secundum Innoc. & Panor. in c. ex parte, de obser. ieiun. qui dant exemplum, dicentes; Quia non valenti ieiunare in Quadragesima: non iniungitur, vt ieiunet alio tempore. c. 2. eod. tit. Et qui tenetur præstare operas certo tempore, si impeditur, non obligatur in alio, vt est tex. in l. si non sortem, ff. de condict. indeb. Et si relinquitur mihi vsusfructus biennij futuri, & impeditur, non possum in alio biennio petere: quia non est idem vsusfructus. ut in l. si vsusfructus, ff. de usufruct. leg. *Omittens ex infirmitate Officium, non tenetur illud audire.* *Nota.* *L. si non sortem, ff. de cõd. indeb.*

An libro carens, aut visu, & huiusmodi, excusetur si non dicit Officium. *Cap. VI.*

QVi etiam sine culpa sua non habet librum: quia fortè amisit illum in via eundo: & similiter qui caret visu, aut huiusmodi; excusatur, si Horas non dicit. argum. Clemen. fina. de vita & honesta. clerico. Modo tamen suppleat per aliquos Psalmos, aut alias orationes, uel per Pater noster, quos scit memoriter: quia per eum non stat, quo minus non soluat Officium, quando caret istis prædictis: Similiter excusatur quis ex obliuione: nec repetere tenetur, transacto tempore congruo. *Libro carens, aut uisu, an excusetur si non dicit officium.*

An Clericus beneficiatus, aut Sacris initiatus peregrinans, uel existens in Studio de Licentia Episcopi; excusetur ab Horis Canonicis dicendis. *Cap. VII.*

ITem nullo modo beneficiatus, existens in Scholis de sui Episcopi licentia: aut alius in maioribus Ordinibus constitutus; propter *Clericus beneficiatus,*

uel sacris initiatus nullo modo excusatur ab horis canonicis dicendis.

Studium, vel propter laborem peregrinationis, ab Horis Canonicis exsoluendis excusatur: nec Archiepiscopus, aut Episcopus cum istis potest dispensare, ita concludit Archidiac. in capit. Eleutherius, distinctione 91.

Omittens aliquid in medio Officij, uel in principio, an debeat totum reassumere uel id quod omissum est dicere. Cap. VIII.

Omittens aliquid in medio, uel in principio Officij an debeat totum reassumere.

Nota. Syluester.

QVi dimisit aliquid in medio, uel in principio Officij; non est quod totum repetat Officium; sed id quod omissum est; uel aliquid aliud dicere. At si partem notabilem dimisit totum idipsum reassumat, & dicat; si vult mortale euadere peccatum. Et si dixit Nonam, ante Sextam, non est opus replicare, sed sufficit dicere omissa. Similiter si omissus est unus Psalmus, uel neglectus, illius tantum Psalmi facienda est repetitio, uel etiam partis, dolendo primo de sua negligentia, secundum Syluestrum.

An obligatus dicere Horas in Choro, si non audiuit principium, aut finē alicuius Horæ; teneatur omne Officium illius Horæ, quod non audiuit repetere. Cap. IX.

Obligatus dicere Horas in Choro si non audiuit principium, vel finem ante neatur illā repetere.

SEd qui non interfuit principio alicuius Horæ, vt quia neglexit, nō malitiosè tamen: vel qui ex necessitate exijt Chorum ante finem alicuius Horæ, non tenetur illud modicum Officium non auditum, aut omissum supplere, aut repetere: principium enim illud, aut residuum suppletur per alios, qui ante illum accesserunt, aut post illum in Choro remanserunt quia omnes sunt vnum corpus in Domino: & charitas facit, vt quod unus facit, alteri tribuatur. cap. cum omnes, de const. secus tamen esset si magnam & notabilem partem non audiuit ante, uel post; tunc enim repetendo adimplere tenetur.

An omittens ex negligentia septem Horas unius diei committat vnum solum peccatum mortale, an plura. Cap. X.

Omittens septem Horas unius diei, an cō mittat unū peccatum mortale uel plura.

NOtandum item nobis est; quod si quis omittit ex negligentia omnes septem Horas vnius diei; committit solum unum mortale peccatum: quia totum Officium vnius diei, est unum totum integrale, cadens sub vnum præceptum, licèt peccatum tanto sit grauius, quanto plures partes omittuntur. Verum Syluest. dicit, quod quoties scienter, seu recolens quis deliberat nolle dicere, aut omnes, aut vnam Horam, toties mortaliter peccat: quia deliberat in re notabili transgredi præceptum, capit. dolentes, de celebrat. Miss. Peccat item & ille, qui omittit dicere Suffragia Sanctorum: si hoc facit contra consuetudinem Ecclesiæ Cathedralis: quia est contemptor laudabilis

Suffragia Sanctorum omittens peccat.

Digitized by Google

bilis consuetudinis, qui sicut & legis contemptor punitur. distinctione undecima, capit. in his, & hoc si facit ex negligentia affectata: quia non curat: vel ut citius percurrat Horas, vt vacet potibus, vel otio, aut huiusmodi.

Clericus excommunicatus num Horas dicere teneatur. Cap. XI.

VLtimo clericus etiam si sit excommunicatus tenetur recitare Horas Canonicas: sed in Choro recitabit eas tantum excommunicatus minori excommunicatione; non autem maiore excommunicatus excommunicatione, nec etiam cum alio; sed solus, & quasi per modum orationis, scilicet; non dicendo, Dominus vobiscum. 11. quæstio. 3. capit. si quis Episcopus. & capit. sequen. quia per excommunicationem non est liberatus à seruitute dicendi Horas. 16. quæst. 1. capit. legi. Ad hoc tenetur etiam Degradatus, si fuerit in Sacris: quia tenetur ad ea, quæ sunt oneris, & non honoris. Vel si non est in Sacris, & quamdiu tenet beneficium. argum. d. cap. legi, in prima Gloss. *Clericus excõmunicatus tenetur Horas recitare.*



Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
PRIMÆ PARTIS
SEPTIMI TRACTATVS.

De Scientia quam habere debet Diaconus.

Præfatio in Diaconi Officium. *Cap. I.*

NVNC Diaconi scientiam, & officium indagare (postquam hucusque gratias agendo Deo; de cæterorum conditionibus, partibus, ac qualitatibus ordinandorum iam supposuimus, ac disseruimus) ac tractare fas esse uidetur: In cuius tractatu in primis quærendum esse decet: quid sit Diaconatus Ordo: Secundò, quando hic

Digitized by Google

hic Diaconi Ordo fuerit institutus: Tertiò, quando ille ab Apostolis fuerit celebratus: Quartò, in quo actu in Diaconatus Ordine character imprimatur: Quintò, quænam sit Ordinis huius Diaconatus Materia: Sextò, quænam sit eius Forma: Septimò, unde Diaconi nomen traxerit exordium: Octauò, Diaconi qui sint, & unde dicantur: Nonò, Diaconi quomodo Leuitarum subsint imperio. Decimò, qualiter Diaconus instituatur. Vndecimò, Diaconi institutio quibusnam constet. Duodecimò, Diaconi Officium quodnam ipsum sit. Tertiodecimò, de mystica uestium, quibus utitur ipse Diaconus ratione aliqua etiam dicemus, & alia huiusmodi, quæ patebunt infrà.

Diaconatus Ordo quid sit. Cap. II.

DIaconatus quidem Ordo est potestas, per quam ordinatus in Diaconum potest Sacerdotibus adsistere, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, scilicet, in Baptismate, Chrismate, patena, in calice, & oblationes, & hostias inferre, & disponere in altari, componere etiam, idest, ornare mensam Domini in altari; atque uestire, prædicare Euangelium, ac demum Dominicum corpus, hoc est, Christi corpus Christi fidelibus dispensare.

Diaconatus Ordo quando institutus fuerit. Cap. III.

SAnè Diaconatus Ordo tunc institutus fuit; quando Christus in sua ultima cæna corpus, & sanguinèm suum in Sacramentum suis ministrauit Discipulis, ac dispensauit: & quando Apostolos dormientes ad orationem excitauit, dicens: Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. *1. Cor. 11. Matth. 26 Luc. 22.*

Diaconatus quando fuerit ab Apostolis celebratus. Cap. IIII.

HIc uerò Ordo Diaconatus ab Apostolis celebratus est, quando (ut legitur in Actibus Apostolorum) septem uiros plenos Spiritusancto ad hoc Officium elegerunt, ac sibi ministros Diaconos constituerunt Apostoli, & oratione præmissa, manus eis imposuerunt; ut expressè legitur in Cap. Dñs. dist. 93. Vnde & consuetudo inoleuit, ut in omni Matrice Ecclesia septem Diaconi circa Christi aram, quasi septem columnæ assistant; ut legitur apud Euaristum, & Gratianum, in c. Diaconi, qui quasi, dist. 93. Hi sunt septem Angeli tuba canentes in Apocalypsi: quia illorum est alta mysteria de superna inspiratione foris resonare. Hi sunt septem candelabra aurea, qui Christi lucem Euangelij alijs ostendere debent. Hi dicuntur septem tonitrua; quia terribiliter cominari debent, quod omnis arbor, quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Hæc omnia eliciuntur ex cap. Diaconi. dist. 93. *Act 6. c. Diaconi. dis 93. c. dominus. dis 93. Apoc 8. Notent hic Diaconi. Apoc 1. & 10.*

Digitized by Google

dist. 93. Hi itidem Diaconi præconis more Ecclesiam admonent ad orãdum, & genua flectendum.

Communionem accipiendi animo ordinandus in Diaconum esse debet in ordinatione. Cap. V.

SEd antequam alia, quæ ad futuri Diaconi scientiam spectant, tangamus, uidendum est, quamnam talis Diaconandus habere debeat solicitudinem: & quidem, ut dictum est etiam suprà in præcedenti tractatu, dum de sçientia Subdiaconi disputauimus; ad futurum Diaconum pertinet hanc facere in se præparationem, vt sacram ab Episcopo, eum ordinante, accipiat communionem, postquam idem ipse Episcopus cõmunicauerit inter ipsa Missarum solennia.

Quæ secum habere debeat Diaconus, cum ad Episcopum se confert, vt ab eo ordinetur. Cap. VI.

Quæ secũ portare debeat Diaconus pro sua ordinatione.

DIaconus autem accedere debet, ante Episcopum paratus, ac munitus amictu, alba, cingulo, & manipulo: stolam in manu sinistra; & Dalmaticam super brachium sinistrum, & candelam in manu dextera tenens, contra cornu Epistolæ altaris, facie altari versa, & in modum coronæ cum cæteris alijs ordinandis in Subdiaconum in Presbyterio coram Pontifice dispositus, ac genuflexus.

Admonitio, quæ ab ordinante ad ordinandum in Diaconum fit, cuiusmodi ea sit. Cap. VII.

Instructio quæ fit ab Episcopo ad futurũ Diaconum cuiusmodi sit.

PRomouendus dilectissime frater ad Leuiticum Ordinẽ: cogita magnopere ad quantum gradum Ecclesiæ ascendas. Diaconum enim oportet ministrare ad altare, Baptizare, & Prædicare. Sanè in ueteri Lege ex duodecim vna trib. Leui electa est; quæ speciali deuotione tabernaculo Dei, eiusq; Sacrificijs ritu perpetuo deseruiret: Tantaq; dignitas ipsi concessa est; quod nullus, nisi ex eius stirpe ad diuinum illũ cultum, atq; officium ministraturus assurgeret; adeo vt grandi quodam priuilegio hæreditatis, ex tribu Domini esse mereretur, & dici: quorum hodie Carissime fili & nomen, & officium tenes; quia ministerium tabernaculi testimonij, idest, Ecclesiæ Dei, elegeris in Leuitico officio: quæ semper in procinctu posita, incessabili pugna cõtra inimicos dimicat. Vnde ait Apostolus: Nõ est nobis colluctatio aduersus carnẽ, & sanguinem; sed aduersus principes, & potestates tenebrarum harum: cõtra spiritualia nequitiæ tela in cælestibus. quam Ecclesiam Dei ueluti tabernaculum portare, & munire debes; ornatu sancto, prædicatu diuino, exemplo perfecto: Leui quippe interpretatur additus, siue assumptus: & tu fili, qui ab hæreditate paterna nomen accipis, esto assumptus à carnalib. desiderijs, à terrenis concupiscentijs, quæ militant aduersus animã: Esto nitidus, mundus, purus, castus; sicut decet dispensatorem ministeriorum

riorum: Dei ut dignè addaris ad numerum Ecclesiastici gradus, vt hæredi tas; & trib. amabilis Domini esse merearis. Et quia comminister, & cooperator es corporis, & sãguinis Domini, esto ab omni illecebra carnis alienus, sicut ait Scriptura: mundamini, qui fertis uasa domini: Cogita Beatum Stephanum, meritò præcipuè castitatis, ab Apostolis ad officium istud electum. Cura, ut quib. Euangelium ore annuncias, uiuis operibus exponas: ut de te dicatur: Beati pedes Euangelizantium pacẽ, Euangelizantiũ bona: Habe pedes tuos calceatos Sanctorũ exemplis in præparatione Euangelij pacis. Quod tibi Dñs concedat per gratiá suá.

Diaconus genuflexus ante Episcopum; audita, & habita eius admonitione, & instructione; quid post eam Episcopalem eruditionem facere debeat. *Cap. VIII.*

SEd Diaconus ordinandus ad Diaconatus Ordinem post habitam ab Episcopo ordinante admonitionem, ubi ipse prius coram Pontifice genuflectebat, in totum ferè prosternitur, donec cantantur Litaniæ, ac etiam finitæ fuerint: Postmodum ab huiusmodi accubitu assurgens genuflexus iterum ante Episcopum manet; vsque dum alloquitur ipsum ordinans, ac donec tradiderit ei omnia, quæ in antecedenti capitulo diximus, scilicet, Manipulum, Stolam, & Dalmaticam.

Diaconus post admonitionẽ sibi factã, quid agere debeat.

In Diaconatus Ordine in quo actu imprimatur Character. *Cap. IX.*

NVnc in quo actu imprimatur, seu figatur Character in Diaconatus Ordine dicẽtes, ac querentes; respondemus, quod secundũ D Thomam. 4. dist. 24. in traditione Libri Euangeliorum cum debita verborũ forma: quia tunc ei datur potestas legendi Euangelij in Ecclesia Dei.

Thom. 4. dist. 24.

Diaconatus Ordinis Materia quæ sit. *Cap. X.*

AT Ordinis Diaconatus Materia est (quemadmodum Ordinis Subdiaconatus Materiam esse diximus, Epistolarum librum.) ipse liber Euangeliorum.

Materia Ordinis Diac.

Ordinis Diaconatus Forma quæ sit. *Cap. XI.*

FOrma Ordinis Diaconatus: postquã Episcopus dixit: Accipe Spiritum sanctũ ad resistendũ Diabolo, & tentationib. eius in noïe Dñi: & postquã dedit stolã super humerũ sinistrũ, porrigendo librum Euangeliorum; est: Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro uiuis, quam pro defunctis in nomine Domini.

Diaconatus Ordinis forma quæ.

Diaconi nominis origo unde.

Diaconi nomen unde traxerit exordium. *Cap. XII.*

DIaconorum insuper Ordo; secundum quod scribit Magister Sentẽtiarum, & Rationale Diuinorum Officiorum; in veteri Testamen

Mag. Sẽt. in 4. dist. 24.

Digitized by Google

Num. 3. et 4. & 8. to ex libro Numerorum ex Tribu Leui, filij Iacob, sumpsisse legitur exordium, seu etiam nomen: & inde Leuitæ, idest, adsumpti, à Leui, Læuitæ uocabantur, & exorti sunt: qm̄ adsumpti sunt ad auxilium Sacerdotum; ut Eleazar, & Thamar: De Leui ergo Læuitæ exorti sunt: à quibus in templo mystici sacramenti mysteria explebantur: Hi Græce Diacones, Latinè Ministri dicuntur: quia sicut in Sacerdote consecratio; ita & in Diacono mysterij dispensatio habetur: Dominus enim ad Moysen locutus est dicens: Applica Tribum Leui, & fac eam stare in conspectu Aaron, & ministrent ei, ut excubent, & obseruent quicquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonij, & custodiant Vasa tabernaculi, seruientes in ministerio. Verum à quinquagesimo anno iussi sunt Læuitæ uasa custodire: sed à uigintiquinq; annis iussi sunt in tabernaculo deseruire, tanquam ætatis robustæ ad onera portanda: qui possent arcam fœderis, mensam propositionis, & uasa tabernaculi deportare. Quod & in nouo Testamento recolitur: cū Diaconis supra sinistrum humerū stola imponitur: & in diebus ieiuniorum super eundem humerum Casula complicatur: quia quicquid laboris in hac uita sufferimus, tanquam in sinistra portamus, donec à sinistra transeamus in dexteram, in qua requiem habeamus.

Dist. 21. c. cleros.

Qualis esse debeat ordinandus in Diaconum. Cap. XIII.

Quas cōditiones habere oporteat ordinādū in Diaconum. Sess. 23. c. 12.

Ordinandi autem in Diaconum partes, conditionesq;, ac qualitates hæ sanè erunt, uidelicet: ut sit Sacro in primis Baptismate ablutus, Sacra item Confirmatione confirmatus, suaq; peccata sit Sacerdoti confessus; tonsura, ac Ordinibus minoribus insignitus, legitimè etiā natus; ætate legitima, & sufficienti repletus; ut nempe non accedat; iuxta sacri Concilij Trid. decreta; ad hunc Sacrum Diaconatus Ordinem ante uigesimūtertium annum; item scientia præditus, bonis moribus imbutus; in exercitio Minorum Ordinum iam exercitatus, ac postea approbatus; continentia, & castitate præclarus, nō extra tempora à Sancta Dei Ecclesia statuta, ad se ordinandū sit importunus; sit in Ordine Subdiaconatus ante uersatus; ad duos Sacros Ordines eodē die ab aliquo non sit promotus; non sit criminosus, nō bigamus, non seruus, non Hermaphroditus, non hystrio, nō accedat coniugatus; non interdictus, suspensus, aut excommunicatus; non irregularis, nō infamis; non neophitus, non furiosus, non infans, non homicida sit: nonque sine literis commendatitijs ad alienum præsumat accedere Episcopum: sicuti suprà in omnibus aliis præfatis tractatibus plenè enunciauimus, ac descripsimus; præsertim in tractatu secundo, cap. 21. & 22.

Qualiter Diaconus instituatur. Cap. XIIII.

Institutio Diac. qualiter.

Diaconus autem, cum ordinatur: ut legitur in Canone Diaconus, dist. 23. Solus Episcopus, qui eum benedicit, manus super caput eius imponit: quia non ad Sacerdotium: sed ad ministerium

Digitized by Google

rium consecratur, idest, ordinatur: quod ab Apostolis quidem factum esse etiam legimus: qui olim in Actibus Apostolorum dixerunt: non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: considerate ergo, fratres, uiros ex uobis boni testimonij septẽ plenos Spiritusancto, & Sapientia; quos constituamus super hoc opus: & sic statuerunt hos septem viros ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus. *Act. 6.*

Manus impositio Episcopi super Diaconum quid significet. Cap. XV.

IDeo autem fit manus impositio Episcopi super Diaconum: quoniam per manum, opera: per digitos, Spiritussancti dona: per caput uerò mentem intelligimus. Rectè ergo manus imponitur; quia donis Spiritussancti in mente imbutus Diaconus, ad opera Christi mittitur. cap. uno, extrà de Sacra Vnctione. *Manuum impositio super Dia. significatio. Nota.*

Manus impositio super ordinandis, & consecrandis unde traxerit initium. Cap. XVI.

MAnus uerò impositio sumpsit exordium ab Isaac, qui dum Iacob benedixit, imposuit sibi manum. Gene. 27. Et Moyses Iosue, cum eum populo præfecit. Num. 28. & Dominus Apostolis cum eos principes mundi cõstituit. Item, & ipsi Apostoli per manus impositionem Spiritumsanctum dederunt. ut in Act. eorũdem Apostolorum. c. 19. legitur. *Manuum impositio principium unde exortum. Gen. 27. Num. 28. Act. 19.*

Diaconi institutio quibus constet. Cap. XVII.

VErbis item, & rebus Diaconi institutio solet constare & perfici: Episcopus si quidem ponit ei orarium, idest, stolam super læuum humerum: ut per hoc intelligat, se accepisse iugum Domini suaue: quo ad sinistram pertinentia timori subijciat. Vel ideo stolam accipit Diaconus, quoniam Euangelium in Ecclesia Dei tam pro uiuis quam pro defunctis, in nomine Domini quod per Christi iugum figuratur, lecturus est; denique Euangeliorum librum ei tradit Episcopus, his uerbis: Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei tam pro uiuis, quam pro defunctis, in nomine Domini. Accipit autem hunc Euangeliorum textum, ut intelligat, se esse prçconem Euangelij Christi. Et nota hæc supradicta, scilicet, stola, & liber Euangeliorum, ac uerborum prolatio, sunt huius ordinis Diaconatus substantialia: cætera sunt de solennitate. *Ad institutionẽ Diaconi, res, & uerba requiruntur. cap. unum orariũ distin. 25. Nota. Substantialia Ordinis Diac.*

SVMMARIA

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
SECVNDÆ PARTIS
SEPTIMI TRACTATVS.

De Scientia Diaconi, qui Ministraturus est Sacerdoti Solenniter Celebraturo.

Officium Diaconi. *c. Diaconi, dist. 93.*

Diaconi Officium quodnam sit. Cap. I.



ANE ad Diaconum pertinet hæc infrascripta adimplere; Episcopum scilicet perpetuò sequi; concionantem custodire: ne ab emulis infestetur, uel à uerbo Dei detrahatur; atque itidem,

dem, ac Sacerdotibus Sacra facientibus, uel alia Sacramenta administrantibus, præsto esse: puta in Baptismate, in Chrismate, in patena, & calice; in oblatione, hoc est in inferendo Sacerdoti oblationem, idest, Hostiam, & disponendo eam in altari; in componendo item mensam Dñi in altari. Ad eum etiam spectat uestire, crucem ferre, puta in processionibus. Ad ipsum quoq; Officium precũ, idest Litanias dicere, perintet; & præmonere populum, ut aures adhibeat ad Deum; cum dicit: Humiliate capita uestra Deo, uel humiliate uos ad benedictioné. Ipse item Diaconus dat pacem Subdiacono: Item & cum dicit: Dominus uobiscum. Denunciat etiam ille festiuitates. Ad Diaconum etiam attinet, tanquam Episcopi oculum, peruestigare quinam in Vrbe piè, & religiosè, quiue secus uitam traducant: quiquè ad Sacrificium, & concionem statis temporibus conueniant, qui rursus non conueniant: ut (cum de omnibus Episcopum certiorem fecerit) ille priuatim unumquemque hortari, admonere, uel palàm corrigere, & obiurgare possit uti se magis profecturum esse intellexerit. Cathecuminorum etiam nomina recitare debet; item & Baptizandorum, & Ordinandorum etiam: & eos ante ministrum Sacerdotem, uel Episcopum statuere. Denique ei licet, si absit Episcopus, & Sacerdos, Euangelium explanare, non tamen in superiori loco: ut intelligatur hoc eius proprium munus non esse. Et nota, quod Diaconi nostri temporis locum tenent quaternionum, qui erant apud Gentiles.

Magister Sentent.

Cathechis.

Diaconus cur praecedat Sacerdotem solenniter celebraturum. Cap. II.

Diaconi praecedentia ante Sacerdotem celebraturum cur.

PLanè præcedunt Diaconus, & Subdiaconus Sacerdotem solenniter celebrare uolentem, non pariter, neque a latere incedentes; sed ante: quoniam designant Nouum, & Vetus Testamentum, idest, Legem, & Euangelium: quorum Lex tempore prior, Euangelium uerò dignitate maius.

Diaconus, & Subdiaconus quonam tempore Dalmatica, & Tunicella utantur; & quo tempore Planetis. Cap. III.

Temporũ discrimen rõne usus. Planeta, Tunicella, & Dalmatica.

SEd sciendum nobis est, quod Dalmatica, & Tunicella Diaconus, & Subdiaconus utantur in Missa solenni, & processionibus, & benedictionibus, quandocunque Sacerdoti ministrant. In diebus uerò ieiuniorum (præterquam in uigilijs Sanctorum) & in Dominicis, & ferijs Aduentus, & Quadragesimæ, ac in uigilia Pentecostes, in Cathedralibus, & præcipuis Ecclesijs utuntur Planetis plicatis ante pectus; quam Planetam Diaconus dimittit, cum lecturus est Euangelium; et tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur; aut ponitur aliud genus stolæ latioris in modum Planetæ plicatæ: & facta communione resumit Planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus

Digitized by Google

nus dimittit eam, cum lecturus est Epistolam; quam legit in Albis, & postea eam resumit, ut prius. In minoribus autem Ecclesijs, prædictis diebus ieiuniorum Alba tantum amicti ministrant: Subdiaconus cum manipulo, Diaconus cum stola in humero dextro sub sinistrum pendente.

Diaconus propter quid Dalmatica utatur in antedictis diebus. *Cap. IIII.*

Ad quid Dalmaticã portet Diaconus ad mysterium corporis, & sanguinis Christi.

ET Diaconus quidem in dictis Missis solennibus, processionibusque, ac benedictionibus, ac solum in præcipuis Ecclesijs ideo Dalmatica utitur; ut discat occultam rationem sublimium rerum indagare: Vnde propter hoc in sublimibus, & Cathedralibus Ecclesijs, & in solennitatibus tantum utitur ea: quia Discipuli sublimia non intellexerunt, nisi post quam Dominus est glorificatus.

Planeta ut quid diebus ieiuniorum plicetur. *Cap. V.*

Planeta cur plicetur in diebus ieiuniorum.
c. unum, dist. 25.
Phil. 3.

AB anteriori autem parte idest, ante pectus Diaconus diebus prædictis ieiuniorum portat planetam plicatam, seu duplicatam. Primò, propter rationem, quæ dicitur in c. unum orarium. dist. 25. nempè, ut liberius, & expeditius ualeat ministrare, & ad ministerium Sacerdotale recurrere: Secundò, ad ostendendum, quod ipse (iuxta Apostolum) quæ retro sunt obliuiscens, àd anteriora refertur. Tertio, duplicatur ante pectus, per quod cor, & super humerum complicatur, per quem opus exprimitur: in humero enim uestimentum duplex in cor ipsum efficitur: quia sic debemus bona opera foris ostendere proximis, ut eadem intus in corde coram Domino integra seruemus: charitatem enim debemus habere corde, & opere, & intus, & foris. Quartò, duplicatur planeta ante pectus, quoniam per charitatem, quæ per planetam significatur, bona uoluntas, & Sancta cogitatio generatur. Quintò, ipsa planeta complicatur super humerum in dictis diebus ieiuniorum; quoniam per illam aduersa à proximis, & ab aduersarijs supportantur. Sextò denique, planeta ideo deponitur à Diacono, cum dicturus est Euangelium; & superponitur complicata super humerum: quia Diaconus gerit Officium prædicandi populo: & ideo Casulam super humerũ portat: quia prędicator in præsenti uita populi peccata portare debet: quod tractũ est à Legali Sacerdote, qui dum sacrificabat, summitates balthei super humerũ reflectebat. Septimò, deponit Diaconus planetam, cum est dicturus Euangelium, quasi profiteatur, illam non esse uestem propriam, sed ob reuerentiam temporis recipere commodatam. Octauò, demum Diaconus ieiuniorum tempore casulam super humerum iam dictum replicat, quasi gladium contra hostem uibret. Nonò, dum Diaconus humero Casulam imponit duplicatam; opus Prædicationis, Orationis, & Lectionis intromittit: & proximo subuenit. Decimò, Diaconus lecturus

Digitized by Google

rus Euangelium non omnino planetam ideo deponit; sed iuxta modũ stolæ illam sibi coaptat: quia eius officium est doctrinam Euangelicam, quæ est Lex amoris, prædicare: & hoc ex amore, qui fuit iugum Domini suaue; quod iugum, ex quo omnia mundana premuntur, per stolam super sinistrum humerum significantur:

Diaconus cur facta communione resumat Planetam. Cap. VI.

FActa demum communione Diaconus ideo reassumit planetam ad notandum, quod non sufficit opus ex charitate inchoare, nisi & in charitate perficiatur. Vel se Diaconus iterum induit planeta: quia per hoc factum indicat se esse prædicatorem, qui in dilectione ferueat, & vitæ contemplatiuæ inhiet. *Reassumptio planeta per Diaconum ad quid fiat.*

Diaconus dicturus Euangelium cur petat benedictionem. Cap. VII.

SEd Diaconus dicturus Euangelium ideo petit benedictionem: quoniam nullus debet prædicare, nisi mittatur, iuxta illud, quomodo prædicabunt, nisi mittantur. *Benedictio cur p Diaconum petatur ante Lectionem Euangelij.*

Cur Diacono lecturo Euangelium, & non Subdiacono lecturo Epistolam à Sacerdote benedicatur. Cap. VIII.

SAcerdos visibiliter benedicit Diacono, qui lecturus est Euangeliũ, quod non facit Subdiacono Lecturo Epistolam: quia Christus uisibilis manens, Legem, & Prophetias; quæ per Epistolam figurantur, inuisibiliter misit: sed post quam in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus, Apostolos, & Euangelistas uisibiliter misit, & docuit: Euntes, inquiens, prædicate, dicentes; Appropinquauit regnum cęlorum. Mittit autem Sacerdos Diaconum ad legendum Euangeliũ; post quam benedixit eum, ad notandum, quod Christus misit Apostolos ad prædicandum regnum Dei. *Cur fiat benedictio super Diaconum, & nõ super Subdiaconum.*

Diaconus cur præmittat ante Euangelium Thuribulum cum incenso. Cap. IX.

PRæmittit verò Diaconus ante Euangelium Thuribulum cum incenso: eo quia opera præcesserunt eius doctrinam; iuxta illud, Cæpit Iesus facere. & docere. Rursus Diaconus ideo præmittit Thuribulum; quia prædicator debet odorem bonæ opinionis ex se mittere, iuxta illud Apostoli: Christi bonus odor sumus in omni loco. Vel præmittit Diaconus Thuribulum, ut eius oratio sicut incensum in conspectu Domini dirigatur. *Thuribuli cũ incenso præmissio.* *2. Cor. 2.*

Diaconus

Digitized by Google

Diaconus dicturus Euangelium cur populum salutet. Cap. X.

Populi salutatio per Diaconum lecturum Euangeliũ cur fiat.

ITem Diaconus dicturus Euangelium prius populum ipse salutat, ut illum ad audiendum uerbum Dei attentum reddat, dicens; Dominus uobiscum; ostendens etiam per hoc, se orare, ut Dominus sit cum eis: & obseruans, quod Dominus iussit: In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui.

Luc. 10.

Diaconus dicturus Euangelium cur præmittat, Sequentia Sancti Euangelij. Cap. XI

Diaconus cur Thurificet librũ Euangeliorum se signans signo crucis dicturus Euangeliũ. Rom. 1. 1. Cor. 1.

POrrò Diaconus, ut cunctos audientes reddat dociles, & beneuolos ad audiendũ uerbũ Euangelij, subdit dicturus Euangeliũ: Sequentia Sancti Euangelij. Thurificans librum Euangelij, & signo se crucis signans, quasi dicat; hic est liber, seu Euangelium Dei: hic est liber Crucifixi, quem prædico: hic est liber pacifici, per quem reconciliationem accipimus. Per incensi autem fumum bonæ prædicationis opinio intelligitur. Vel ideo se signat Diaconus dicturus Euangelium, signo crucis in fronte, ore pariter, & in pectore, seu in corde; ne Diabolus, qui bonis operibus insidiatur, tollat ei, per erubescentiam deuotionem de corde, uel sermonem de ore, ac si dicat: Ego Christi crucem non erubesco; sed eam ore prædico, & corde credo: quia corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Diaconus cur det patenam cum Hostia Sacerdoti celebranti. Cap. XII.

Porrectio patenæ Sacerdoti celebranti ut quid fiat ꝑ diaconum. 1. Cor. 2.

DIaconus patenam cum Hostia Sacerdoti celebranti, uel Episcopo, quam ipse Sacerdos, uel Episcopus super altari disponit, tradens; insinuat, quod ipsemet Christus hoc Sacramentum primus instituit, & Ecclesiæ tradidit celebrandũ, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.

Diaconus cur tollat patenam de manu Subdiaconi, & illam tradat Sacerdoti. Cap. XIII.

Patenæ ablatio è manibus Subdiac. ꝑ Diac. quid. Psal. 29.

QVoniam autem post Passionis tristitiam, ad Resurrectionis gaudium peruenitur, iuxta illud: Ad Vesperam demorabitur fletus, & ad Matutinum lætitia: ideo Subdiaconus, dum Chorus respondet: sed libera nos: assurgens, accedit ad Diaconum tradens illi patenam inuolutam: Diaconus uerò illam recipiens eam reuelat, & reuelatam repræsentat, & tradit illam Sacerdoti, osculando illius manum: & hi quidem Subdiaconus uidelicet, & Diaconus tam numero,

quam

Digitized by Google

quam etiam obsequio signant per istud factum illas mulieres, de quibus narrat Matth. nempè, quod Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, uenit Maria, & altera Maria uidere sepulchrum, præsentantes patenam, idest, cor patens latitudine charitatis in obsequium sepulturæ.

Matt. 28.

Nota.

Diaconus cur Sacerdotis manum, uel humerum deosculetur. Cap. XIV.

DIaconus autem manum, seu humerum Sacerdotis dexterum osculatur, ad notandum; quod ipse uult esse socius in passione, ut socius sit in regno. Vnde Apostolus: Si compatimur, inquit, & conregnabimus.

Ad quid Diac. celebrantis manũ deosculetur, vel humerum.

Diaconus cur discooperiat calicem, & in eum intueatur. Cap. XV.

FInita verò oratione præmissa, scilicet, libera nos; & reasumpta patena Diaconus discooperit calicem; & super calicem sedulò intuetur: designans per hoc factum Diaconus, quod Angelus Domini lapidem ab ostio monumenti reuoluit, & linteamen amouit, & sepulchrum diligenter inspexit.

Discooperitio calicis per Diac. quid.

Diaconus cur in missa solenni dicat ipse: Ite Missa est. Cap. XVI.

QVando item solenniter celebratur, non Sacerdos, sed Diaconus dicit: Ite missa est: quoniam Diaconus repræsentat Angelum stantem in monumento à dextris, coopertum stola candida: qui dixit Mulieribus. Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic: Ecce locus, ubi posuerunt eum; sed ite, & dicite discipulis & Petro: quia præcedet uos in Galileam.

Mar. 16.

Diaconus absente Episcopo, aut Presbytero, quæ possit facere. Cap. XVII.

ADuertat tamen quilibet discretus, ac bene eruditus Diaconus; quod præsente Episcopo, uel Presbytero, nullatenus nisi de eorum mandato, Sacramenta aliqua conferre potest, ut præcipitur in c. Diaconos, & in c. peruenit, dist. 93 & 95. Item nec debet Diaconus deferre corpus Christi ad infirmos, prædictis præsentibus, & nisi ex necessitate: & tunc iussus posset populum communicare, c. Diaconi, eadem dist. Debet item Diaconus pallas, corporaliaq; lauare. Item Diaconus nullis Sacerdotibus præsumere debet præferri; nisi fortè se prætulerit eis uigore alicuius legationis sibi factæ; puta si locum sui metropolitani tenuerit: aliàs talis Diaconus a proprio gradu cadere debet, & repulsus ultimus omnium fiat in ordine suo c. præcipimus, dist. 93.

Offic. Diac. in absentia Epi sui, uel presbyteri.

c. peruenit, dist. 95.
c. peruenit, dist. 93.
c. nemo, de cõs. dist. 1.

Epilogus

Digitized by Google

Epilogus earum rerum, quas scire debet Diaconus. Cap. XVIII.

Peroratio Septimi Tractatus.

ADuertat ultimo quilibet Diaconus; quod quæcunq; scire tenetur ille, qui initiandus est prima tonsura, Ostiariusque, Lector, Exorcista, ac Acolythus, & Subdiaconus; eadem & ipse callere, ac cognouisse debet: Vnde propterea, ea quæ suprà in alijs antecedentib. tractatib. Singulorũ Ordinum in medium attulimus, ipsum oportet diligenter obseruasse, seu didicisse: ut his, quæ, hic diximus minimè agnouisse sit contentus: cum imò non tantum ad superiora; sed & ad alias quæstiones quas memoriter scire tenetur, & respondere, & eis satisfacere debet ijs prçsertim quæ uersantur circa Catholicam fidem; cum Diaconus debeat prædicare, ac docere: ideo debet scire responde re ad omnes quæstiones, quæ immediatè, & consecutiuè; non autem ijs, quæ mediatè oriuntur ex principijs fidei Catholicæ, seu ex Symbolo Apostolorum. De quibus quæstionibus; licèt suprà diffusè dictum sit in primo Tractatu, in expositione Symboli, cum de scientia, quam habere debet initiandus prima tonsura disseruimus; aliqua tamen hic etiam exempla dabimus; ut notius fiat omni Diacono suum Officium, & id, ad quod tenetur. Dicimus, inquam, quod Diaconus debet scire respondere ad quæstiones, quæ immediatè uersantur circa fidem Catholicam: ut si uerbi gratia, fuerit quis percunctatus ab eo, dicens: Tu me modo docuisti, uenerande Diacone, ipsa fidei rudimenta, Symbolum nempè Apostolorum; in quo dixisti Christianum debere credere in unum Deum. Rogo te, ut mihi dicas, an sit Vnus Deus, an uere comperiantur plures Dij: & ad hanc quæstionem debet scire respondere: dicens Vnum Deum esse authoritate ostenditur. Deuter. 32. Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Apostolus, Vnus Deus, una Fides, unum Baptisma. Non autem si quæsierit quis ab eo: an sit Vnus Deus simplicitate, immobilitate, ac singularitate; an uerò sit Vnus pluralitate, mutabilitate, aut propagatione, respondere teneretur: quia hæc quæstio non immediatè uersatur circa fidem, sed mediatè: & quia huiusmodi quæstiones consumati, perfectiquè Theologi est soluere: præterea quod sit Deus, quod Deus sit pater, quod sit omnipotens, quod sit creator cæli, & terræ; idem Diaconus debet scire docere populum: & sic de alijs quæstionibus sequentibus dicendum est, quas omnes oportet ipsum Diaconum soluere; alias uerò, quæ ex primis oriuntur, non tenetur Diaconus ex Officio soluere. Ex quibus concludas quod etsi Diacono non sit necesse scire, quemadmodum Christus natus sit: non licet ei tamen nescire, quod ipse natus sit: ut tradit nobis Ambrosius in Homelia Domin. 4. post Pentecost. Quare Diaconus igitur det operam, ut nihil, nisi quod Pium, Orthodoxum, & Catholicum sit, sentiat, doceat, profiteaturque. Et ideo rectissimus ordo prædicandi, & modernis quoque prædicatoribus Ecclesiæ diligentissimè sectandus erit, inquit Beda; ut primo quidem doceatur auditor; deinde fidei Sacramentis imbuatur; deinde seruandis Domini mandatis ex tempore liberius

Diaconus quare teneatur scire soluere aliquas qõnes, quæ versantur circa fidē.

Ephes. 4.

Ambros.

Prædicandi rectissimus ordo. Beda in Matth. 28.

berius

berius instruatur. Nam neque indoctus quisque, & ignarus Christianæ fidei potest eiusdem fidei Sacramentis ablui: Neque lauacro Baptismi à peccatis emundari sufficit, si non post Baptismum studeat quisque bonis operibus insistere, proinde Dominus prius dixit docendas esse Gentes; deinde baptizandas esse præcepit, quia & sine fide, ait Apostolus, Hebræ. 11. impossibile est placere Deo: & nisi, inquit Ioannes, quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritusancto, non potest introire in regnum Dei. Ad extremum subiungit Dominus: Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui uobis: quia sicut corpus sine spiritu mortuum est. Iacob. 2. ita & fides sine operibus mortua est. Boni item cõcionatoris officium erit, subire illius stabularij uices, qui ait. Misit me Christus Euangelizare; & cui dixit: Abi in uniuersum mundum, & prędica Euangelium omni creaturæ: Beatus ille stabularius, qui alterius vulnera curare potest: Beatus ille inquam, cui dixit Iesus: Quodcunque supererogaueris, reuertens reddam tibi. Bonus dispẽsator fuit Paulus, cuius Sermones, & Epistolæ, veluti ei rationi, quam acceperat superfluunt; moderatum Domini mandatum propè immoderato labore mentis, & corporis executus, vt multos ab ægritudine graui spiritualis alloquij dispensatione releuaret. Bonus ergo stabularius stabuli eius, in quo agnouit asinus præsepe Domini sui, vt & in quo clauduntur greges agnorum frementibus ad caulam rapacibus lupis, facilis ad ouilia sit ingressus. Bonus item est ille prædicator, qui, & subsidia terrena subditis ne desint, diligenter prouidet; & si quos, aut spiritualibus, aut etiam communibus eorum incommodis aduersantes depræhenderit horum uiolentiæ, quantum valet, obsistit: vt sic post exempla virtutis simul cum verbo prædicationis eisdem pastionem temporalem solicitus impendat, ac eorum incommodis solers succurrat: vt tamen in dies errata eorum corrigere nunquam desistat: si errauerint; sed sæpius in misericordia, ut adimpleatur in illo, quod dicitur in Psalmis: Corripiat me iustus in misericordia. Sed iam nunc ad Presbyteratus Ordinem deueniamus; deque simplicis Sacerdotis, seu Presbyteri scientia disseramus: alia namque esse debet scientia Simplicis, & puri Sacerdotis; alia uerò Curati, aut Parochi, parochiale beneficiũ obtinentis: & ideo dixi, me uelle de simplicis, & nõ Curati Sacerdotis scientia tractare. Quęremus igitur in primis, quoad Ordinem Presbyteratus; quid ille sit; Secundò unde originem sumpserit, Tertiò, quis illum instituerit in Ecclesia; Quartò, in quonã actu in Ordine Presbyteratus infigatur character. Quintò, quænam sit Ordinis presbyteratus Materia. Sextò, quæ eiusdem Ordinis sit Forma. Septimò, quis dicatur, & unde dicat Presbyter. Octauò, quis hodie dicat Sacerdos, & quis olim. Nonò, quotuplex sit Sacerdotiũ. Decimò, qualis eligi debeat in Sacerdotẽ. Vndecimò. presbyteri institutio quib. fiat medijs, Duodecimò, Sacerdotes cuiusnam uices gerant, Tertiodecimò, quænam sit Sacerdotalis dignitas. Decimoquartò, ordinato in Presbyterũ quænã res ab Epõ tradantur pro eius institutione formali. Decimoquintò, quodnã sit officium Presbyteri; ac deinceps de alijs hmõi ad Presbyteri scientiam spectantibus.

Ioan. 3.

Boni Concionatoris officium.

2 Cor. 5.

Beda in Io. ultim.

Psal. 140.

Prælocutio in Presbyteratus Ordinem.

De Presbyteratus Ordine se author accingit differere.

Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
PRIMÆ PARTIS
OCTAVI TRACTATVS.

De scientia quam habere debet futurus Presbyter.

Presbyteratus quid sit. Cap. I.

Ordo Presbyteratus quid.



RINCIPIO ergò dicendum est, quod Presbyteratus Ordo nihil quidem aliud est, quàm potestas, per quam ordinatus in Presbyterum potest panem in corpus, & vinum in sanguinem Christi

Christi consecrare; Deoque Sacrificium facere, ac Ecclesiastica Sacramenta administrare.

Presbyteratus Ordo quando institutus sit. Cap. II.

POrrò Ordo iste Sacer Presbyteratus institutus quidem tūc à Christo Domino nostro fuit; quando post vltimam suam cœnam de hoc mundo transiturus ad Patrem, panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem suum sub diuina virtute commutauit, conuertitq; dicēs Apostolis: Accipite, & comedite, HOC EST CORPVS MEVM. Excellentius item quoque hunc Sacrum Ordinem instituit Christus, quando pro peccatis humani generis seipsum in ara crucis obtulit Patri, idem Episcopus, Sacerdos, & Hostia: & adhuc gloriosius eundem ordinem exercens, dum sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis. Similiter, & tunc instituit hunc Ordinem Christus, quando post Resurrectionem dixit Discipulis suis: Accipite Spiritumsanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Institutio Ordinis presbyteratus quando fueris facta. *Matth. 26* *Ioan. 13.* *Ioan. 20.*

Presbyteratus Ordo unde sumpserit originem. Cap. III.

NOn latet quidem Sacræ Scripturæ scientia peritos, hunc Sacerdotalem Ordinem sumpsisse exordium à Veteri Testamento: Dicitur enim in Exod. c. 28. 29 & 40. Applica quoq; ad te; inquit Deus ad Moysen; Aaron fratrem tuum cum filijs suis de medio filiorum Israel: vt Sacerdotio fungantur mihi: iterum, filios quoq;, inquit Deus; illius applicabis, & indues tunicis lineis; cingesq; baltheo, Aaron scilicet, & liberos eius; eruntq; Sacerdotes mei Religione perpetua: & iterum dicit Iesus ad Moysen: Applicabisque, inquit, Aaron, & filios eius ad fores tabernaculi testimonij: & lotos aqua indues sanctis uestib. ut ministrent mihi: & unctio eorum in Sacerdotium sempiternum proficiat. Vnxit ergo Moyses Aaron in maiorem Sacerdotē; filios uerò illius in minores. Vnde propterea diuinus Psaltes inquit: Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, idest, Primi, & Summi inter Sacerdotes fuerunt. Ipse tñ Moyses prior fuit, quam Aaron, ordine; & etiam maior administratione: vt legitur in c. Sacrosancta, dist. 22. per Glos. Hinc est, quod Moyses illum instruebat, & tanquam minorem redarguebat. c. inter hæc. de pœnit. distin. 3. Sed quo ad Sacerdotalem consecrationem pares fuerūt. Moyses, autem non offerebat Hostias, sed solum Vota pro populo. In Nouo quoque Testamento Christus maiores, & minores Sacerdotes constituit, videlicet, Duodecim Apostolos, & Septuaginta duos Discipulos, per Apostolos electos, quos præmittebat binos in omnem Ciuitatem, & locum quo erat ipse venturus, sicut enim Deus per Moysen Summos Pōtifices regendis populis in Lege præfecit. Leuit. 8. & ad eorū societates, & ope tis adiumentam uiros alios secūdæ dignitatis elegit. Nam in Eleazaro,

Origo Ordinis presbyteratus unde. *Exod. 28. 29. & 40.* *Psal. 98.* *Distin. 36. c. si quis.* *Luc. 10* *Matth. 6.* *21. dist. c. in nouo.* *Leuit. 8.* *Num. 2.*

S 2 &Itha-

& Ithamar filijs Aaron paternæ transfunditur plenitudinis abūdantia, vt ad Hostias Salutares, & frequentioris officij Sacramenta, ministeriū sufficeret Sacerdotum: & sicut in Heremo per Septuaginta virorū prudentum mentes Moysi spiritum propagauit; quibus ille usus est in populo, ut innumerabilem multitudinem facilè gubernaret: Sic & Christus Apostolis suis Discipulos addidit, quibus illi totum orbem sanctis prædicatoribus repleuerunt: sicut hæc, & alia in Pontificali sub Ordinatione Sacerdotis habentur. Itaque Apostolorum uices maiores obtinēt Sacerdotes, idest, Episcopi, qui dicuntur Summi. 1. q. 7. c. Accusatio. de consecr. dist. 5. c. manus. Discipulorum uerò uices, minores, idest, presbiteri. *Matth. 16* Petrum autem quasi in Summum Sacerdotem elegit Deus, ei præ omnibus claues regni cœlorum tradens, & ipsum præ cæteris ponens caput, & fidei fundamentum, inquiens: Tu es Petrus; & super hanc Petrā ædificabo Ecclesiam meam. Apostoli verò Episcopos nostri temporis, presbyteros, & Leuitas ordinauerunt, ut diximus in Tractatu de Diacono. Sacerdotes ergo nostri temporis sunt successores Septuaginta illorum virorum, quibus Dominus spiritum propagauit, & Septuaginta discipulorum: sicut Episcopi sunt Vicarij Moysi, & Apostolorum. Cur autē Christus non Septuaginta discipulos tantum, adinstar eorum Septuaginta uirorum, quibus Deus Moysi spiritum propagauit; sed Septuagintaduos elegit: uide rationem, quam posui in expositione illius Hymni, qui incipit: Beata nobis gaudia. uersi. primo.

Presbyterandus, seu manis ordinandus in Presbyterum, quibus cum rebus coram Pontifice apparere debeat.
Cap. IIII.

Quid portare debeat ordinādus in presbyterū pro sua ordinatione.

PResbyterandus, aut ordinandus quilibet in Presbyterum, secum habebit cum ad ordinandum se ad Presbyteratus Ordinem ad Episcopum accesserit; in primis amictum, secundo Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, in modum Diaconi Casulam, siue Planetam super brachium sinistrum, & panniculum, siue mappulam albam in sinistra; Et candelam in manu dextera tenens contra faciem Pontificis, ac medium altaris; facie similiter altari uersa.

Presbyterandus de quibus ab ordinante instruatur.
Cap. V.

Instructio fit ad ordinandum in presbyterum.

COnsecrandus, frater charissime, ad presbyteratus officium: illud dignè suscipere, atquè susceptum laudabiliter exequi studeas. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, & Baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, atquè prouidendum, vt cælesti sapientia, probi mores, & diuturna iustitiæ obseruatio ad id electos commendet. Vnde Dominus præcipiens Moysi, ut Septuaginta viros de uniuerso Israel in adiutorium suum eligeret: quibus Spiritussancti dona

diuideret;

diuideret; suggessit: Quos tu nostri; qui senes populi sunt. Tu si quidē in Septuaginta viris, & senibus signatus es; si per spiritum septiformem Decalogum Legis custodiens, probus, & maturus in scientia similiter & opere eris. sub eodem quoquè misterio, & eadem figura in Nouo Testamento Dominus Septuaginta duos elegit: atque binos ante se ad prædicationem misit; vt docerent uerbo simul, & facto; ministros Ecclesiæ suæ; fide, & opere debere esse perfectos; seu geminæ dilectionis; Dei, scilicet, & proximi virtute fundatos: Talis itaquè esse studeas: vt in adiutorium Moysi, & duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet Catholicorum: qui per Moysen, & Apostolos figurantur; dignè per gratiam Dei eligi ualeas. Hac certè mira varietate Ecclesia Sancta circundatur, & ornatur, & regitur: cum alij in Ecclesia Pontifices: alij Minoris Ordinis Sacerdotes; Diaconi, & Subdiaconi diuersorum Ordinum uiri consecrantur: & ex multis, & alternę dignitatis membris unum corpus Christi efficitur. Itaquè dilectissime frater; quem ad nostrum adiutorium; fratrum nostrorum arbitrium consecrandum elegit: serua in moribus tuis castæ, & sanctæ vitæ integritatem. Agnosce quid agis: Imitare quod tractas: quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrans, mortificare membra tua à uitijs, & concupiscentijs omnibus procures: sit doctrina tua spiritualis medicina populo Dei: sit odor uitæ tuę delectamentum Ecclesiæ Christi: & prædicatione, atque exemplo ædifices domum, idest, familiam Dei: quatenus nec nos de tua prouectione, neque tu de tanti Officij susceptione damnari à Domino; sed remunerari mereamur, quod ipse nobis concedat per gratiam suam; Amen.

Ordinandus in Presbyterum Sacram Communionem in die suæ ordinationis sumere præcipitur. Cap. VI.

PRæcipitur pariformiter, vt Subdiaconus, & Diaconus, ordinandus ad officium Presbyteratus, Sacrosanctam in die, in qua Presbyteratus Ordinem recipere est paratus; sumere Eucharistiam inter ipsa Missarum solennia, quando scilicet iam Pontifex ipse communicauit.

Eucharistiam sumere propè nat. ordinandus in Presbyterum.

Character in quo actu in Ordine Presbyteratus imprimatur. Cap. VII.

SEd si quæratur nunc, quonam in actu in Ordine Presbyteratus imprimatur Character: Respondebimus, quod, secundum Diuum Thomam in 4. Sentent. distin. 24. imprimitur, quando datur ei ab Episcopo Calix cum uino, & patena cum pane, cum debita verborum Forma, quia tunc confertur ei potestas ad principalem eius actum: qui est consecrare Corpus, & Sanguinem Christi.

Character in Ordine quando imprimatur. D. Thom.

Digitized by Google

Quaenam sit Ordinis Presbiteratus Materia. Cap. VIII.

Materia Ordinis presbyteratus.

AMplius si quæratur, quænam sit Presbiteratus Ordinis Materia; Respondere poterimus; quod est Calix cum uino, & aqua, & patena cum Hostia superposita.

Ordinis presbyteratus Forma quæ sit. Cap. IX.

Forma Ordinis presbyteratus. cap. presb. dist. 23.

VLterius Ordinis Presbiteratus Forma est, postquam Episcopus reflexit stolam, ab humero sinistro in dextrum, in modum crucis (dicendo: Accipe iugum Domini; iugum enim eius suaue est, & onus leue: & post quam dedit ei uestem Sacerdotalem, & consecrauit manus, dicendo: consecrare, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem, & nostram benedictionem; porrigendo calicem cum uino, & aqua, superposita patena cum Hostia) est, inquam; Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasq; celebrandi, in nomine domini. Deinde imponendo ambas manus super caput cuiuslibet, dicens: Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis retenta erunt, seu sunt.

Presbyter quis dicatur, & unde dicatur. Cap. X.

Vnde dicatur, & quis sit presbyter. c. cleros. dist 21. Sap 4. Num 1. Dist. 94. Genes. 5. Nota.

NVnc quis dicatur Presbyter, & unde dicatur, uidendum est; & quidem Presbyter, secundum Beatum Isidorum, Græcè, Latinè, Senior interpretatur; non modò pro ætate, uel decrepita senectute; sed propter honorem, & dignitatem quam acceperunt Presbyteri, nominantur. Senectus enim uenerabilis est, & cani sunt sensus hominum. de translat. c. Quanto. Vnde & Dominus inquit ad Moysen: Congrega mihi Septuaginta uiros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes sint populi, & magistri. Presbyter ergò, secundum Beatum Hieronimum in cap. legimus, propè finem, nomen est ætatis; Episcopus uerò dignitatis. non tamen, ut dictum est propter decrepitam ætatem; sed propter sapientiam Presbyter nominatur: cum enim noningentis, & eo amplius annis ab Adam usque ad Abraham uixisse homines legamus, nullus alius primus appellatus est Presbyter, idest, senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus uixisse annis conuincitur. Dicitur autem Presbyter, quasi alijs uiuendi prebens iter; uel prebens beatum iter, uidelicet populo de Exilio Mundi ad Patriam Paradisi. Amen.

Digitized by Google

Sacerdos quis dicatur. Cap. XI.

SAcerdos autem, Antistes dictus est; quia ante stat; & supra se nullum in Ecclesia habet, d.c.cleros, dist.21. Dicitur quoquè Sacerdos à Sacrificando: quia consecrat, & sanctificat. Vnde etiam dicitur Sacerdos, quasi Sacra dans, uel Sacer Dux. Sacerdos etiam dicitur iustitiæ cultor; iuxta illud: cuius meritò quis nos Sacerdotes appellat.ff.de iust.& iur.l.j. *Sacerdos quis sit.*

Sacerdotium quotuplex sit. Cap. XII.

ADuertendum nobis est, quod cum duplex reperiatur esse Sacerdotium apud Sacras literas: unum, nempe, quod externum nuncupatur, aliud uerò quod interius nominatur: proinde utrumq; explicandum est; ut cognoscamus de quonam Sacerdotio hoc in loco intelligere debeamus. Quod igitur ad interius Sacerdotium attinet, omnes fideles, inquit Romanus Cathechismus, post quam salutari aqua abluti sunt, Sacerdotes dicuntur, præcipuè iusti: qui spiritum Dei habẽt,& Diuinæ gratiæ beneficio Christi Summi Sacerdotis, uiua membra effecti sunt. Hi enim Fide, quæ Charitate inflammatur, in altari mentis suæ spirituales Deo Hostias immolant: quo in genere bonæ omnes, & honestæ actiones, quas ad Dei gloriam referunt, numerandæ sunt. Vnde in Apocalypsi ita legimus: Christus lauit nos à peccatis nostris in Sanguine suo, & fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri suo. In quam sententiam ab Apostolorum principe dictum est: Ipsi tanquam lapides uiui superædificamini domus spirituales, Sacerdotium sanctum, offerentes spirituales Hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Et Apostolus nos hortatur, ut exhibeamus corpora nostra hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum. Dauid item multo ante dixerat, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Quæ omnia ad interius Sacerdotium spectare facilè intelligitur. Externum uerò Sacerdotium, non omnium fidelium multitudini; sed certis hominibus conuenit, qui legitima manuum impositione, solennibusq; Sanctæ Ecclesię Ceremonijs instituti, & Deo consecrati, ad aliquod proprium sacrumq; ministerium adscribuntur. De hoc ergo Externo Sacerdotio hic nos intelligimus, & agimus: quod Sacerdotium certis hominibus attributum est & hoc tantummodo ad Ordinis Sacramentum pertinet.

Duplex constituitur Sacerdotium. *Apoc. 1.* *1.Pet.2.* *Rom. 12.* *Psal.50.*

Qualis esse debeat, qui assumendus est in Presbyterum. Cap. XIII.

QVoniam, ut dictum est, in Tractatu de Diacono; quæ Acolythum, eadem Subdiaconum, Diaconum, ac Presbyterum scire *Ordinandi in Presbyterum qualitates.*

Digitized by Google

oportet: Iccirco quæ sint necessaria scitu illi, qui in Presbyterum assumendus est, suprà in omnibus alijs Tractatibus posuimus; dum de conditionibus, & qualitatibus prædictorum diximus. Proinde ad superiores Tractatus ipsum remitto: in quibus inueniet, ordinandum in primis Baptizatum esse debere, Sacra Confirmatione confirmatum, sua peccata fuisse Sacerdoti confessum, Prima Tonsura initiatum, ipsum fuisse legitimè natum, ætate legitima munitum, scientia præditum, Ordinibus minoribus Ordinatum, in illis fuisse exercitatum, & huiusmodi, quæ ibidem fusius apparent: Verum, ut dilucidius illius, qui in Presbyterum Ordinandus est conditiones, & qualitates hic notificentur; ab Apostolo etiam describuntur, cum scribit ad Thimotheum, ubi nomine Episcopi Presbyterum significat; quandoquidem Episcopus, & Presbyterani quitus idem erant. dicit enim; Oportet ergo Episcopum, idest, Presbyterum irrepræhensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem: non uinolentum, non percussorem; sed modestum, non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum; si quis autem domui suæ præesse nescit: quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Et Concilium Trident. Qui piè, inquit, & fideliter in ministerijs anteactis se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium; & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem, aliud Episcopis uidebitur, ministrauerint; sed etiam ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda Sacramenta diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, et uitæ monita ab eis possint expectari.

Qualis eligi debeat in Presbyterum.

Sess. 23. cap. 14.

Presbyteri institutio quibus constet. Cap. XLIIII.

Quibus uerbis, & rebus instituatur presbyter.

CVm autem aliquem Sacerdotem Episcopus instituit, primum quidem manus ei, una cum omnibus Sacerdotibus, qui ibi adsunt imponit: Deinde stolam humeris aptans eam ante pectus in crucis formam componit: quo quidem declaratur, Sacerdotem uirtute indui ex alto, qua possit crucem Christi Domini, & iugum suaue diuinæ Legis perferre, eamque non uerbis solum, sed uitæ sanctissimè, & honestissimè actæ exemplo tradere. Postea manus sacro oleo inungit: tum uerò Calicem cum uino, & patenam cum Hostia tradit, dicens: Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasq; celebrandi tam pro uiuis, quam pro defunctis. Deniq; iterum Episcopus manus ordinato in Presbyterum, scilicet, capiti eius imponit, dicens: Accipe Spiritumsanctum: quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt: eique cœlestem illam, quam Dominus Discipulis suis dedit,

Digitized by Google

dedit, peccata retinendi, & remittendi potestatem tribuit. Traduntur autem Ordinato in Presbyterum prædicta omnia, Stola, scilicet, & Casula, Calix cum Patena, & superposita Hostia, ac etiam inungitur, sub certis uerbis, quæ res, & uerba, sunt de Substantia huius Sacramenti; cætera verò præcedentia, & sequentia de solennitate sunt.

Substantialia Ordinis presbyteratus.

Episcopi manus impositio super ordinando in Presbyterum quid significet. Cap. XV.

IDeo autem fit manus impositio super Ordinando in Presbyterum, quoniam per manum opera, per digitos Spiritussancti dona: per caput uerò mentem intelligimus. Rectè igitur manus imponitur: quia donis Spiritussancti in mente imbutus ad opera Christi mittitur.

Manuum impositio super ordinandũm presbyterum significatus.

Manuum impositio super Ordinandum, & consecrandum in Presbyterum unde duxerit originem. Cap. XVI.

MAnus verò impositio super Ordinandis, & consecrandis, sumpsit exordium ab Isaac, qui dum Iacob benedixisset, imposuit sibi manum. Gen. 27. & Moyses Iosue, cum eum populo præfecit. Num. 27. & Dominus Apostolis, cum eos principes mundi constituit: sed & ipsi Apostoli per manus impositionem Spiritumsanctum dederunt. Actorum 19.

Manuũ impositio super ordinandis unde ortũ traxerit. Genes. 27. Num 27. Act. 19.

Presbyteri manus ab Episcopo inunguntur, quarè, & qua forma. Cap. XVII.

MAnus item Presbyteri ab Episcopo inunguntur, vt cognoscat hoc Sacramento se per Spiritumsanctum suscipere uirtutem, & gratiam consecrandi: Vnde Episcopus eas inungens dicit: consecrare, & sanctificare digneris Domine manus istas per istam unctionem, & nostram benedictionem, vt quæcunque consecrauerint, consecrentur, & quæcunquè benedixerint, benedicantur, in nomine Domini.

Manus presbyterandorum cur ungantur.

16. q. 1. §. hoc inde.

Sacerdotalis Ordinis dignitas, & eminentia. Cap. XVIII.

HOc Sacerdotali Ordine certum est, nullum alium in Ecclesia Dei esse celsiorem: Episcopis tamen quædam superaddita est potestas: ne, si eadem potestas passim penes omnes sit, obedientia soluatur, & scandalum generetur. 89. dist. Ad hæc.

Excellẽtia Sacerdotij.

Digitized by Google

Ad Presbyteratum quis instituerit sic per alios Minores Ordines, & Maiores ascendere Sacerdotem. Cap. XIX.

Quib gradibus ascẽdatur ad presbyteratus Ordinem.

SEd si quis sciscitetur hic, quisnam mandauerit; ut quis ad Presbyteratum, vel ad Sacerdotium ascendit, Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytathus, Subdiaconatus, & Diaconatus, Ordines accipiat; Sancta Dei Ecclesia respondet; dum in Breuiario; de Caio Pontifice festans, dicit: Caius instituit, ut his Ordinum gradibus in Ecclesia ad Episcopatum ascenderetur: Ostiarij, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Si quis præterea percunctetur, quis tempora Ordinationum, & clericorum, ac sæcularium cætum poposcerit ad huiusmodi Ordinationem virorum adesse præsentem, Zephirinum Papam authorem, & institutorem fuisse dicemus; prout fas est legere omnibus huiusmodi Ordinationem in præmemorato Breuiario; Dum ecclesia illius uitam commemorat, dicens: Zephirinus sanciuit; vt qui Ordinandi essent, opportuno tempore, & multis præsentibus Clericis, & Laicis de more Sacris initiarentur; doctique, ac spectatæ vitæ homines ad id Officij munus deligerentur.

Nota.

Sacerdotes hodierni Christi, quosnam repræsentent. Cap. XX.

Hodierni Sacerdotes quos dicantur repræsentare. Ration. diui. Off. li. 2. c. 1. nu. 22. & 23.

DIcit Rationale diuinorum Officiorum, quod Sacerdotes Iesu Christi, uices gerunt Aedilium, qui apud Gentiles fuisse noscuntur: & quod Sacerdotes Gentilium Flamines dicti sunt, quasi filamines, quod filum in capite ferrent: Diebus autem festiuis filo deposito pro Sacerdotij eminentia pileum imponebant. Flamines ergo erant simplices Sacerdotes; Archiflamines, & Prothoflamines erant Episcopi, & Archiepiscopi, seu Primates.



Digitized by Google

SVMMARIA

SINGVLORVM CAPITVLORVM SECVNDÆ PARTIS OCTAVI TRACTATVS.


De

Digitized by Google

De præparatione, quam adhibere debet Sacerdos, aut Presbyter quando Missam vult celebrare.

Presbyteri munus, & officium quodnam sit. Cap. I.

Presbyteri Officium quod sit.



PRINCIPALE autem Sacerdotis officium est, Missam celebrare, Eucharistiam consecrare, & populo simplicem dare benedictionem, hoc est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in altari Dei conficere; Deum Laudare, orationes dicere, pro populo orare; dona Dei benedicere; quia cum ordinatur, inunguntur manus eius, vt intelligat se accepisse gratiam consecrandi, & benedicendi; hospitalitatem in peregrinos adhibere, & visitationem infirmorum folicitè exercere. Itaque hanc infrascriptam Sacerdos celebraturus Missam præ alijs facere debet præparationem.

Sacerdotis manus cur in Ordinatione sua unguntur.

Missam celebraturus Sacerdos uti præparari debeat. Cap. II.

Qui præparari debeat sacerdos ad celebran.

SAnè Sacerdos quilibet, qui celebraturus est Missam, ante omnia suũ pie debet exoluisse Officium, hoc est, Matutinum saltem cum Laudibus: sic enim præcipiunt Sacræ Sanctiones, & ipsius Missalis rubricæ. tex. est in cap. dolentes, cum similibus, extra de celebratione Missarũ.

Quid de his, qui nondum dictis Matutinis celebrant Missam. Cap. III.

An sit licitũ celebrare Missam prius quam dictum sit Matutinũ. Biel Alberic. Lactantius Randolfus.

SEcundum communem Doctorum opinionem, si quis omissis Matutinis celebraret, peccaret mortaliter, eo quod uidetur contemptor ecclesiasticæ consuetudinis. Hoc autem refert Biel in libello suo de expositione Missæ. Hoc idem tenet Albericus de Rosate in suo Dictionario, in verbo, Missæ, qui allegat ad hoc quodlibetum Sancti Thomæ Aquinatis. Nouissimo loco hoc idem affirmat Lactantius Ranfoldus in Tractatu suo de expositione Missæ, uidelicet, quod præter casum necessitatis mortaliter ageret Sacerdos celebraturus non absoluto Matutino.

Sacerdos celebraturus, ante debet confiteri sua peccata. Cap. IIII.

Qui est celebraturus peccata sua prius confiteatur.

SEcundo loco celebraturus Sacerdos, Episcopusve, aut quælibet alia persona, ad ueræ suæ præparationis perfectionem diligentissimè sua peccata (si sibi tamen alicuius peccati mortalis conscius fuerit) confiteri debet. Hoc enim præcipitur nobis per iura, & Concilia.

Nam

Nam præter id quod legitur in cap.de homi. de celebra.Miss.nouissimè iubetur in Conc. Tridentino, Sess. 13.cap.7. ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus uideatur, absq; præuia Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat: quod si necessitate urgente Sacerdos absq; prçuia Confessione celebrauerit, quam primum confiteatur.

Quæ esse debeat Tertia Sacerdotis celebraturi præparatio. Cap. V.

INsuper qualiter Sacerdos ad hanc communionem accedere debeat, discernere potest in esu Agni Paschalis. comedebant namque antiqui Veteris Legis Sacerdotes accintis renibus, calciatis pedibus, baculos habentes in manibus, cum lactucis agrestibus, & panibus azimis, & festinanter. Per Primum siquidem significatur puritas castitatis. Luc.12.Sint lumbi uestri præcincti. per Secundum affectus deuotionis.Cāt.7.Quam pulchra es in calciamentis filia principis.per Tertium memoria Dominicæ passionis Genes.32.In baculo meo transiui Iordanum istum. per Quartum amaritudo contritionis.Psal.79. Cibabis nos pane lachrimarum. Per Quintum promptitudo bonæ uoluntatis, & operationis. Prouer.22. Vidisti hominem uelocem in operibus suis? coram Regibus stabit. Hæc ex compendio Theologicæ ueritatis libro sexto. Cap 16.desumpta sunt.

Qui præparandus sit ad celebrādum Missam.
Exod.12.
Luc.12.
Cant.7.
Genes. 32.
Prouer.22.

Quarta Sacerdotis celebraturi præparatio quænam sit. Cap. VI.

ITem in Sacerdote celebraturo hæc quoque requiruntur, uidelicet in primis iudicium discretionis, munditia castitatis, mortificatio carnis, constantia fortitudinis, perseuerantia longanimitatis, perfectio charitatis: Vbi notatur Primum in Superhumerali; Secundum in Alba, Tertium in Cintura, Quartum in Manipulo qui portatur in brachio, sicut clypeus; Quintum in Stola, Sextum in Casula, de quibus omnibus in sequenti parte peculiariter, adiutore Deo, dicemus.

Diligentia quæ adhibenda sit, ut quis dignè celebret.

Quinta Sacerdotis celebraturi diligentia qualis esse debeat. Cap. VII.

HOc autem quod diximus, discretionis iudicium circa hoc uersabitur etiam, quod celebraturus ita demū se præparet, ut omnino seipsum non agnoscat ad hanc Christi corporis manducationem indignum, oscitanterque ad eam procedat. Indigna quandoquidem communio hominem peccatis illaqueat, damnationē præparat, proximum scandalizat, mentē excecat, tentationi subiugat, Deum irritat, uitā tēporalem breuiat, gratuitis demum spoliat. & hoc est, quod dicit Psaltes.

Præparatio quinta ad celebrādū quæ sit.

Fiat

fiat, inquit, mensa eorum coram ipsis in laqueum, Ecce Primum; & in retributionem, ecce Secunndum: & in Scandalum, ecce Tertium; obscurentur oculi eorum ne uideant; ecce Quartum; & dorsum eorum semper incurua, Ecce Quintum: Effundes iram tuam super eos, ecce Sextum: fiat habitatio eorum deserta, ecce Septimum: In tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet, Ecce Octauum.

Psal. 60.

Sexta Sacerdotis celebraturi prouidentia quæ sit. Cap. VIII.

Sexta ad Christi corpus conficiendũ præparatio. Oratio.

AMplius celebraturus Sacerdos hoc sexto loco ideo quinque Psalmos, uidelicet, Quam dilecta tabernacula tua, Benedixisti, Inclina, Credidi, & De profundis deuotissimè recitat, ut quicquid immundum quinque sensuum transgressione commisit, quinque illa Psalmorum recitatione abstergat. Orationes uerò subinde sequentes ideo etiam recitat, & dicit, prius quam ipse celebret, quia manifestè eæ pertinent ad cordis, & corporis munditiam, & munimen. Hanc autem præparationem non solum simplex sacerdos, sed & quilibet celebraturus Pontifex facere solet. Hæc Gulielm. Durand, lib. 4. c. 2.

Durand. li. 4. c. 2.

Quænam sit alia causa, ob quam prædictos quinque Psalmos recitet quilibet celebraturus. Cap. IX.

Cur ante Missã sint recitandi Psalmi.

NOn solum autem prædicti quinque Psalmi ob transgressionem quinque sensuum nostrorum ante Missam à nobis dicuntur; sed etiam ob id, quod in quolibet eorum fit mentio de his, quæ spectant ad augustissimum hoc Sacramentum. In Primo si quidem Psalmo dicitur de altaribus: in Secundo de misericordia Dei; in Tertio de Oratione, in Quarto de Oblatione, ibi Calicem salutaris accipiam, &c. in Quinto de finali redemptione, quia apud Dominum misericordia. Hos autem quinque Psalmos dum recitat quiuis Pontifex celebraturus, caligas aerei siue cælestis coloris assumit, ut cęlestes debeat habere pedes, idest, affectus. Assumit & calceos, ut super serpentes, & scorpiones fortiter calcare possit: Accipit etiam isto interim crucem cathenulis insertam, eam sibi ante pectus statuens ad signandum, quod ait Apostolus, glorificate, & portate Deum in corpore uestro: Assumit & chyrothecas eis manus operiens, ut nesciat sinistra sua quid faciat eius dextera. Accipit & mitrã, scientiã Vtriusq; Testamenti designantẽ. Per anterius cornu Nouum, per posterios Vetus Testamentum: quæ duo Episcopus debet memoriter scire, quando autem, mitra est linea: & alba, castitatis candorem, munditiamq; significat. Vnde hoc ornamentum multum capiti necessarium erat, in quo quinque sensus corporis uigent, quibus corruptis, facilè castitas uiolatur. Accipit anulum significantem fidei integritatem, ob eius continuitatem. Accipit & baculum, qui correctionem populorum signat.

Innocen. Papa III. De myster. Miss. lib. 1. cap. 48. & 57.

Assumit

Digitized by Google

Assumit quoque sudarium, per quod mundanos extergamus affectus. Pallium quoquè sibi assumunt demum interim dum prædictos quinque Psalmos recitant Patriarchæ, & Metropolitani, ut per illud à cæteris Episcopis designetur, quod priuilegiatam obtinent dignitatem. Et hæ obiter dicta sint à nobis.

Septima Sacerdotis celebraturi diligentia, ac prouidentia qualis esse debeat. Cap. X.

QVicunque autem, aut Pontifex, aut Sacerdos celebraturus manus Lauat, propter reuerentiam tanti Sacramenti, quatenus ad illud pertractandum mundissimus accedat: iuxta illud, Lauamini; qui fertis uasa Domini; & Apostolus, Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio. Sacerdos ergo prius quã ad altare ueniat, per Cõfessionem, & cum lachrymis pænitentiæ se abluat, & per mentis amaritudinem se purget. Quod & Concilium Tridentinum præcipit etiam, dicens: Nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus uideatur, absque præuia Sacramentali Confessione ad Sacramentum Eucharistiæ accedere præsumat.

Septima ad conficiẽdũ Sacrã Euchari-stiam quæ esse debeat præparatio.

Esai. 4.
Sess. 13. c. 7

Manuum lotio unde sumpserit exordium. Cap. XI.

MAnuum lotio à Lege Veteri sumpsit exordium: legitur namq; in Exodo, quod Moyses fecit labium æneum de speculis mulierum; in quo lauabant se sacerdotes in ingressu tabernaculi testimonij, quando ingressuri erant ad altare. Sed de hac materia uide aliquid in expositione, quam ego feci in Hymnum, qui incipit: Ad cœnam agni prouidi, & stolis albis candidi.

Lotionis manuũ initium unde.
Exod. 30. 38. & ult.

Sacerdos celebraturus cuiusnam gerat uices. Cap. XII.

SAcerdos, inquit Rupertus, in Officio altaris capitis sui, scilicet, Christi, cuius membrum est, personam gerit, cuius quidem Ruperti uerba Ioannes Baptista Monachus Cassinas in vulgari sua Missæ expositione c. 19. perpulchrè declarans, multis auget supplementis, decoransq; eiudem uerba multis authoritatibus dicens; quod in omnibus Sacramenti Missæ actionibus Christum repræsentat summum Sacerdotem, de quo in spiritu loquens Dauid dicebat, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Hoc idem refert Durandus lib. 4. cap. 6. Hunc autem Melchisedech figurauit Christus manifestè dum carnem suam sub speciebus panis, & uini manducandam Discipulis, imò omnibus dedit. Loquens item Apostolus de hoc sancto sacerdote Melchisedech, inquit, primum quidem, quia interpretatur Rex iustitiæ, deinde, & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine Genealogia, neque initium dierum, neq; finem

Celebrans Missam cuius uices gerat.
Lib. 1 c. 19 de diu. Off.
Ioã Baptista.
Psal. 109.
Duran.
Hebr. 7.

uitæ

Digitized by Google

uitæ habens: Assimilatus est autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum. Intuemini autem quantus sit hic, cui decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. Huius autem nostri Sacerdotis Summi, uidelicet Christi amplitudinem itidem Apostolus celebrans ait. Et alij quidem plures facti sunt Sacerdotes sine iureiurando: Hic aũt eo quod maneat in æternũ sempiternũ habet Sacerdotiũ: talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum nos Sacerdotes) prius pro suis delictis offerre, deinde pro populi.

Sacerdos celebraturus debet habere Tonsuram. Cap. XIII.

Tõsuratus esse debet celebrans.

VT autem ueram Christi personam gerat Sacerdos celebraturus, Tonsuram, quæ spineam coronam, quam Christus Rex noster seipsum in ara crucis oblaturus portauit, significat, deferat etiam, cùm præsertim se accingit ad Corpus, & Sanguinem Christi offerendum. Hoc enim nobis præcipitur à Bonifacio in titulo de Cler. coniug. cap. 1. lib. 6. præcipitur & in cap. clericis. de uita, & honest. Cleric. Expressius habentur prædicta, in Conc. Triden. Sess. 23. c. 6. cum inquit: Cum clerici Ecclesiæ seruiunt, uel ministrant, clericali habitu, & tonsura utantur; nemini quoad hoc priuilegio, uel consuetudine etiam immemorabili suffragante.

c. 1 de cler. cõiug. in 6. ca. clericis, de uit. & honest. Cleric. Conc. Trid. Sess 23. c. 6

Tonsura unde sumpserit originem. Cap. XIIII.

AB eo originem autem credimus tonsuram, uel coronam, quam nos Sacerdotes continuè deferre tenemur in capite; quod dicitur ad Ezechielem Cap. 44. originem sumpsisse; ubi dicitur: Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua. Hoc autem non est absq; magna emphasi: nam capilli in capite, exteriores sunt cogitationes in mente; qui dum super cerebrum, inquit Gregorius insensibiliter oriuntur, curas uitæ præsentes exprimunt.

Ezech. 44. In Pasto. li 2. c. 28.

Sacerdos celebraturus habitum clericalem debet habere. Cap. XV.

QVod uerò clericus habitum clericalem deferre debeat, dum tantum maximè tractat Sacramentum, ex superioribut iuribus clarum euadit. Nam præterquam quod in prædicto capitulo unico, de cler. coniug. in 6. dicitur etiam, & præcipitur in cap. penult. de uit. & honest. cler. necnon & in Conc. Trid. per totum, præsertim in cap. 6. Sess. 23. Dum inquit, Clerici deseruientes Ecclesiæ maximè dum ministrant clericali habitu utantur, nemini quo ad hoc priuilegio, uel consuetudine etiam immemorabili suffragante; & alibi:

cap. un de cle. cõiug. in 6. cap. pen. de uit. & honest. cleric. Conc Trid. Sess. 23. c. 6.

Digitized by Google

alibi: vestitu, inquit, desuper decenti omnes Sacerdotes tam in Ecclesia, quàm extra assiduè vtantur.

Oculorum, & linguæ officium debet habere Sacerdos celebraturus. Cap. XVI.

QVantum autem sit necessaria sermonis facultas, oculorumque etiam officium, vt scilicet Sacerdos possit distinctè proferre omnia totius Sacrificij Missæ, necnon & ipsius Consecrationis verba; & ipsa oculorum habilitas, siue usus, ex dictis ultimæ Decretalis, de clerico ægrotante, manifestè apparet: inquit enim ibi Pontifex. Archidiacono autem, quem morbo paralitico laborantem officium linguæ, ac oculos asseris amisisse, coadiutor est merito adhibendus. Hoc autem linguæ officium omnino est de necessitate, ut communiter tenent Doctores, & præsertim Ranfoldus in suo Tractatu de Mysterio Missæ, c. 3. *cap ult. de cler. ægrot.* *Lactantius Ranfoldus.*

Celebraturus Sacerdos debet esse ieiunus. Cap. XVII.

QVi autem post medium noctis aliquid sumpsit per modum cibi, idest, in stomachum, vel in via ad stomachum, siue sit nutritiuum, siue medicinale digestiuum, uel laxatiuum, non debet celebrare, vt omnia iura præcipiunt; & notatur per Host. in Summa de consec. Eccles. vel Alt. §. & qualiter. Quemadmodum nec ille, qui post ablutionem, uel purificationem factam, potest amplius illo die celebrare; quod si faceret, mortaliter peccaret secundum communem opinionem Doctorum, quamuis hoc sit de congruo, secundum Lactantium Ranfoldum, & non de necessitate. *Car. Host.* *Lact ca. 3. de Exp. Miss.*

Celebraturus Sacerdos Ordines habere debet. Cap. XVIII.

PRæterea quicunque Sacerdos volens Christi Corpus conficere, Ordines habere debet, hoc est potestatem Ordinis, quæ datur in collatione Ordinis Sacerdotalis, dum Episcopus aliquem in Presbyterum ordinat, tradit ei calicem cum patena infuso vino, aqua mixto, & pane superposito dicit; Accipe potestatem celebrandi pro uiuis, & mortuis. Vnde si quis sine Ordinibus celebraret, ultra peccatum mortale, deponendus esset, ut statuit Pontifex in c. 1. de cler. non ordin. ministr. Hoc ergo utique Sacramentum nemo inquit Pontifex in c. 1. de summ. Tri. & fid. cathol. §. & hoc, potest conficere, nisi Sacerdos qui ritè fuerit ordinatus, secundum claues Ecclesiæ. Et sic ex istis manifestè apparet, quod Ordinis potestas omnino est de necessitate in Sacerdote; quod Lactant. quoque de Mysterijs Missæ disserens. c. 3. *c. 1 de sum. Trinit. & fid. cathol.* *Lactant. Ranfoldus.*

Digitized by Google

tenet. Pari modo celebrare nequit, qui est Degradatus, Excommunicatus, Suspensus, atque Interdictus, & huiusmodi: vt patet in tit. de cler. excom. per totum.

Sacerdos celebraturus ætatem habere legitimam debet.
Cap. XIX.

C. de Episc. & cler. l. Presbyterũ. Cle. si. de æta. & qual. Concilium Trid. Sess. 23. c. 12.

QVam autem ætatem habere debeat quilibet Sacerdos celebrandi cupidus, ex multis iuribus colligere possumus: Primo enim ex Legibus Imperialibus, vt C. de Episcopis, & cler. l. Presbyterum; Secundo ex Clem. fin. de ætate, & quali. &c. Hoc demum patet in Conc. Triden. Sess. 23. c. 12. cum inquit: Nullus in posterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum, ad Diaconatus ante vigesimumtertium; ad Presbyteratus ante vigesimumquintum ætatis suæ annum promoueatur.

Sacerdos ignarus literarum, mancus, leprosus, spurius, monstruosus, atque furiosus, inhabilis est ad celebrandum. Cap. XX.

c. fi. de æta. & quali. c. cũ in cunctis, de electio.

QVod defectus scientiæ deijciat sacerdotem, ne celebret, patet in ca. fin. de ætat. & qualit. & ordine præficien. De mutilatis, mancis, & huiusmodi, præcipitur in titu. de corpore uitiatis ordinandis, vel non, per totum. De nato ex illegitimo matrimonio, statuitur in Decretali, cum in cunctis, cum similibus, extra de elect. Furiosus quoque excluditur ab huiusmodi celebrandi actu sine culpa, qui tamen communicare potest quando habet lucida interualla. Cæterum de omnibus supradictis legitur in Leuitico voce superna ad Moysen dictum esse: loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cœcus, si claudus, si uel paruo, uel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, si gibbus erit; quæ omnia sint nobis uti supradictorũ peroratio; si tamen multo plura uis de istis videre, assume ibi elucidationem, quam feci in Hymno, qui incipit: Ad cœnam Agni prouidi, ubi multa tibi ad hanc rem facientia cernere licebit.

Leuit. 21.

Lib. 3.

Intentio Sacerdotis celebraturi quænam esse debeat circa consecrationem Panis, & Vini in Corpus Christi.
Cap. XXI.

Ioannes à Turre Cre. Gabriel Biel. Summa Angelica.

HOc nouissimo loco omissis ijs, quæ D. Ioannes à Turre Cremata dicit in cap. oportet, de consecrat. dist. 2. & Gabriel in præfata eius expositione Missę, cap. 2. duos casus hic ponam, ex quibus poterit quilibet discretus Lector agnoscere quãnam Sacerdos celebraturus intentionem habere debeat, ut in Missa Corporis Christi Sacramentum conficiat. Dico igitur quod Summa Angelica de hac materia sic fatur. Quid

inquit

Digitized by Google

inquit si Sacerdos acceptis pluribus Hostijs consecrandi animo: deinde quando uenit ad actum Consecrationis, non aduertit nisi ad eam, quam habet in manu. Respon. omnes sunt consecratæ, quia non requiritur de necessitate intentio actualis, sed uirtualis, qua fuit, quando præfatas Hostias accepit ut eas consecraret. Prçterea itidem sic disserit Franciscus à Victoria in eius Summa, de Baptismate, §. 35. Requiritur, inquit, intẽtio Baptizandi; nec quando Baptizat, requiritur actualis intentio; sufficit enim uirtualis, idest, quod prius uoluerit Baptizare, licet tunc quando Baptizat, cogitet de impertinentibus. Debet tamen habere Sacerdos, secundum communem Doctorum sententiam, & præsertim Domini Lactantij Ransoldi in sua expositione Missæ c. 3. intentionem conformem illi Ecclesiæ, ut uidelicet intendant facere secundum rectam intentionem Ecclesiæ. Ad perfectionem ergo Sacramenti requiritur intentio ministri, qui se subijciat principali agenti; ut scilicet intendat facere, quod Christus fecit, & nunc eius Ecclesia; aliàs sine intentione in hoc, ac etiam in alijs Sacramentis nihil minister ageret. Quod & Conc. Trid. aduertit, dùm inquit; Si quis dixerit, in ministris dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, Anathema sit. Quocirca collige ex prædictis amplam nostræ quæstionis solutionem. *Sess. 7. can. 11.*



Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM
TERTIÆ PARTIS
OCTAVI TRACTATVS.

1 *Amictu ut quid celebraturus Sacerdos se induat.*
2 *Amictus quid significet.*
3 *Amictus mysticè quid denotet.*
4 *Quid Rupertus Abbas dicat de hoc amictu.*
5 *Quid Alba designet.*
6 *Alba mysticè quid.*
7 *Alba quid denotet secundum Rupertum.*
8 *Zona siue cingulum quid significet.*
9 *Mysticè zona quid innuat.*
10 *Manipulus quid designet.*
11 *Manipulus mysticè quid.*
12 *Ruperti opinio circa manipulum.*
13 *Manipulus cur in sinistra geratur.*
14 *Stola quid designet.*
15 *Mysticè stola quid notet.*
16 *Ruperti opinio circa stolam.*
17 *Stolam cur osculetur dum eam assumit Sacerdos.*
18 *Stola cur ad lumbos succingatur.*
19 *Stola cur tantūmodo humero, nō etiā collo Diaconorū imponatur.*
20 *Stola quibusnam uti prohibitum sit.*
21 *Planeta quid signet.*
22 *Casula, vel alias planeta mysticè quid signet.*
23 *Rupertus quid de casula dicat.*
24 *Casula undique clausa, integraque, quid notet.*
25 *Gulielmi sententia circa integritatem casulæ.*
26 *Fimbriæ omnium prædictarum uestium quid notent.*
27 *Vestes sacræ vnde duxerint initium.*
28 *In quo iure nostro, siue lege cautum sit, vt sacerdotes nouæ Legis vtantur vestibus sacris in celebratione Missarum.*
29 *An sacerdos conficiat Corpus Christi sine vestibus, & paramentis consuetis.*

30 An

30 An vestes prædictæ sacerdotales possint fieri ex vestibus alicuius Dominæ, vel alterius viri sæcularis.
31 Quibus vestibus vti debeat sacerdos non celebraturus, sed communicaturus, quibusque cæteri sæculares.
32 Ex quibus coloribus constare debeant paramenta quibus celebraturus sacerdos vti debet.
33 Indumentis albis quibus in diebus vtatur Ecclesia.
34 Cur in prædictis festis utendum sit albo colore.
35 Rubeo colore quando uti debeat celebraturus sacerdos.
36 Quamobrem in iam dictis festis sit vtendum rubeo colore.
37 Viridi colore, quando ad celebrationem vtatur sacerdos.
38 Hoc tempore viridi colore cur vtatur Sacerdos in Missa.
39 Paramenta violacea quando sint à sacerdotibus adhibenda.
40 Cur violaceo colore hoc tempore vtantur sacerdotes.
41 Nigris vestibus quando vti debeant sacerdotes in Missa.
42 Præhensio Calicis, & Hostiæ à sacerdote celebraturo quid signet.
43 Sacerdos accinctus accedens ad altare quid notet.
44 Sacerdos celebraturus solenniter vt quid per semetipsum non portet Calicem.
45 Cereoli præcedentes sacerdotem celebraturum quid notent.
46 Candelabra supra quæ cereoli feruntur, quid designent.
47 Vt quid Diaconus, & Subdiaconus præcedant sacerdotem celebraturum cum solennitate.
48 Innocentii Papæ opinio circa præcedentiã ministrorum prædictorũ.
49 Subdiaconus cur portet ante sacerdotem celebraturum, Missale.
50 Secundum Dominũ Innocẽtium cur Subdiaconus portet Missale.
51 Subdiaconus cur Missale clausum ante sacerdotem portet.
52 Thuriferarius quid notet, & cur ceroferarios, & alios antecedat.
53 Thuribulum quid significet.
54 Ignis, & thus in Thuribulo quid significent.
55 Alia Thuribuli significatio quænam.
56 Cur candelabra Acolythi teneant in manibus, donec incipiatur Kyrie eleyson.
57 Inclinatio sacerdotis ante Altare, quid designet.
58 Sacerdos cur primo inuocet Sanctissimam Trinitatem.
59 Cur sibi sacerdos signum crucis imprimat, dum dicit; In nomine Patris, & Filii, & Spiritussancti.
60 Signũ crucis quibus mẽbris, siue articulis sit à nobis exprimendũ.
61 Sacerdos celebrans cur præmittat Psalmum: Indica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta &c.

Digitized by Google

101 Tertia

Digitized by Google

De Sacerdotalibus indumentis, & confessione Sacerdotis ante Altare, & de Altari cum caeteris super eo positis.

Amictu vt quid celebraturus Sacerdos se induat. *Cap. I.*

LOtis itaque manibus, Episcopus, siue Sacerdos celebraturus prae alijs amictum capit, dicens, Impone Domine capiti meo galeam salutis ad expugnandos omnes Diabolicos incursus: & hoc faciũt, vt iussis Apostoli obtemperent, dicentis; Galeam salutis assumite. *Inno. III. eo lib. c. 50. Ephes. 6.*

Amictus quid significet. *Cap. II.*

ISte autem Amictus ad literam significat in Christo velamen, quo faciem Christi in domo Cayphę illudentes, & percutientes Iudaei operuerunt, dicentes; Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit. Haec Biel. c. 2. & Nicolaus de Ploue, de Horis Canonicis. *Luc. 18. Biel.*

Amictus mysticè quid denotet. *Cap. III.*

MYsticè autem humanam naturam in Christo significat, qua tecta est Deitas, quae est caput Christi. Haec Biel ibidem, quae & Ioannes Baptista praedictus Cassinen. Monachus exornat multis authoritatibus. *Biel.*

Digitized by Google

Quid Rupertus Abbas dicat de hoc Amictu. Cap. IIII.

VEniens, inquit Rupertus, ad saluationem mundi Dei filius, Angelus magni Consilij nube amictus est, dum Diuinitatem suam, quę est caput (nam sicut per pedes Domini, Christi humanitatem vt dixi in expositione illius Hymni, qui incipit: Nardi Maria pistici, sumpsit libram mox optimi, vnxit beatos Domini pedes, ita per caput eius diuinitatem in Sacris literis accipimus,) & principium in nostra carne abscondit. Hoc ergo carnis latibulum prima vestis sacerdotis, hoc est, amictus significat. Vnde legimus in Apoc. 10. Angelum fortem descendisse de cœlo, amictum nube.

Quid Alba designet. Cap. V.

Luc. 23. HIstoricè Alba vestem ludicram albam significat, qua velut stultus Dominus noster vestitus est ab Herode, & in ea remissus ad Pilatum. Vide Innocen. Papam lib. 1. de Myst. Miss. cap. 51. & hoc idem dicit Lactantius Ranfoldus in sua vulgari Missæ expositione.

Innoc. III. Lactant.

Alba mysticè quid designet. Cap. VI.

ALbam mysticè munditiam castitatis designare, ex ijs quæ supra diximus tractatu pręcedenti, quęst. 5. apparere potest. Vel secundum Durandum signat nihil superfluum, aut dissolutum in uita Sacerdotis, aut in eius membris esse debere, ob id, quod conuenienter membris corporis adaptatur: nam corpus à sursum usque ad deorsum tegit.

Alba quid denotet secundum Rupert. Cap. VII.

Rupertus lib. c. 20. ALba, inquit ille, lineum est vestimentum, & strictum, longissimè distans à tunicis pelliceis, quæ de mortuis animalibus fiunt, quibus post peccatum uestitus est Adam, utpote nihil mortis habens, sed tota candida nouam uitam conuersationemque etiam Sacerdotij eius, quam docuit, & in Baptismo dedit, denotãs: ut de Baptismo surgentes, cingamus lumbos in ueritate, & tota pristinorum peccatorum turpitudo celetur: unde Dauid, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Hanc Ruperti opinionem sequitur Ioannes Bap. Cassinen. exornans multis authoritatibus eius sententiam.

Ioan. Bap.

Zona seu Cingulum, quid significet. Cap. VIII.

POrrò cingulum, flagellum quo cæsus Christus Rex noster circa columnam, uel ligamen quo ligatus est in flagellatione, significare dicere possumus. Quod & Lactantius Ranfoldus, qui ultimus omnium de hac re tractauit, approbat, & tenet in sua uulgari Missæ expositione, c. 4.

Lactant. Ranfold.

Mysti-

Mysticè zona quid innuat. Cap. IX.

DEbet, inquit Durandus, Alba circa lumbos Sacerdotis, seu Pontificis zona, seu cingulo, quod in Lege, & apud Græcos Baltheum dicebatur, præcingi, ut castitas Sacerdotis, per Albam significata, nullis incentiuorum stimulis dissoluatur. Cingulum namque continentiam significat. Vnde sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus uestris. Vel Cingulum secundum Lactantium Ranfoldum indissolubile charitatis uinculum quo filius Dei copulauit sibi naturam humanam, secundum antiquam promissionem significat. Vnde Hierem. In charitate perpetua dilexi te, & ideo attraxi te miserans. *Durand. lib. 4.* *Luc. 12.* *Lact. Rãf.* *Hier. 31.*

Manipulus quid designet. Cap. X.

MAnipulum funem, quo ligatus fuit Dominus noster Iesus Christus, quando captus fuit signare, nemo hæsitet. Vnde Ioan. Cõprehenderunt, & ligauerunt eum. Quod & Durand. & Nicolaus de Plou. approbant, dum de istis in expositione Missæ uerba faciunt. *Ioan. 17.* *Duran.* *Nicol. de Plo.*

Manipulus mysticè quid. Cap. XI.

PEr manipulum, inquit Guliel. bona opera, & uigilãtia designatur; de qua Dominus ait; Vigilate, quia nescitis, qua hora filius hominis uẽturus sit. Vel per manipulum præmium designatur, iuxta quod legitur: Venientes autem uenient cum exultatione, portantes manipulos suos. *Matt. 24.* *Psal. 125.*

Ruperti opinio circa Manipulum. Cap. XII.

MAnipulus, inquit Rupertus, quẽ in brachio sinistro gestat Subdiaconus, dextra uacãte, ut expeditior sit ad ministrãdũ, illud nobis innuit, quod si timentes securim iudicij æterni (quæ iam ad radicẽ arborum posita est, ut omnis arbor, quæ non facit fructum bonũ excidatur, & in ignem mittatur) prædictam pœnitentiam susceperimus, & dignos pœnitentiæ fructus fecerimus; manipulos iustitiæ reportabimus: iuxta illud; Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, uenientes autem, uenient cum exultatione, portantes manipulos suos. *Rup. c. 33.* *Matt. 3.*

Manipulus cur in sinistra geratur. Cap. XIII.

SAnè, inquit Durandus, Ministri manipulum in brachio sinistro ferunt, ad notandum quod stricti debent esse in hac uita, quæ per sinistrum brachium signatur, ad terrena, sed ad cœlestia expediti. *Lib. 3. c. 6.*

Stola

Digitized by Google

Stola quid designet. Cap. XIIII.

Gabriel. Biel.

STolam significare ligamen, quo ligatus fuit Christus ad Columnã nemo ambigit. Itaque Cingulum, Manipulus, & Stola, tria sunt ligamina, quibus Christus ligatus est in captura, siue captione, flagellatione, & crucis baiulatione.

Mysticè stola quid notet. Cap. XV.

Lactant.

STola, quæ per modum crucis collo imponitur, ipsum crucis patibulum in humeris gestum repræsentat. Vel secundum Gulielmũ Stola significat iugum præceptorum Domini, ut iugum Domini se sum psisse demonstret. Quam Durandi opinionem approbat etiam Lactantius Ranfuldus.

Ruperti opinio circa stolam. Cap. XVI.

Ruper. lib. 1. de Diu. Off. c 21.

STola, quæ super amictum collo Sacerdotis incumbit, obedientiã significat filij Dei, & seruitutem, quam Dominus omnium propter sæculorum salutem subijt. Et sicut Iacob liber, & ingenuus præcepto patris Isaac, & Consilio Rebeccæ parens seruiuit Laban, ut Rachel, & Liam in coniugem duceret, sic filius Dei præcepto patris, & consilio Spiritus sancti obediens, seruiuit mundo, subiectis humeris eius peccata portando, ut Synagogam de Iudæis, & Ecclesiam de gentibus assumeret.

Stolam cur osculetur, dum eam assumit Sacerdos. Cap. XVII.

Inn III. de Myst. Miss. tit. 1. c. 32.

STolam cum osculo sibi imponit Sacerdos, & deponit, ad notãdum assensum, & desiderium, quo se subijcit huic præceptorum Domini iugo. Illa autem à collo per anteriora descendens, dextrum, & sinistrum latus adornat: quia per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, idest, in prosperis, & in aduersis Sacerdos debet esse munitus: quatenus nec aduersis frangatur, nec prosperis eleuetur.

Stola cur ad Lumbos succingatur. Cap. XVIII.

AD lumbos autem stolam sibi succingit celebraturus Sacerdos, vt ipse sit fortis & expeditior impugnare libidinem. Quandoque tamen super sinistrum brachium pars anterior stolæ complicatur; quod tractum est à Legalibus Sacerdotibus, qui dum sacrificabant summitates Balthæi super humerum inflectebant.

Stola

Digitized by Google

Stola cur tantummodo humero, non etiam collo Diaconorum imponatur. Cap. XIX.

ADhuc stola sinistro humero Diaconi imponitur, quia decet temporalia, quæ per sinistram designantur, spiritualibus deserui re. Vel quia dextram Diaconi oportet esse liberam, ut expeditius ad ministerium Sacerdotij discurrat.

Stola quibusnam uti prohibitum sit. Cap. XX.

STatutum est in Sacris Canonibus dist. 23. c. non oportet, el secondo & duobus cap. sequent. ne Subdiaconi, Lectores, & Psalmistę Orariis, siue Stolis utantur. *Dist. 23. c. nō oportet.*

Planeta quid signet. Cap. XXI.

PLaneta uestem purpuream, secundum sensum literalem significat, qua in Prætorio Pilati Dominus post flagellationem Sanctissimum Christi Corpus vndique perfundentem indutus est, illusus, percussus, & inimicis Iudæis ostensus.

Casula, vel aliàs Planeta mysticè quid signet. Cap. XXII.

POstremò, inquit Durandus, super omnes uestes induitur Sacerdos Casula, quæ quasi parua casa dicitur, significans charitatem, sine qua Sacerdos est, sicut æs sonans, aut Cimbalum tinniens. Sicut enim charitas operit multitudinem peccatorum, & omnia Legis, & Prophetarum mandata continet, dicente Apostolo, Plenitudo Legis est charitas: sic & hæc vestis cũcta alia indumenta intra se claudit, & continet. Hæc profectò perpulchra sunt, quæ D. Durandi sunt, at nunc Rupertum audi. *Durā. lib. 3. c. 7.* *Cor. 13.* *1. Petr. 3.*

Rupertus quid de Casula dicat. Cap. XXIII.

CAsula, inquit ille, magni Sacerdotis nostri Christi vestimentum significat, illud uestimentum veri Aaron. Quod est illud uestimentum? Sancta Ecclesia Catholica. Nam barba Aaron sunt Apostoli Christi, atque Apostolici uiri fortes, & perfecti. Vnguentum autem Regale, & Sacerdotale Spiritussanctus est, cuius tota plenitudo est in capite, scilicet Christo; atque inde primum in Apostolos, quasi in barbam, deinde in totam Ecclesiam, & usque in extrema Ecclesiæ membra, quasi in oram uestimenti descendit. Casula ergo uestimentum Christi, quod est Ecclesia, significat. *Ruper. lib. 1 c. 23.*

Digitized by Google

Casula undiq; clausa, integraq; quid notet. Cap. XXIIII.

Ruper. ibid. IBidem Rupertus ait, in eo quod Casula est una, & tota integra cum aptitudine manuum, quæ extensionem manuum Crucifixi Domini aptè depingit in anteriorem, & posteriorem partem quodammodo diuiditur: signum est Antiquæ Ecclesiæ, quæ passionem Domini præcessit, & Nouæ, quæ subsequitur.

Gulielmi sententia circa integritatem Casulæ. Cap. XXV.

QVod autem, inquit Casula una, & integra, & undique clausa est, significat fidei unitatem, & integritatem, ueruntamen in extensione manuum in anteriorem, & posteriorem partem quodammodo diuiditur, designans antiquam Ecclesiam, quæ Passionem Christi præcessit, & nouam quæ Christi Passionem sequitur: Nam, & hoc est id plus, quod dicit Durandus, quam Rupertus, & qui præibant, & qui sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna filio Dauid: bene dictus qui uenit in nomine Domini. Matt. 21. Ioan. 19.

Fimbriæ omnium prædictarum uestium quid notent. Cap. XXVI.

FImbriæ vel Manipuli, uel Stolæ, uel cuiuslibet Sacræ uestis, perseuerantiam significat eorundem bonorum, vel completionem morum.

Vestes Sacræ unde duxerint initium. Cap. XXVII.

In c. concedimus, de Consecrat. dist. 1. Exo. 28. & 31. DE vestibus Sacerdotalibus, inquit Ioã. à Turre Cremata, in Veteri Lege præcipit Dominus Moysi, ut faceret Aaron, & filiis suis uestes Sanctas in gloriam, & decorem, ut non nisi loti, & Sacris uestibus induti Sacerdotio fungerétur. Cum ergo Sacerdotes Nouæ Legis maioris debeant esse perfectionis, quàm Sacerdotes Veteris Legis, cũ pretiosiora sint Sacraměta, quæ per ipsos tractãtur: meritò institutũ est, ut Sacerdotes Nouę Legis nõ nisi uestibus Sacris induti debeãt celebrare hoc pstantissimũ Sacrificium. Ad ornamentũ & decorẽ quoq; Ecclesiæ sunt ordinatę tales uestes; Vnde Dauid, qui plurima disposuerat ad decorem Ecclesiæ, dicit: Domine dilexi decorem domus tuæ.

In quo iure nostro, siue lege cautum sit, ut Sacerdotes Nouæ Legis utantur vestibus sacris in celebratione Missarum. Cap. XXVIII.

Arch. in c. cõcedimus, de Consec. dist. 1. SCire debes, inquit Dominus Archidiaconus Florentinus, quod in Conc. Ramensi cap. 4. statutum fuit, ut nullus Presbyter absq; amictu, alba,

ctu, alba, stola, fune, manipulo, & casula, quæ omnia, secundum præfatum Ioannem in præallegato capitulo, uirtutes, quibus ornari debeant Sacerdotes, designant, nullatenus præsumat Missam celebrare. Nec unquam Presbyter ijs indutus extra Ecclesiã exeat; quia hoc lex diuina prohibet. Brocard. cap. nullus Presbyter. lib. 2.

An Sacerdos conficiat Corpus Christi sine uestibus, & paramentis consuetis. Cap. XXIX.

QVærit insuper Archidiaconus, utrum Sacerdos sine uestibus, & paramentis consuetis Christi Corpus conficiat, dicens: sed nunquid sine uestibus Officio Missæ deputatis possit confici Corpus Christi: Credo, inquit, ille, si fiat, uerum Corpus, erit sacramentum, licet grauissimè peccet, qui hoc fecerit scienter: si ergo est Sacerdos, & adest intentio, & debita materia, & forma, dicitur nihilo minus Christi Corpus à se consecratum esse. Et si quis isto modo celebrauerit, deponitur perpetuò à beneficio, secundum Abbatem, in c. fi. de celebrat. Miss.

Eod. cap.

cap. fin. de celeb. Miss.

An uestes prædictæ Sacerdotales possint fieri ex ueste alicuius Dominæ, vel alterius uiri sæcularis. Cap. XXX.

QVod autem de vestibus Dominarum, uel uirorum non fiant ornamenta Altaris, uel Sacerdotis, uel alius ornatus Ecclesiæ, videtur præcipi nobis per Aurelien. Concilium, & de Consecr. dist. 1. c. ad nuptiarum.

ca. ad nup. de conse cr. dist. 1.

Quibus vestibus vti debeat Sacerdos non celebraturus, sed communicaturus, quibusq; cæteri sæculares. Cap. XXXI.

DEmum sicut certo ritu Agnum Paschalem manducaturi in manibus suis baculos habebant, renesque succinctos, & calceos pedibus circumpositos; sic nos cum stolis in utroque humero positis. Stola igitur erit, (ut dicitur in cap. Ecclesia, dist. 23. & in l. 1. C. nulli licere lib 11.) Sacerdotum, Purpura Regum, Cuculla Monachorum, Toga Aduocatorum, Chlamis militum; & Habitus Rusticorum.

Cap. Eccl. dis. 23. Lege 1. C. nulli licere lib. 11.

Ex quibus coloribus constare debeant paramenta quibus celebraturus Sacerdos uti debet. Cap. XXXII.

SEcundum aũt exigentiam temporum, & festorum contingentiam Sacerdos celebraturus uestibus coloratis utetur. Sancta siquidẽ Dei Ecclesia secundũ usum Romanæ Ecclesiæ quinque coloribus uti consueuit, uidelicet, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, & Nigro. De quibus oĩbus sequentes Innocẽtiũ, ac alios, Deo fauẽte ad plenũ dicemus, q̃uis hęc ẽt in Rubrica Missalis latius patebũt. Qui q̃dẽ colores significant per

Innoc. III. li. de Myst. Miss. c. 32. & 65.

Digitized by Google

per quatuor quadrigas egredientes de medio duorum montium. Zach. 6. Nam in quadriga primi equi rufi: en rubeus color. In secunda quadriga equi nigri: en color niger. In quadriga tertia equi albi: en albus color. In quarta quadriga equi uarij, & fortes: en color uiridis, & uiolaceus, & sic uarius. Quibus omnibus coloribus fuit uestitus Dominus noster Iesus Christus: nigro in passione sua, cuius facies denigrata est super carbones. Albo colore in domo Herodis, quia ipse est candor lucis æternæ. Rubeo colore in domo Pilati. Dilectus meus candidus & rubicundus. vario colore in fine suæ passionis.

Indumentis albis, quibus in diebus utatur Ecclesia. Cap. XXXIII.

ALbis autem indumentis celebraturus Sacerdos utatur in Natiuitate Domini usque ad octauam Epiphaniæ inclusiuè, exceptis festis Martyrum, quæ infra eam ueniunt. Item utatur albis uestibus in Cœna Domini. Item in Sabbatho Sancto vsque ad Sabbathum Pentecostes exclusiuè; maximèque in Officio de tempore; sed non in Missa Litaniarum, & Rogationum. Albis item utatur uestibus in festis B. Mariæ, & per eius octauas. Item in eius Missis Votiuis. In Missa etiam Sanctæ Trinitatis, in Festo Corporis Christi, in Festis Angelorum, Sancti Ioannis Baptistæ: Conuersionis Sancti Pauli: Sancti Petri ad Vincula: Transfigurationis Domini, Confessorum, & Doctorum: Omnium Virginum; Dedicationis Ecclesiæ. per octauas demum prædictorum Festorum, si illas habent: & in Dominicis infra eas occurrentibus, semper uestibus utatur Sacerdos Albis.

Cur in prædictis Festis utendum sit Albo Colore. Cap. XXXIIII.

Rõ supra dictorum. QVibus autẽ de causis in prædictis festis albo colore utamur, alienum fortè non erit si dicamus. Et quidem in Natiuitate Domini, & etiam Præcursoris, Albis uestibus utimur: quoniam statim atque natus est, mundus fuit: Sanctum enim, innocentem, impollutum, segregatumq; à peccatoribus nominat eũ Apostolus: De Ioanne dicitur, antequam exires de uulua, sanctificaui te. In Epiphania propter splendorem stellæ. In Cęna Domini propter confectionem Chrismatis, quod ad mundationem animæ consecratur. In Resurrectione propter Angelum, qui apparuit stola candida coopertus, iuxta illud; Et vestimenta eius alba sicut nix. In Ascensione propter nubem lucidam, in qua Christus ascendit. In Dedicatione Ecclesiæ, quia Ecclesia uirgineo nomine nuncupatur; iuxta illud: Dispondi enim uos uni viro Virginẽ castam exhibere Christo. In festis Confessorum Virginum; & huiusmodi, propter integritatem, Virginitatem, & eorundem innocentiam. Aliorum Festorum causas, quis ignoraret?

Hebr. 7. *Hier. 1. & 2.* *Mar. 16.* *Matt. 18.*

Digitized by Google

Rubeo colore, quando uti debeat celebraturus Sacerdos.
Cap. XXXV.

RVbeo colore utitur Sacerdos celebraturus à Vigilia Pentecostes vsque ad Sabbathum sequens inclusiuè. Item in Festis Sanctæ Crucis, Sancti Ioannis ante portam Latinam, In Natali Apostolorum Petri, & Pauli, & in Festis etiam aliorum Apostolorum, exceptis supradictis. In Festis Martyrum, præterquam Sanctorum Innocētium, nisi in Dominica eius Festum uenerit. Item & per octauas prædictorum Festorum; si eas habent, & in Dominicis, infrà eas octauas occurrentibus.

Quamobrem in iam dictis Festis sit utendum rubeo colore.
Cap. XXXVI.

COlore autem rubeo utimur à Vigilia Pentecostes vsq; ad Sabbathum propter Spiritussancti feruorem, qui super Apostolos in igneis linguis apparuit: Nam apparuerunt, inquit Lucas, illis dispertitæ linguæ tanquam ignis. In festo Sanctę Crucis, ob id, quod in ea Christus sanguinem fudit: nam quare rubrum, inquit Propheta, est indumentum tuum, sicut calcantium in Torculari? In solennitatibus Apostolorum propter sanguinem passionis, quem pro Christo fuderūt: nam ipsi sunt qui uenerunt de magna tribulatione. Cętera per temetipsum tanquam facilia discute, & iudica.

Reddit ratiōnē supradictorum.
Act. 2.
Esa. 61.

Viridi colore, quando ad celebrationem utatur Sacerdos.
Cap. XXXVII.

ALma Mater Ecclesia ab octaua Epiphaniæ usq; ad Septuagesimā, & ab octaua Pentecostes usque ad Aduentum exclusiuè, uiridi utitur colore. Item in Officio de tempore, excepta Dominica Trinitatis, & exceptis Dominicis infra octauas occurrētibus, & exceptis Vigiliis, & quatuor temporibus, de quibus dicetur infrà.

Hoc tempore viridi colore cur utatur Sacerdos.
Cap. XXXVIII.

HOc autem uiridi colore hoc tempore utitur Ecclesia, quia uiridis color medius est, inter albedinem, & nigredinem de qua ideo hic infra dicitur, ut color uiridis exprimitur in Dominicali Officio, dum dicitur: Cipri cum Nardo, nardus & crocus.

Para-

Digitized by Google

Paramenta violacea quando sint à Sacerdotibus adhibenda. Cap. XXXIX.

VIolaceo colore utitur Sacerdos à prima Dominica Aduentus usq; ad Missam Vigiliæ Natiuitatis Domini inclusiuè, & à Septuagesima usque ad Officium Vigiliæ Paschæ exclusiuè. Item in Officio de tempore, excepta Feria quinta in Cœna Domini, & Feria sexta in Parasceue, & in benedictione Cerei. Item in vigilijs, & Quatuor temporibus. Item in Missa Litaniarum, & Rogationum, & Sanctorum Innocentum. Festis Purificationis Beatæ Mariæ: Dominicæ in Palmis.

Cur violaceo colore hoc tempore utantur Sacerdotes. Cap. XL.

QVia uerò in Vigiliis, & quatuor temporibus, ac diebus huiusmodi ieiunantes, nos carnem nostram affligimus, ac maceramus, ut sic facta liuida, Christi liuoribus conformetur; eius enim liuore sanati sumus: ideo ad hoc designandum tunc uiolaceo colore utimur, qui pallidus, & quasi liuidus est.

Nigris vestibus quando uti debeant Sacerdotes in Missa. Cap. XLI.

SAcerdos celebraturus colore nigro utitur feria sexta in Parasceue, & in Missis Defunctorum: quamquam Innocentius, & Durand. dicant, quod & in multis etiam diebus istis Paramentis nigris uti consueuit Ecclesia; ut in diebus afflictionis, Abstinentiæ, & in Festo Sanctorum Innocentum. Verumtamen rubrica Missalis hos duos casus, in quibus sit utendum nigro colore, ponit. Cæterum cur in huiuscemodi casibus utatur paramentis nigris Ecclesia, cognitu facilè est, ideo nihil hic de hoc dico.

Prahensio Calicis, & Hostia à Sacerdote celebraturo quid signet. Cap. XLII.

POst quam de uestibus, & Indumentis Sacerdotalibus, & earundem coloribus disseruimus: reliquum est modo, ut de Calicis, & Hostiæ captione per Sacerdotem celebraturum aliquid enarremus. Igitur calicis, & Hostiæ captio per Sacerdotem iam indumentis Sacris paratum, ut offerat Deo Sacrificium, signat Christum à die, qua de Spiritusancto conceptus fuit ex Maria Virgine, semper Calicem suæ passionis præ oculis habuisse, & Crucis tormentum propter nos homines, & propter nostram salutem desiderasse, quod apertè demonstratur in Euangelio cum dixit Discipulis suis, Desiderio desideraui

Nota.

hoc

hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. & alibi Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor, usque dum perficiatur? Item & alibi, Voluntariè sacrificabo tibi; Demonstrans autem tale esse suum desiderium, dixit item Iudæ. Quod facis fac citius. De hac re vide Ioan. Baptistam Monachum Cassinen. in sua expositione Missæ lib. 1. cap. 12. *Luc. 12.* *Psal. 53.* *Ioan. 13.*

Sacerdos accinctus accedens ad Altare quid notet. Cap. XLIII.

IAm autem paratus Sacerdos, & Sacris indumentis ornatus Calice cum Hostia deprehenso, de Sacrario egreditur ad Altare accedens, quod designat Christum, qui fuit expectatio gentium (per quem denotatur hodie Sacerdos celebraturus, qui est expectatio populi Christiani expectantis in Ecclesia Sacerdotem, vt dicat Missam) Carne Sacrosancta assumpta, ex Virginis carne incorrupta, de secreto habitaculo cœlorum, hoc est, de sinu Patris egressum esse in hunc mundum: vel de Sacrata æde, videlicet de uirginali utero egressum fuisse tanquam sponsum de thalamo suo. *Psal 18.*

Sacerdos celebraturus solenniter, ut quid per semetipsum non portet Calicem. Cap. XLIIII.

QVod autem Sacerdos solenniter celebraturus per semetipsum Calicem non portet, hoc innuit, quod Pater omnipotens iam animalium brutorum Sacrificia, & Holocausta sibi inuisa agnoscens esse, præmisit unigenitum Filium, qui Calicem ferret, hoc est qui passionem subiret, & Sacrificium non amplius brutorum, sed suipsius in Monte Caluario offerret, & hoc est, quod dicitur in Psalm. vigesimonono. Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi; Holocaustum & pro peccato non postulasti, tum dixi. Ecce uenio. Tradidit ergo inquit Paulus, Christus semetipsum pro nobis oblationem, & Hostiam Deo in odorem suauitatis. Impossibile si quidem erat sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. *Ioã. Bapt. Monach. Li. 1. c. 14.* *Psal. 39.* *Ephes. 5.* *Hebr. 10.*

Cereoli præcedentes Sacerdotem celebraturum quid notent. Cap. XLV.

PRæcedunt flammantes cereoli, inquit Rupertus, uidelicet in signum gaudij, quod in ortu Saluatoris omni mundo effulsit, de quo Angelus ad Pastores; Annuncio uobis gaudiũ magnũ. *Lib. 1. de Diu. Offic. c. 28.*

Digitized by Google

Innoc. Innocentius quoque de istis cereis tractat lib. 2. c. 8. si cupis scire plura, ipsum ibi videto.

Candelabra supra quæ cereoli feruntur, quid designent. Cap. XLVI.

Lib. 4. c. 6. CAndelabra autem, inquit Durandus, supra quæ prædicti cerei feruntur, designant fundamentum, ut super fundamentum luceat coram hominibus lux prædicatorum.

Ut quid Diaconus, & Subdiaconus præcedant Sacerdotem celebraturum cum solennitate. Cap. XLVII.

Rup. c. 28. PRæcedunt, inquit Rupertus, duo ministri non pariter, neque à latere incedentes, sed ante; quoniam designant Nouum, & Vetus Testamentum, idest, Legem, & Euangelium. Quorum Lex tempore prior, Euangelium uerò dignitate maius.

Innocentij Papæ opinio circa præcedentiam Ministrorum prædictorum. Cap. XLVIII.

Lib. 2 c. 5 de Myst. Miss. Luc. 1. SVbdiaconus, qui præcedit, Ioannem Baptistam, inquit ille tantus, significat; qui præcessit Christum in spiritu, & uirtute Heliæ, parare Domino plebem perfectam.

Subdiaconus cur portet ante Sacerdotem celebraturum Missale. Cap. XLIX.

Ibidem. RVpertus dicit. Subdiaconus præfert textum Euangelij, quia profecto Lex (quæ per Subdiaconum notatur, ut dictum est suprà præcedenti quæstione) testimonia continet Christi, sicut ipse dicit Iudęis: si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.

Secundum Dominum Innocentium cur Subdiaconus portet Missale. Cap. L.

Inn. Papæ III. ibid. Matt. 2. HIc autem, ait ille, ante Pontificem, uel Sacerdotem, portat Codicem Euangelij: quia Ioannes ante Christum prædicationē Euangelij inchoauit. Pœnitentiam, inquit agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.

Subdiaconus cur Missale clausum ante Sacerdotem portet. Cap. LI.

Ibidem. Apoc. 4. QVod autem, inquit Innocentius, liber clausus tenetur donec Pontifex, uel Sacerdos ad Altare perueniat, & tunc aperitur, hoc insinuat, quod in Apocalypsi describitur: Quoniam nemo inuentus est dignus aperire librum, qui scriptus erat intus & foris, signatus sigillis septem,

Digitized by Google

ptem, nisi Leo de Tribu Iuda, radix Dauid, qui librum aperuit, & septem eius sigilla soluit.

Thuriferarius quid notet, & cur ceroferarios, & alios antecedat. Cap. LII.

THuriferarius verò Ceroferarios, & alios antecedit, ad notandum; quod Thuris significatio Sanctis Vtriusque Testamenti: per quod Subdiaconus designatur & Diaconus, ut iam dictum est, communis est. Dur lib. 4. cap. 6.

Thuribulum quid significet. Cap. LIII.

PEr Thuribulum autem, cor humanum competenter notatur, quod debet esse apertum superius, & acutum ad suscipiendum ea, quæ sursum sunt, & clausum inferius, ut non quæ sunt super terram sapiat.

Ignis, & Thus in Thuribulo quid significent. Cap. LIIII.

ISTud autem Thuribulum in se habet ignem, qui charitatis ignis esse dicitur. Thus verò deuotionis suæ, suauissimæ orationis, seu bonorum exemplorum sursum tendentium (quod per fumum inde resultantem notatur) ignem pari modo monstrat. Nam sicut Thus in igne Thuribuli suauiter redolet, & sursum ascendit, ita bonum opus, uel oratio ex charitate ultrà omnia thymiamata fragrat.

Alia Thuribuli significatio. Cap. LV.

AMplius Thuribulum cum incenso Corpus Christi suauitatis odore plenum. Carbones, Spiritumsanctum. Thus boni operis odorem designant.

Cur candelabra Acolythi teneant in manibus, donec incipiatur Kyrie eleyson. Cap. LVI.

POst quam verò iam ad Altare peruentum est ab omnibus, Sacerdote, Ministris, Diacono scilicet, & Subdiacono, & Ceroferarijs, & Thuriferario, Acolythi candelabra manibus tenent, donec incipiatur Kyrie eleyson, ad notandum, quod Doctor, quē cādelabra, seu lumina innuunt, iuxta quod legitur: O Doctor optime Ecclesiæ Sanctæ lumen, & cæt. opere, idest dictis, & factis debet exercere, quod docet. Dur ibid.

Digitized by Google

Inclinatio Sacerdotis ante Altare quid designet. Cap. LVII.

Simulatque igitur celebraturus Sacerdos ad Altare peruenit, facit genibus ante ipsum magnam inclinationem, & capite magnam humiliationem: præsertim ubi est Sacramentum: secus vbi tantum est Crux: quia tunc sufficit capitis humiliationem facere: quæ quidem Christi exinanitionem, qui inclinauit, inquit Psaltes, cœlos: & descendit, cum formam serui accipiens, seipsum exinaniuit, significat.

Psal. 17. Philip. 2.

Sacerdos cur primo inuocet Sanctissimam Trinitatem. Cap. LVIII.

1. q. 1. cap. Dictum.

Deinde Sacerdos post genuflexionem, & capitis humiliationem incipiens ab inuocatione Sanctissimæ Trinitatis, dicit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Introibo ad Altare Dei. Quod fieri credimus multis de causis; & præsertim propter illud quod legitur in Numer. Inuocabunt Sacerdotes nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Secundò propter illa Apostoli monita, qui dicit ad Colossen. Omne, inquit, quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, in quo uiuimus, mouemur, & sumus. Non ergo tanquam ipse Sacerdos, sed tanquam Deus facere uidetur, qui non sua uice, sed delegantis, id est, Dei fungitur.

Num. 6. Coloss. 3. 26. q. 7. c. non obseruatio.

Cur sibi Sacerdos Signum Crucis imprimat dum dicit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Cap. LIX.

Mvnit autem se Sacerdos Signo Crucis, cum dicit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, ad effugandam illius uirtute, quamlibet Diaboli uersutiam, & potestatem. Valde enim timet Diabolus Signum Crucis, dicebat Sanctus Antonius Abbas suis Discipulis; ubicunque Demones signum Sanctæ Crucis uident, aufugiunt, timentes baculum, quo plagam acceperunt, vt benè dicitur in Lectionibus, quas in Festo Sancti Antonij legimus; & docet etiam nos Cassianus Heremita, Collat. 8. cap. 18. dum de Principatibus, seu Potestatibus disserit. Vide quæ dixi in libello meo trecentum Quæst. in Diuinum Officium de hoc Signo, tract. 2. quæst. 10.

10. Cassia.

Signum

Digitized by Google

Signum crucis quibus membris, siue articulis sit à nobis exprimendum. Cap. LX.

EST autem Signum Crucis, inquit Innocentius Papa III. tribus digitis exprimendum, quia sub inuocatione Trinitatis imprimitur, de qua dicit Propheta. Quis appendit tribus digitis molem terræ? ita quod à dextera transeat ad sinistram? quia Christus de cœlo descendit in terram, & de Iudæis transiuit ad gentes. *Ibidem.*

Sacerdos celebrans cur præmittat Psalmum Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, &cæt. Cap. LXI.

HVius autem propositæ quæstionis solutionem reddens Innocentius Papa, inquit; Quia iustus in principio sermonis est accusator sui, Prouerb. 18. Pontifex, seu Sacerdos ad altare perueniens, & ad se ipsum reuertens antequam ordiatur Sacrum Officium de peccatis suis cum adstantibus confitetur; Psalmum illum præmittens, qui manifestè per totum sibi ad hæc dignoscitur pertinere, ac conuenire: Iudica me Deus. *Li. 2 c. 13. de Myst. Miss. Prou. 18.*

Sacerdos quid petat à Deo in hoc Psalmo. Cap. LXII.

SEcundum Durandum in hoc Psalmo Sacerdos petit liberari à tentatione, & illuminari à gratia. Petit autem à Deo, ut det sibi quod offerat, scilicet filium suum, quem nisi daret, prout Abrahæ dedit, non haberet quid offerret.

Secundum alios quid petat Sacerdos in hoc Psalmo. Cap. LXIII.

SEcundum autem Iacobum de Valentia, petit Sacerdos in hoc Psalmo, primo discerni, & absolui ab omni peccato, & à consortio malorum, & à tentatione peccati, & petit lumen ueritatis, & gratiæ, vt purus, & mundus possit introire ad Altare Dei, & dignè Sacrificium offerre, & Missam celebrare, & Laudes Domino decantare. *Iac. de Valentia in hunc Psal.*

Sacerdos cur post Psalmum prædictum, Confessionem faciat. Cap. LXIIII.

HVic petitioni nos satisfecisse in supradictis, nemo inscius esse potest. Fit ergo confessio per Sacerdotem hic, non in specie,

sed in genere: quoniam ista Confessio non est occulta, sed manifesta: & fit ut purior sacerdos sit, & sine macula aggrediatur Altare Dei.

Mysticè quid sibi velit ista Sacerdotis Confessio cum clerico. Cap. LXV.

HÆc autem Sacerdotis Confessio ante Altare facta cum ministro, in qua se peccatorem accusat, secundum Cassinatem, innuit altercationem illam, quæ fuit inter Christum, & Ioannem Baptistam, quando Christus uolens similis illis esse, qui baptizabantur, à Ioanne Baptizari uoluit. Tunc enim venit Iesus à Galilea in Iordanem ut Baptizaretur ab eo, scilicet Ioan. Baptista. Et sic quodammodo Christus in hoc casu videbatur esse cum peccato. Cum uero clericus respondet Sacerdoti confitendo, & seipsum accusando peccatorem; hoc innuit, quod Ioan. Baptista dixit tunc Domino, Ego à te debeo Baptizari, & tu uenis ad me? Respondens autem Iesus, dixit, sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.

Ioã. Bapt. Cassinas.

Matt. 3.

In hac Confessione cur percutiamus pectus. Cap. LXVI.

PRæterea prædictus Papa Innocentius lib. 2. cap. 13. de hac pectoris tunsione in Confessione per sacerdotem facta, sic disserit: Percutimus autem pectus in hac Confessione, quatenus exemplo Publicani, qui percutiebat pectus suum, dicens, Domine propitius esto mihi peccatori, iustificati descendamus in domum. Nam in tunsione pectoris, inquit ille, tria sunt, videlicet, ictus, sonus, & tactus, per quæ significantur tria, quæ sunt in vera Pœnitentia necessaria, videlicet cordis Contritio, oris Confessio, & operis satisfactio; quia in tribus peccamus, scilicet, corde, ore, & opere.

Inn III.

Luc. 18.

Manuum iunctio in hac Confessione quid notet. Cap. LXVII.

SAcerdos autem dum facit Confessionem, & etiam sæpe in Missæ Officio manus iungit, ad notandum eius deuotionem. Vel manuum iunctio significat omnium bonorum à Deo fluentium unitatem in ipso & coniunctionem. Cæterum in sequentibus Sacerdos pro circumstantibus orat, indulgentiam peccatorum implorans: ipsi namque Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus ea delent, atque consumunt.

Introi-

Digitized by Google

Introitus Sacerdotis ad ipsum Altare, quid notet.
Cap. LXVIII.

DEinde Sacerdos accedit ad ipsum Altare, qui Sacerdotis introitus secundum Rupertum ad Altare Dei ingressum filij Dei in hunc mundum designat, dicens: Aufer à nobis cunctas iniquitates nostras, & cæt. per quod petit omnia impedimenta à se auferri, siue remoueri. *De introitu ad Altare. Lib. 1. c. 25*

Vt quid incensum Sacerdos in Thuribulo ponat.
Cap. LXIX.

POnit autem incensum Sacerdos in Thuribulo; deinde Thurificat Altare cum cæteris, repræsentans per hoc, quod Legalis Sacerdos ferens sanguinem, & carbones cum thymiamate: (erant enim ut legitur in Exodo) Ara incensi, Arca Testamenti, siue testimonij, super Arcam Propitiatorium, super tabulam duo Cherubin gloriæ mutuo uultu se respicientes: Huc intrabat solus Pontifex semel in anno, habens nomina Patrum in Rationali, & super humerali scripta, ferens sanguinem, & carbones, ut poneret omnia in Thuribulo, ut fumus eum obumbraret, orans ea omnia ponebat in Thuribulo, donec eum fumus obumbraret, & tabulam, & Aram aspergeret. *Exo. 40.*

Mysticè incensi immissio in Thuribulum quid signet.
Cap. LXX.

PEr hoc quod Sacerdos imponit incensum Thuribulo, mysticè designari potest Angeli Aduentus ad Altare, stans ante Altare, habensque Thuribulum aureum in manu sua, quod impleuit de igne Altaris, idest, & data sunt ei incensa multa ut daret de orationibus Sanctorum. Sanè Angelus est Christus, qui stetit ante Altare, idest, in conspectu Ecclesiæ, habens Thuribulum aureum, idest, corpus suum immaculatum; Thuribulum inquam, plenum igne, idest, charitate. Et data sunt ei, scilicet, à fidelibus incensa multa, idest, orationes, ut daret, idest, repræsentaret eas patri de orationibus Sanctorum. *Apoc. 8.*

Nauicula ex qua desumit Sacerdos incensum quid notet. Cap. LXXI.

NAuicula quidem, ex qua tollit Sacerdos incensum, secundum Durandum, designat, quod per orationem, quam incensum in- *Dur. lib. 4. cap. 8.*

sinuat, de huius mundi mari magno, & spatioso ad cœlestem patriam satagimus nauigare.

Thurificatio Altaris quid signet. Cap. LXXII.

CVm autem Missa solenniter celebratur, tunc Sacerdos uel quilibet alius celebrans, totum Altare cum reliquijs thurificat: ut oratio sua tanquam incensum ad Deum sursum adscendat. Biel hoc dicit in parte Missæ.

Sacerdos cur Reliquias Sanctorum osculetur. Cap. LXXIII.

MInus autem solenniter celebrans Sacerdos, nullam facit Thurificationem; sed post accessum ad Altare statim Reliquias Sanctorum deosculatur in medio Altaris, dicens: Oramus te Domine per merita Sanctorum, quorum hic Reliquiæ sunt, & omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia mea peccata. Per hoc autem Sacerdos petit Sanctorum suffragia, quasi ex se sit indignus.

Osculum Altari datum à Sacerdote quid notet. Cap. LXXIIII.

PEr hoc autem quod Sacerdos Reliquias, & Altare deosculatus est, notatur Christi pacificatio cum Iudæis. Et ad signandum quod Christus ad nos ueniens Sanctam sibi copulauit Ecclesiam. Iuxta illud Ephithalamium: Osculetur me osculo oris sui. (Cant. 1.) In osculo si quidem os ori suo coniungitur, & in osculo non solum humanitas est unita diuinitati, uerumetiam sponsa copulata est sponso suo, iuxta illud Propheticum: Quasi sponsum decorauit me corona, & quasi sponsam ornauit me monilibus. (Esa. 61.) Altare ergo in hoc loco significat populum Iudaicum.

Sacerdos cur in initio Missæ, ad dexteram Altaris partem primum deflectat. Cap. LXXV.

RVrsus per hoc, quod accedens Sacerdos ad Altare prius dexteram illius partem petat, innuit, quod Emmanuel, siue Christus in Lege promissus, prius uenit ad Iudæos, & prius prædicauit eis, deinde ad Gentiles. (Dur. lib. 4 cap. 11.) Iudæi enim propter Legem in dextera parte fuerunt: Gentiles verò quasi in sinistra, quia Idola colebant. (Nota.) Itaque Sacerdos Sacris uestibus ornatus, Christum Carne nostra humanitatis vestitum significat. Veniens verò ad Altare Sacerdos, Christum de cœlo uenisse ad populum, ut eum saluaret, designat. Deinde ad dexteram transiens designat, quod

Chri-

Digitized by Google

Christus in mundum ueniens venit ad Iudæos, de quibus uoluit nasci. Beata namque Maria Iudæa fuit. Vel iste transitus Sacerdotis ad dexteram Altaris partem designat, secundum Lactantium, quod in virtute huius Sancti Sacrificij nos transimus ad dexteram diuini Altaris ad Ecclesiam.s.triumphantem. Lactant. Ranfold.

Libri aperitio per Sacerdotem, vel per Subdiaconum quid signet. Cap. LXXVI.

STans itaque Sacerdos ante Altare in cornu dextro, librum aperit siue Missale, ut celebret, insinuans, quod ubi Christus primitiuam Apostolorum Ecclesiam congregauit, docuit, & prædicauit, & scripturę mysteria reuelauit, eis dicēs; Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in Parabolis. Luc. 8. Vnde post Resurrectionem aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Luc. 24. Potest etiam dici, inquit Durandus, quod Subdiaconus librum, idest, Missale, qui clausus portabatur, offert Episcopo, vel Sacerdoti, ille uerò ad Altare perueniens illum aperit ad insinuādum illud, quod in Apoc. describitur; Quod nemo dignus fuit aperire librum, qui intus erat scriptus, & foris, sigillis septem signatus; Apoc. 8. nisi Leo de Tribu Iuda, Clauis Dauid, qui librum aperuit, & septem eius signacula soluit.

Missale quid signet, & cur ponatur super Altari. Cap. LXXVII.

POrrò sicut Altare, (vt paulò ante diximus) significat populum Iudaicum, ad quem prius Emanuel venit, quàm ad Gentiles, ideoq; Sacerdos, qui Christum repręsentat, ad Altare prius quàm ad librum, qui populum Gentilem denotat, accessit: ita codex Euangelij, idest, Missale, populum Gentilem, qui per Euangelium, quod in Missali scriptum est, credidit.

Altare an habeat alias significationes. Cap. LXXVIII.

ALtare insuper, secundum quod scribit Innocentius III. Ecclesiam designat, iuxta quod Dominus dixit in Exodo; si Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus. Lib. 2. c. 3. Exod. 20. Significat etiam mensam, in qua cum discipulis conuiuatus est Christus, quam mensam Arcam Testamenti & corona in ea Arca reposita, plenaque Manna in testificationem, quod panem Deus dedisset filijs Israel de cœlo, figurabat. Exod. 40. Altare etiam significat Ecclesiam spiritualem. Quatuor eius cornua, significant quatuor mundi plagas, per quas Ecclesia dilatatur. Habet & multa alia significata, de quibus Durandus lib. 4. c. 3. & Cardinalis à Turrecremata, in c. de fabrica, dist. prima. Durand. Ioā. Card.

An Al-

An Altare, & Ara differant. Cap. LXXIX.

Ioã. à Tur. Crem. ALtaria autem, & Aræ aliquoties indifferenter inueniuntur; Differunt tamen secundum præfatum Cardinalem à Turre Cremata in eodem cap. dist. 1. nam inquit ille, Altare est propriè Dei, Ara uerò Deorum falsorum, & infernalium. Altare componitur de Altus, alta, altum; Ara uerò dicitur quasi Arca, idest, plena, vel dicitur ab Ardere, quia in ea Sacrificia ardebant.

Altare, an ligneum, vel lapideum esse debeat. Cap. LXXX.

3. Reg. 8. Gen. 35. Exod. 25. 27. 28. & 30. De consec. dist. 1. cap. Altaria. 1. Cor. 10. Genes. 28. QVamquam autem Legatur in libro Regum 3. c. 8. & in Genesi, ac in Exodo, quod Altaria fuerint facta de lignis Sethim, quæ sunt imputribilia, & quod Salomon fecit Altare aureum, nihilo minus hodie Altaria in quibus uerum Christi Corpus offertur, lapidea præcipit esse Sancta Mater Ecclesia: & hec quia Christus dicitur Petra; & quia Iacob erexit Lapidem in titulũ, multisq; alijs de causis, quas hic breuitatis causa sileo.

Puluinar suppositum Missali, vel aliàs Libro Euangelij, quid denotet. Cap. LXXXI.

Durand. lib. 4. c. 24. 1. Cor. 9. 13. q. 15. SEd per puluinar quod subtus Librum Euangelij ponitur ad quietem, denotatur uitæ solatium, uel etiam temporalia: quasi dicat, si uobis seminamus spiritualia, non est mirum, si à uobis metimus carnalia.

Quænam alia sit puluinaris significatio. Cap. LXXXII.

RVrsus puluinar supponitur Euangelio, ad notandum, quod suaue est iugum Domini, siue onus Euangelij, illud portare uolentibus. Vnde in Matth. Iugum meum suaue est, & onus meum leue: Puluinar ergo suauitas, & dulcedo est in mandatis Dei, iuxta illud, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine.

Matth. 11. Psal. 117.

Mappa, seu Tobalea, quæ superponuntur Altari, quid notent. Cap. LXXXIII.

Durand. lib. 1. c. 2. Psal. 83. AD hæc linteamina alba, quibus cooperitur Altare, carnem, siue humanitatem Saluatoris designant, quæ linteamina multo labore candidantur, sicut Christi caro ex terra, idest, ex Maria orta per multas tribulationes ad Resurrectionem, & candorem, & Lætitiam immortalitatis peruenit, de qua exterius sunt Ecclesiastica Sacramẽta, de quibus dictum est; Altaria tua Domine uirtutum.

Corpo-

Digitized by Google

Corporale quid signet. Cap. LXXXIIII.

AT corporale quod extenditur in medio altari, & super quo Calix sistitur, syndonem, in qua corpus Domini fuit inuolutum, apertè designat. Vnde legitur Lùc. 22. Et uir noīe Ioseph accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu, & depositum inuoluit in syndone. Hæc ex compendio Theologicæ ueritatis lib. 6. c. 18. At Lactantius Ranfoldus, hoc insuper addit, quod Corporale est quadratę figurę; quoniam pro quatuor mundi partibus, Oriente scilicet, & Occidente, Septentrione, & Meridie; & sic pro totius mundi salute passus est. Vel ista Corporalium quadratura denotat conditiones quas habere debet anima iusta, & pręparata ad manducandum hoc Sanctissimum Christi Corpus, uidelicet, Iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem, & Prudentiam, per quas anima fit munda à peccatis; & candida, ut purior accedat ad hanc Christi mensam. Sed anima Corporalis, cum qua cooperitur calix, sudarium quo Christi caput inuolutam fuit, designat, secundum eundem Lactantium. *Luc. 22.*

Corporalia qua Materia constare debeant. Cap. LXXXV.

DEbent autem Corporalia esse de puro lineo panno albo, & benedicto, ab eo qui potest benedicere, & non de panno tincto; uel serico; ut cauetur in cap. consulto, de consecrat. dist. 1. Nec minus tangi debent, aut ablui per fęminas; ut in pręd icta dist. c. nemo, el secondo. *De consec. distinc. 1. c. consulto. Ibi. c. Nemo.*

Corporalia lauare ad quem spectet. Cap. LXXXVI.

QVod autem corporalia nullo modo per fęminas lauari possint, sed à Diaconibus, pro quibus debent habere peluim nouam, & primam lotionem in sacrarium proijcere, & post primam lotionem possunt lauari per Moniales, & repetiari; ut statuitur in eodem cap. Nemo, el secondo, & eadem distinctione. *Ibid. c. Nemo.*

Corporalia an post lotionem sint iterum consecranda. Cap. LXXXVII.

AMplius sciendum est etiam nobis, quod corporalia minimè post ablutionem consecratione indigent, licet amitus recesserit, neque etiam similiter si aliqualiter repetientur. Non enim perdunt formam, etiam quod alius amitus ponatur.

Corporalia qualiter custodienda. Cap. LXXXVIII.

VTi autem Corporalia pręseruanda sint, pręcipit Innocentius Papa in cap. Reliqui; extra de custod. Eucharistię, dum inquit; Pręcipimus quoque, ut oratoria, uasa, corporalia, & uestimenta prędicta munda,

munda, & nitida conseruetur. Mortaliter autem peccant Sacerdotes, quando ea ita immunda relinquant, vt res rusticorum uideatur. De Purificatorijs eadem uidetur ratio.

Calix quid signet. Cap. LXXXIX.

Lib. 6. c. 18

QVæritur modo quid Calix, quo utimur ad Christi sanguinem consecrandum significet. Et dicimus breuiter, quod secundum Theologos Calix Christi sepulchrum, in quo positus fuit, designat. *Hæc ex* compendio Theologicæ veritatis.

Calix aureus quid notet. Cap. XC.

CAlix autem aureus significat Thesauros sapientiæ in Christo absconditos. Argenteus munditiam culpæ; stanneus innuit similitudinem culpæ, & pœnæ; stannum enim est medium inter argentum, & plumbum; & caro Christi licet non fuerit plumbum, idest, peccatrix, fuit tamen carni similis peccatrici; & licet non fuerit argentum passionis, idest passibilis, propter suam culpam, fuit tamen passibilis propter nostram culpam: quia languores nostros ipse tulit.

Esai. 53.

Calicis nomen unde tractum. Cap. XXI.

Hiere. 12. Psal. 74. Matth. 10. Luc. 11. Matth. 26. Psal. 115.

CAlicis verò nomen à Veteri, & Nouo Testamento traxit originem. Hierem. Calix aureus Babylon inebrians omnem terram, & Dauid: Calix in domo Domini uini meri plenus est misto. Item in Euangelio: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum. Item accipiens calicem, gratias egit. Item, Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Calix consecratus si deauretur, an sit consecrandus iterum. Cap. XXII.

l. 1. ff. de no. ope. nũciat. De consec. dist... c. Eccle. & Glo.

AN autem Calix consecratus sit iterum consecrandus, si deauretur, hic quæritur: & quidem videtur quòd sic: quoniam nouus Calix esse videtur. Nouum enim opus, inquit Vlpianus, facere videtur, qui aut ædificando, aut detrahẽdo aliquid pristinam faciem operis mutat, & iste casus nõ est absimilis illi, qui est dictus suprà de Corporalibus.

Calix ut quid consecretur. Cap. XXIII.

Durand. Lib. 1. c. 8.

CAlix quoque consecratur, & inungitur, vt gratia Spiritussancti perficiatur nouum sepulchrum corporis, & sanguinis Christi; & ipse dignetur illum sua virtute perfundere, qui calicem Melchisedech famuli sui perfudit.

Pate-

Digitized by Google

Patena quid designet, & quare consecretur. Cap. XCIIII.

QVemadmodum autem per calicem, in quo consecramus Sanguinem Christi, Sepulchrum intelligimus; ita per Patenam intelligimus Lapidem superpositum eius Sepulchro. Hæc Compendium Theologicæ veritatis lib. 6. cap. 18. & hoc idem dicit Ranfoldus nouissimus omnium Sacrosanctæ Missæ expositor, & interpres subtilissimus. Consecratur autem Patena, secundum Durand. & inungitur ad ministrationem Corporis Christi, nam & omnipotens Deus, inquit ille, conspersam similaginem in patenis aureis, & argenteis ad altare suum deferri iussit. *Lactant. Ranfold. Christi. li. 1. cap. 8.*

Crux in Altari quid signet. Cap. XCV.

CRux autem in altari posita, secundum Innocentium, Christi victoriam significat. Vnde omnes cruces in altum semper diriguntur; propter quod victoria, & triumphus Christi significatur. *Inno. III. lib. 2. c. 11. de Myst. Miss.*

Crux cur super Altari ponatur. Cap. XCVI.

CRux quoque super altari ponenda est, & inde tollit baiulus Crucē, in quo recolitur, quia Crucem de Christi humeris sublatam tulit Symon Cyreneus. *Innoc. Ibi Matt. 25.*

Crux cur inter duo Candelabra collocetur. Cap. XCVII.

INter duo candelabra Crux in Altari media collocatur, ob id, quod inter duos populos Christus in Ecclesia mediator extitit. ipse enim est Lapis angularis, qui fecit utraque unum. *Ephes. 2. Petr. 2.*

Candelabra in vtroque Altaris cornu quid notent. Cap. XCVIII.

IN cornibus itidem Altaris duo sunt candelabra constituta, ad significandum gaudium duorum populorum de Christi Natiuitate lætantium, videlicet, Iudaici, & Gentilis. *Innoc. ibidem.*

Candela, qua accenduntur in Missa quid innuant. Cap. XCIX.

PRæterea Candelabra mediante Cruce candelas siue faculas ferunt accensas: quoniam nato Christo Domino nostro magnum fuit in mundo gaudium. Hinc est, quod Angelus dixit Pastoribus: Annuncio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in Ciuitate Dauid. Lumen etiam Candelabri, siue Candelæ fidem populi innuit: nam ad populum Iudaicum inquit Propheta: Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Ad populum Gentilem dicit Apostolus: Eratis aliquādo Tenebræ, nunc autē Lux in Domino. *Innoc. ibidem Luc. 2. Esai. 49. Ephes. 5.*

Candelabri, seu candelarum in Missa accensarum alia significatio. Cap. C.

ITem Candelabrum exterius illuminans est opus bonum, quod alios per bonum exemplum accendit, de quo dicitur; Nemo accendit Lucernam, & ponit eam sub modio, sed supra candelabrum. *Luc. 8.*

Tertia

Tertia candelarum, siue luminum significatio quaenam sit. Cap. CI.

Ioā.8.et 9 LVmen denique, quod in Ecclesia, siue in Altari accenditur, Christum significat: iuxta illud; Ego sum Lux mundi. & Ioan. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. Vel candelae, & luminaria Ecclesiae significant Apostolos, & ceteros Doctores, quorum doctrina fulget Ecclesia, ut Sole, & Luna; de quibus Dominus ait: Vos estis Lux mundi, idest bonorum operum exempla. Lactant. Vel candelae, secundum Lactant. Lumen fidei, & Ignem Charitatis repraesentant. Ranfold.

Tabernaculum in Altari, in quo seruatur Sanctissimum Christi corpus & Hostia consecrata, quid notet. Cap. CII.

Nota. ADuertendum est nobis insuper, quod Tabernaculum in Altari collocatum, in quo Sanctissimum Christi Corpus siue Hostiae consecratae custodiuntur, gloriosae Virginis Mariae Corpus siue Aluum congruenter designat, de qua dicitur; Surge Domine in requiem tuam. Psal.131.

Tabernaculum an aliquid aliud designet. Cap. CIII.

EXpressè uerò Tabernaculum typum gerit Ecclesiae Militantis, quae non habet hic Ciuitatem permanentem, sed futuram inquirit: Hebr.13. Ideo dicitur Tabernaculum; Tabernacula enim sunt militantium, Deus enim in Tabernaculo, Deus est in fidelibus suo nomine congregatis. Matth.18.

Pyxis siue vasculum continens Hostias consecratas quid indicet. Cap. CIIII.

AT Pixis, siue illud Vasculum in quo conseruantur Hostiae tam consecratae, quàm non consecratae, memoriam designat humanam. Debet namque homo iugiter recordari acceptorum beneficiorum Dei tam temporalium, quae per Hostias non consecratas, quàm spiritualium, quae per consecratas designantur. Quod figuratum est in Vrna, in qua iussit Deus Manna reponi, quod licet temporale esset, praefigurabat illud nostrum Sacrificium spirituale, praecipiens, vt esset in memoriale sempiternum, sicut legitur in Exodo. Exod.16.

Capsa, ac caetera Vascula posita super Altari, necnon Palla, & Vestes quid signent. Cap. CV.

CÆterae autem capsae, & Vascula super Altare, quod est Christus, posita sunt Apostoli, & Martyres, Pallae, & Vestes sunt Confessores, & Virgines.

Duo Cherubin gloria in Altari existentes quid notent. Cap. CVI.

HOc quoque omittendum non uidetur, videlicet, quod duo illi Cherubin gloriae, qui crebro in Altari uideri solent, quique mutuo uultu sese respiciunt, duo Testamenta, scilicet, Nouum, & Vetus, significant; qui se ad inuicem ideo respiciunt; quia Nouum, & Vetus Testamentum concordant.

Missale

Digitized by Google

Missale cuinam Veteris Testamenti ornamento respondeat. Cap. CVII.

AB alto autem iterum repetentes, dicimus, quod Liber Euangeliorum, siue Missale, quo utimur ad celebrandum hodie Missam, Rationali Aaronis respondet; portabat namque Aaron ante pectus suum Rationale ex auro, & Hyacintho, & ex quatuor lapidum ordinibus; & in quo descripta erant nomina duodecim Patriarcharum; & in quo posita erat doctrina iudicij & ueritas, quæ erant in pectore Aaron, quando ingrediebatur coram Domino. Sic ad instar illius Rationalis defert hodie Pontifex in consecratione sua textum Euangelij ante pectus coram toto populo. In rationali erat descripta doctrina, & ueritas, & Pontifex debet habere doctrinam in ore, & in corde ueritatem Euangelij. Hac etiam de causa postes Missalis Euangelij ex auro, quandoque ex argento, & lapidibus preciosis, vt rectius respondeat Rationali Aaron exornantur. *Exod. 28.*

Quanam alia de causa Missale sic exornetur. Cap. CVIII.

EST & alia ratio, cur Missale, siue liber Euangeliorum sic ex auro, & argento, & lapidibus preciosis exornetur: quoniam secundum Rabanum, in illo rutilat aurum sapientiæ, argentum eloquentiæ, & miraculorum lapides preciosi. Nam dicitur in Cantic. Hæ sunt sponsæ Murenulæ aureæ argento vermiculatæ. *Dist. 27. c. Hinc etiã.*

Tabernaculum in quo Christi Corpus reponitur, cuinam alteri Legali ornamento succedat. Cap. CIX.

SCiendum nobis est, quod in Exodo legitur, quod in Arca Testamenti, siue testimonij, reposita erant multa, testificatio, idest, Tabulæ, in quibus scriptum erat Testamentum; Insuper reposita erat ibi urna plena Manna in testificationẽ, quod Deus dedisset panem filijs Israel de cęlo; reposita etiam ibi erat uirga Aaron, in testimonium; quia omnis potestas à Domino Deo est, multaque ibi reposita erant: & præsertim super Arcam factum fuit Propitiatorium, quod exinde loquens Dominus propitiabatur populo. Vel quia die propitiationis, idest, in diem; qua Deus propitiabatur, populus uidebat gloriam Domini semper ibi descendere. Exinde ergo Tabernaculum, siue locus super posteriore parte Altaris collocatus in quo Christus Propitiatio nostra, idest, Hostia consecrata seruatur: & hodie propitiatorium à sanctis patribus Conc. Tridentini in Sess. 22. c. 2. nuncupatur. *Exod. 40.*

Arca prædicta Testamenti ubi hodie reperiatur. Cap. CX.

ET nota quod tempore Papæ Siluestri Constantinus Imperator construxit Basilicam Lateranen. in qua est prædicta Arca Testamenti, quam Titus Imperator asportauit de Hierusalem; in qua sunt hęc, uidelicet; Annuli, & uectes aurei, Tabulæ Testamenti, & uirga Aaron, Manna, Panes hordeacei, urna aurea, uestis inconsutilis, & arundo, & uestimentum sancti Ioannis Baptistę, & forcipes, cum quibus fuit tonsus Sanctus Ioannes Euangelista; quę omnia adhuc hodie in prefata Lateranensi Ecclesia asseruantur.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM QVARTÆ PARTIS OCTAVI TRACTATVS.

1 *Mißa quid sit, quomodo dicatur eße sacramentum, & quomodo sacrificium; & discrimen inter sacramentum, & sacrificium.*
2 *Corporis & sanguinis Christi consecratio, quibus medijs, quibusque uerbis fiat.*
3 *Mißa unde dicatur.*
4 *Alia Missa diuisio, quæ sit secundum Archidiaconum.*
5 *Sacrosanctæ Missæ sacrificium quis instituerit.*
6 *Vt quid à Christo institutum sit hoc sacramentum.*
7 *Quid sit illud quod uocamus Sacramentum in Missa.*
8 *Corpus, & sanguis Christi cur dicatur Sacramentum.*
9 *Substantialia huius Sacramenti Mißæ quænam sint.*
10 *Huius sacramenti quis sit effectus.*
11 *Secundus effectus quis sit.*
12 *Alij huius Sacramenti quinam sint effectus.*
13 *Præfiguratum an sit hoc Sacramentum.*
14 *Figura uero sanguis Christis quid fuerit.*
15 *Dignitates Sacramenti quænam.*
16 *Secunda dignitas quæ sit.*
17 *Tertia excellentia quæ sit.*
18 *Quarta excellentia in quibus consideretur.*
19 *Quinta, & maxima huius sacramenti dignitas quæ.*
20 *Missa quasnam habeat prærogatiuas.*
21 *Cur super Altari celebretur Missa.*
22 *Tertia, Quarta, Quinta, ac Sexta Mißæ prærogatiuæ quæ.*
23 *Septima Mißæ prærogatiua quæ sit.*
24 *Octaua prærogatiua Mißæ quæ.*
25 *Prærogatiua nona Mißæ in quibus cognoscatur.*
26 *Decima excellentia Mißæ quænam.*
27 *Vndecima prærogatiua Mißæ ex quibus cognoscatur.*
28 *Quo cultu adorandum sit hoc Sanctum Sacramentum.*
29 *Quis primum omnium post Christum dixerit Missam.*
30 *Quibus verbis utebantur Apostoli quando Missam dicebant.*

31 *An*

Digitized by Google

Digitized by Google

63 Introitus an possit aliquid aliud insinuare.
64 Introitus unde desumpti sint.
65 Ut quid hæc omnia sic de Psalmis tollantur.
66 Introitus Missæ primæ Dominicæ Aduentus, cur incipiat; Ad te leuaui animam meam.
67 Vt quid sequatur versiculus, vias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas doce me.
68 Introitus Missæ secūdæ Dominicæ Aduentus; cur sit Populus Syō, ecce Dominus veniet ad saluandas, &c.
69 Versus antecedentis Introitus, cur sit, Qui regis, Israel intende: qui deducis velut ouem Ioseph.
70 Introitus Missæ Tertiæ Dominicæ cur sit; Gaudete in Domino semper. &c.
71 Introitus Missæ Dominicæ quartæ Aduentus qualis sit, & eius expositio.
72 Introitus Missæ Vigiliæ Natiuitatis Domini, quid rememoret.
73 Introitus trium Missarum Natiuit. Domini quid innuent, quidque rememorent.
74 Introitus Missarum Sanctorum Stephani, Ioannis Euangelistæ, & Innocentum, quinam sint.
75 Introitus Missarum Dominicę infra octauam Natalis Domini, & Epiphanię, & Dominicę primæ post Epiphaniam, qui sint, & eorundem expositio.
76 Introitus Dominicarum cur varij sint à Septuagesima vsque ad Pascha.
77 Introitus Missarum Dominicarum a Paschate vsque ad Ascensionem, quinam sint, & quid nobis innuant.
78 Introitus Missę Ascensionis Domini, & Dominicæ post Ascensionem, qui sint, & cur sic.
79 Introitus Missę diei Pentecostes, quis sit, & eius expositio.
80 Introitus Dominicę Trinitatis quis.
81 Post Introitum, vt quid dicatur Kyrie eleyson.
82 Kyrie eleyson cur in Gręco, & non in Latino dicatur.
83 Kyrie eleyson, quare ter dicatur.
84 Quęnam sit alia ratio, ut nouies, Kyrie eleyson in Missa cantetur.
85 Gloria in excelsis à quo dicatur.
86 Sacerdos cantans, & dicens hunc Hymnum cur stet in medio altaris.
87 Cur incipiens Sacerdos hunc Hymnum eleuet manus.

88 *Hunc Hymnum quis in Missa cantari instituerit.*
89 *Dominus vobiscum; salutatio, vnde ortum habuerit.*
90 *Sacerdos dicens ad populum: Dominus vobiscum, quid innuat.*
91 *Episcopus quomodo salutet populum.*
92 *Quare Sacerdos ait, Dominus vobiscum, potius quam, Deus, uel Iesus; vel Christus sit vobiscum.*
93 *Populus cur resalutet sacerdotem indifferenti modo, scilicet, Et cum spiritu tuo.*
94 *Et cum spiritu tuo vnde sumptum sit.*
95 *Cur quinquies Sacerdos vertat se ad populum.*
96 *Cur septem vicibus salutet populum Sacerdos in Missa.*
97 *Sacerdos cur semper voluat se ad dexteram.*
98 *Quando dicamur orare.*
99 *Orationes: flectamus genua: & Humiliate capita vestra Deo: cur præmittantur aliquando salutationi Sacerdotis.*
100 *Cur post Salutationem dicatur oratio.*
101 *Oratio vnde originem sumpserit.*
102 *Oratio cur dicatur Collecta.*
103 *Cur ista oratio fiat in dextera parte Altaris.*
104 *Orationes, quæ dicuntur in Missa cur impares esse eas facimus.*
105 *Si immisceatur oratio pro Defunctis in orationibus Missarum pro viuis, vt quid penultima ea esse debeat.*
106 *Orationes cur dicantur in die Parasceues post Euangelium, & nō ante Lectiones siue Epistolas.*
107 *Illa verba post orationem, scilicet, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, quid innuant.*
108 *Innocentij Papæ opinio circa prædicta verba, quænam sit.*
109 *Prædicta uerba vnde sumpta sint.*
110 *Verba sequentia scilicet. Qui tecum viuit, & regnat in vnitate spiritus sancti Deus, uti exponantur.*
111 *Verba: Per omnia sæcula sæculorum: quomodo exponantur.*
112 *Collectæ, siue orationes uti terminentur.*
113 *Amen responsio, quid significet.*
114 *Orationi cur succedat Epistola.*
115 *Epistola quid sit.*
116 *Epistola vbi debeat legi.*
117 *Epistola cur dicatur in loco inferiori, Euangelium verò in superiori.*
118 *Epistola cur præmittatur Euangelio.*
119 *Subdiaconus lecturus Epistolam, à quibus, & quot comitetur.*

120 Lectiones, & Euangelia, ac multa alia, quis primus statuerit debere dici in Missa.
121 Epistolę sumptę ex libro Moysi, vel Salomonis uti incohoentur, & qualiter terminentur.
122 Dum dicitur Epistola, cur sedeamus.
123 Epistola, quę incipit: Scientes, quia hora est iam nos de somno surgere, cur ponatur in Missa prima Dominicę Aduentus.
124 Epistolę Missę secundę & tertię Dominicę Aduentus ad quem Christi aduentum referantur.
125 Epistolę, siue Lectiones ferię quartę quatuor temporum quod, & quid innuent.
126 Cur in sexta feria Quatuor tẽporũ una tãtũ legat in Missa Lectio.
127 Cur in Missa Sabbati Quatuor temporum septem Lectiones cantẽtur, & quid signent quatuor primę Lectiones.
128 Epistolę Missarum quartę Dominicę Aduentus, In vigilia Natalis Domini quęnam, & vnde desumptę sint.
129 Epistolę Missarum Natiuitatis Domini quæ sint, & unde exceptæ comperiantur.
130 Epistolæ Missarum Sanctorum Stephani, Ioannis Euangelistę, & Innocentum, quę sint, & vnde tollantur.
131 Epistolę Missarũ Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ quæ nam sint, vnde desumptæ, & cur tali tempore frequententur.
132 Epistolę Missæ primæ Dominicę Quadrag. q̃ sit, & quid insinuet.
133 Epistolæ Missarum sequentium feriarum huius primæ hebdomadę Quadragesimæ vsque ad Sabbatum inclusiuæ, quæ sint, & vnde desumptæ, & quid nobis ostendant.
134 Missæ Sabbathi primæ hebdomadæ Quadragesimæ Epistola, & Lectiones quæ sint & vnde exceptæ, & quid sibi uelint.
135 Cur ad quinque prædictas Lectiones genua flectamus.
136 Epistolæ omnium Missarum secundæ Dominicæ, et Hebdomadæ Quadragesimæ vsq; ad Sabbathum inclusiuè quæ sint, unde translatæ, & quid sonent.
137 Epistolæ Missarũ tertiæ Dominicę, & tertiæ Hebdomadę Quadragesimæ vsq; ad sequens Sabbatum quæ sint, vnde desumptę, & quid nobis indicent.
138 Epistolæ Missarum quartæ Dominicæ, & hebdomadæ Quadragesimæ vsque ad sequens Sabbatum, quæ, vnde, & quid signent.
139 Epistolę Missarum quintę Dominicæ ac Hebdomadæ Quadragesimæ vsq; ad Sabbathum sequens inclusiuè, quę sint, unde exceptæ, & quid innuant.

Epistola

140 Epistolæ Missarum sextæ Dominicæ, & eiusdem hebdomadæ Quadragesimę vsque ad sequens Sabbathum, quæ sint, & ex quibus authoribus desumptæ, & quid illarum qualibet demonstret.

141 Epistolæ Quintæ feriæ in Cœna Domini, & Lectiones Sanctæ diei Parasceues, & Sabbathi Sancti, quæ sint, ex quibus desumptæ, & quid illæ omnes nobis innuant.

142 Cur ad orationem, quæ post hanc lectionem sequitur, non dicatur flectamus genua, sicut dictum est in antecedentibus.

143 Missæ Paschatis Epistola, eiusque breuis expositio.

144 Subdiaconus post lectam Epistolam cur faciat reuerentiam Sacerdoti.

145 Subdiaconus, cur lecta Epistola deosculetur pedes Pontificis.

146 Subdiaconus, cur lecta Epistola manus Sacerdotis osculetur.

147 Sacerdos in Missa, quare sedeat.

148 Ministrorum sessio quid designet.

149 Graduale cur dicatur post Epistolam.

150 Graduale cur quinquaginta diebus post Pascha non cantetur. Quidque illud designet.

151 Graduale vnde dicatur.

152 Graduale, secundum Rupert. unde dicatur.

153 Versus post Graduale quid significet.

154 Versus cur sic vocetur.

155 Cur post Graduale sequatur Alleluia.

156 Alleluia, quod verbum sit.

157 Quibus temporibus dicatur Alleluia.

158 Tractus quo tempore frequentetur.

159 Tractus vnde dicatur.

160 Tractus quid repræsentent.

161 Cur inclinet se Sacerdos post Tractum dum dicit versum: Adiuua nos Deus salutaris noster.

162 Prosa, siue Sequentia quid, & quid connotet.

163 Prosa, & Sequentia quidnam sint.

164 Sacerdos celebrans cur mutet locum in Altari.

165 Alia ratio quænam sit, cur sacerdos mutet locum dicturus Euangelium.

166 Sacerdos dicturus Euangelium cur populum prius salutet.

167 Quænam sit Gabrielis opinio circa salutationem populi ante Euangelium.

168 Euangelium quid sit, & vnde dicatur.

Digitized by Google

169 Sacerdos celebrans dicturus Euangelium, cur subijciat sequentia sancti Euangelij.
170 Cur Sacerdos initio Euangelij se Signo Crucis muniat.
171 Sacerdoti dicenti, sequentia Sancti Euangelij, cur respondeamus Gloria tibi Domine.
172 Verba illa; in illo tempore, vti intelligantur.
173 Quibus Euangelijs non præponatur; in illo tempore, & cur sic.
174 Diaconus dicturus Euangelium, cur petat benedictionem.
175 Cur Diacono, & non Subdiacono benedicitur.
176 Diaconus cur præmittat ante Euangelium Thuribulū cū incenso.
177 Acolythi cum Thuribulo, & incenso cur præcedant Diaconum dicturum Euangelium.
178 Subdiaconus dicto Euangelio, cur ad Sacerdotem celebrantem portet Librum Euangelij apertum.
179 Sacerdos cur Thurificet dicto Euangelio.
180 Euangelium cur in alto, & sublimi loco dicatur.
181 Euangelium, siue Passio Domini cur potius legatur secundum Ioānem, quàm secundum cæteros in die Parasceues.
182 Euangelium cur legatur in die Parasceues super pulpito nudo, & nudis pedibus.
183 Euangelium cur nudato capite dicatur & audiatur.
184 Euangelium, legente Sacerdote vel etiam Diacono, cur tunc stare debeamus.
185 Euangelia dicuntur, & leguntur variè pro loci, temporis, & rei varietate.
186 Cur post Euangelium immediatè sequatur Symbolum Apostolorum.
187 Symbolum cur alta voce dicatur in Missa.
188 Symbolum cur Sacerdos inchoet, & chorus illud cantet.
189 Symbolum auspicans Sacerdos, vt quid manus eleuet.
190 Symbolum cur in Dominicis, & Resurrectionis, & Pentecostes magis frequentetur, quàm in alijs diebus.
191 Cur genua flectamus, cū in Symbolo dicimus; & homo factus est.
192 Symbolum maius quibus diebus in Missis dicatur.
193 Symbolum cur non cantetur in Natiuitatibus Sanctorum Ioānis Baptistæ, & sancti Laurentij, sed cantetur in eorum octauis.
194 Quid sit credere in Deum, credere in Deo, & credere Deum.
195 Post Symbolum decantatum Sacerdos ad quid iterum populum salutet.

Digitized by Google

De prima sacrosanctæ Missæ sacrificij parte, quæ dicitur Introitus, siue Missa Obsecrationis.

Missa quid sit. Cap. I.

MISSA autem prout uidetur Cardinalis à Turre Cremata innuere in cap. Iacobus, de consecr. dist. 1. est Consecratio Corporis, & Sanguinis Christi, qua Sacerdos offert Deo Patri, & sumit in memoriam uitæ & Passionis ipsius Christi pro uiuis atque defunctis. Item Missa Græce, Latinè verò est interpellatio pro plebe. Iudocus autem cēset Missam Hebræum nomen esse, quod Officium sacrumque mysterium significet; quæ expositio videtur cōuenire etiam dictis Innocentij, de quibus hic infrà, quæst. 3. Vel Missa dicitur Eucharistiæ consecratio, & confectio: reliqua omnia uel quæ Sacerdos dicit, uel chorus canit, aut sunt gratiarū actiones, uel certe obsecrationes, de consec. dist. 2. c. Virum. Et Missam quidē Sacramentum esse etiam dicitur: quia post consecrationem id quod remanet, perfectum Eucharistiæ sacramentum est: sunt namq; Sacramenta, inquit Gregorius, Baptisma, Chrisma, Corpus, & Sanguis Christi. *c. 1. c. multiq. 1.* Vel Missa dicitur Sacramentum; quia sub tegmento temporalium rerum, specierum scilicet panis, & vini, diuina uirtus secretius ueri Sanguinis & Corporis Christi operatur effectum. Sacrificium item Missa dicitur: quoniam in ea offertur agnus, idest, Christus sub speciebus panis & uini existens, & latens. Nam Christus pro nobis bis seipsum obtulit in Sacrificium, primo incruentè, sub speciebus panis & uini in ultima sua cœna. Vnde hac de causa Concil. Trident. sic edixit; Si quis inquiens dixerit in Missa non offerri Deo uerum, & proprium sacrificium, aut quod offertur non sit aliud quam nobis Christum dari ad manducandum, anathema sit. *Cōc. Trid. Sess. 22. ca. 1. 2. 3. & 4 Et Can. 1. 3. & 4.* Secundo se obtulit cruentè, sub propria specie ueræ carnis humanæ in ara Crucis: ratione ergo præteriti, inquantum scilicet Missa est Sacramentum repræsentatiuum Dominicæ Passionis, quæ fuit uerum Sacrificium; & ideo inquantum per hoc Sacramētum Dominica Passio offertur, dicitur Sacrificium Missa. Ergo est Sacrificium uerum & unicum Ecclesiæ Christianæ: de quo dicitur & in Cōcil. 12. Tolet. cap. 5. & in Concil. Lateranen. sub Innocent. III. canon. 1. suorum decretorum, & in Synodo Generali c. 32. suorum decretorum, & in Concil. Trident. Sess. 22. cap. 1. 2. & 3. & canon. 1. 3. & 4. prout dictū est. Discrimen adhuc est inter Sacramentum & Sacrificium; quoniam Sacramentum istud in Missa est id, quod remanet post consecrationē, scilicet, Corpus uerum Christi, & Sanguis, iuxta illud, quod paulò ante dictum est, nempe, Sacramenta sunt Baptismus, Chrisma, Corpus, & Sanguis Christi. *Differētia inter Sacramētum & Sacrificium.* Sacrificium verò est utraque illa panis & uini species: quæ Sacrificium dicitur, quoniam ipsa Sacrificatur. ut dicitur in cap. Sacrificium, de Consecr. dist. 2.

Digitized by Google

Corporis, & Sanguinis Christi consecratio, quibus medijs, & quibus verbis fiat. Cap. II.

Ista autem Corporis, & Sanguinis Christi consecratio, confectiove, atquè viuificatio, istis quidem medijs, ac uerbis conficitur. Medijs quidem, idest, per Sacerdotem, qui ritè ordinatus sit, secundum claues Ecclesiæ. Verbis verò, scilicet Christi, dicentis: HOC EST CORPVS MEVM? ex Quib. inquam uerbis, panem, & uinum in Corpus & Sanguinem suum transmutauit.

Matth. 20

Missa unde dicatur. Cap. III.

Lib. 6. c. 11

Missa autem dicitur secundum Dominum Innocentium, & Ministerium, & Mysterium, idest, Officium, quod profertur, & Sacrificium, quod offertur. Officium uerò diuiditur in Missam Cathecuminorum, & fidelium Missam. Dicitur Misa ab emittendo; quia tempore, quo Sacerdos incipit Eucharistiam consecrare, Cathecumini foras de Ecclesia emittuntur. Missa fidelium est ab Offertorio usque post Communionem, & dicitur Missa à dimittendo, quia tunc ad propria fidelis quisque dimittitur. Ipsum uerò Sacrificium, idest, Hostia, Missa uocatur, quasi transmissa.

Alia Missa diuisio qua sit, secundum Archidiaconum. Cap. IIII.

1. Tim. 2.

Verum Dominus Archidiaconus in cap. de Hymnis. de consec. dist. 1. aliam Sacrosanctæ Missæ diuisionem adducit, cum inquit, His uerbis Apostolus (dicit enim Apostolus ad Timotheum: Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus) tradidit omni Ecclesiæ formam, qualiter debeant Missarum solennia celebrari, & apertè distinguit in quatuor partes Missam, scilicet in obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones. Prima pars Missæ prætenditur ab Introitu vsquè ad Offertorium, & dicitur Misa Obsecrationis. Secunda pars Missæ extenditur usquè ad finem Dominicæ orationis, & dicitur Misa Orationis. Tertia pars Missæ protenditur usquè ad finem, & dicitur Misa Gratiarum actionis. De alia parte uidelicet postulationis vide infrà capit. 53. Quare omissis alijs multorum Theologorum, & Canonistarum diuisionibus, hanc D. Archidiaconi omnino sequar, quia dilucidior profectò uidetur cæteris: salua tamen semper Reuerentia Domini Papæ Innocentij, cuius quidem diuisionem, à se factam semper amplecterer, nisi ab initio hoc opusculum in sex Tractatus secandum iam statuissem. Verum quoniã mihi magis commoda sit hæc secunda diuisio, ad sex prædictos Tractatus conficiendos, eapropter secundam diuisionem, scilicet Archidiaconi indagandã aggrediar; cum

aliqua

Digitized by Google

aliqua prius uerba de hoc Sacrosanctæ Missæ Sacrificio fecero. Dignum est enim tanta elucidatione ut uix eam nemo uerbis includere possit: præuio tamen diuino fauore hoc nobis consequi permittitur.

Sacrosancta Missa Sacrificium quis instituerit. Cap V.

EXcellentissimum autem hoc Eucharistiæ Sacramentum à Christo institutum esse hæsitet nemo. Hoc autem firmissimè tenet Magister Sententiarum: Romanus etiam Cathechismus: necnon nouissimo loco, ut alios taceamus Tridentina Synodus, dum sic fatur; Ita enim maiores nostri omnes quotquot in uera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima Cœna Redemptorem nostrum instituisse. *Concil. Tridē. Sess. 13. cap 1. Romanus Cathechis. Mag. Sent. Lib. 4. d. 8.*

Vt quid à Christo institutum sit hoc Sacramentum. Cap. VI.

PRæstantissimum autem hoc Sacramentum Christus ordinauit, in quo diuitias diuini sui amoris erga nos effudit, ut memoriam suorum mirabilium faceret, atquè suam mortem annunciaremus; donec ipse ad iudicandum mundum ueniat: utquè etiam fidelium spiritualis cibus esset animarum, pignusquè futuræ nostræ gloriæ, & fælicitatis. *Cōc. Trid. sess. 13. c. 2.*

Quid sit illud quod uocamus Sacramentum in Missa. Cap. VII.

SEd dic mihi quid est illud, quod uocamus Sacramentum in hoc Sancta Missa: an sit actio ipsa, puta Consecratio, uel Sumptio Eucharistiæ, uel aliquid aliud, Respondet sanctus Thomas, quod nec Consecratio, nec Sumptio Eucharistiæ est Sacramentum, nec pars Sacramenti; sed Sacramentum Eucharistiæ perfectum est id, quod remanet post Consecrationem; sicut nec collatio Baptismi est Sacramentum Baptismi; Ita nec Consecratio Eucharistiæ, nec ipsa Sumptio; sed Species ipsa, & Corpus Christi est Sacramentum. Patet hoc etiam ex dictis Sancti Gregorij, dicentis. Sunt autem Sacramenta, Baptisma, Chrisma, Corpus & Sanguis Christi. *3. par q. 73 ar. 1. ad 3. & 78. art. 1. ad 2.*

Corpus & sanguis Christi cur dicatur Sacramentum. Cap. VIII.

IDem Beatus Gregorius inquit: Ob id autem Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum diuina uirtus secretius salutarem eorundem Sacramentorum operatur effectum.

Substan-

Digitized by Google

Substantialia huius Sacramenti Missæ quænam sint. Cap. IX.

DE substantia autem huius Sacramenti sunt quatuor: Primum est, quod consecrans Eucharistiam sit Sacerdos; Secundum, Species panis, & uini; Tertium, intentio Consecrantis. Quartum est for-
Lib.6.c.12 ma uerborum, uidelicet: HOC EST CORPVS MEVM. & ista sequens etiam super Calicem: HIC EST ENIM CALIX &c. Hæc ex Compendio Theologicæ ueritatis.

Huius Sacramenti quis sit effectus. Cap. X.

DIgnè autem suscipientes Corpus Christi, bonum multiplex consequuntur: Primum bonum est Christi commemoratio: nam ipse dixit. Hoc facite in meam comemorationem, scilicet, Dilectionis Liberationis, & Imitationis.

Secundus effectus quis sit. Cap. XI.

SEcundus item Sacræ Eucharistiæ effectus est, Viuificatio interior, quia nonnunquam per uirtutem huius Sacramenti fit de attrito contritus. Vnde legitur in Genes. Lignum uitæ comestum uitam præ-
Genes. 1. stabat, & benè redditur uita per cibum, per quem & mors intrauit. Tertius est, Corporis Christi mystica incorporatio. Quartus effe-
Psal. 122. ctus est, Fomitis mitigatio. Psal. Super aquam refectionis &c. Quin-
Exod. 16. tus effectus est, Collatio Gratiæ. Exod. Descendente Manna, descen-
Psal. 103. debat pariter & ros. Sextus est, Virtutum roboratio. Psal. Panis cor hominis confirmet.

Alij huius Sacramenti quinam sint effectus. Cap. XII.

Psal. 22. SEptimum bonum est huius Sacramenti, Contra Diabolum armatio, iuxta illud: Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes. &c. Octauum bonum est, Angelica conuiuatio. Psal. Panem An-
Psal. 77. gelorum manducauit homo. Nonum bonum est, Regni cælestis collatio. Ioann. Qui manducat meam carnem, & bibit meum san-
Sapien. 16. guinem. &c. Decimum est, Spiritualis delectatio. Sapien. Panem de cælo præstiti eis, omne delectamentum habentem. &c. Vndecimum est, Intellectus illuminatio, iuxta illud: Gustauit Ionathas de melle,
Reg. 14. & illuminati sunt oculi eius.

Præfiguratum an sit hoc Sacramentum. Cap. XIII.

PRæfiguratum etiam est hoc Sacramentum Corporis Christi mul-
Genes. 14. tipliciter, scilicet, in oblatione Melchisedech, in qua figuratè habemus formam exteriorem Sacramenti, & primum effectum, scilicet,

Refe-

Digitized by Google

Refectionem: ibi enim præcessit figura spiritualis uitæ in se, in re. &c. Item in Agno Paschali in quo præfiguratum item est in Manna, ubi figuratur effectus gratiæ figurabatur liberatio à seruitute Aegyptiaca; Ita noster Agnus est signum liberationis à Diabolo. Item in oblatione Manuel, per quam figurabatur, in quo debet fieri oblatio, & super quid. *Exod. 12.* *Iudic. 13.*

Figura uerò Sanguinis Christi quid fuerit. Cap. XIIII.

SEd figura Sanguinis Christi fuit uinum ad designandum refectionem. Cantic. Introduxit me Rex in cellam uinariam. Item fuit aqua ad designandum ablutionem: Vnde illud Ezechielis, Vidi aquam egredientem, &c. Item fuit Sanguis ad designandum Redemptionem. Apost. sine sanguinis effusione non fit remissio. De alijs figuris, & Corporis, & Sanguinis Christi, uide aliquid in libello trecentum quæstionum, quas feci in Diuinum Officium Tract. 3. quæst. 128. De mirabilibus præterea, quæ sunt in Eucharistia, & ibidem diffusè dixi. *Cantic. 2.* *Ezech. 47.* *Author lib. alibi.*

Dignitates huius Sacramenti quænam. Cap. XV.

DIgnitas, & Excellentia huius Sacramenti apparet in multis. Prima est, sicut dictum est, quia tam ante Legem, quam in Lege fuit præfiguratum.

Secunda dignitas quæ sit. Cap. XVI.

SEcunda autem excellentia, siue dignitas est, quia à Prophetis hoc Sacramentum fuit prænunciatum: Psalm. Panem Angelorum manducauit homo. Ponitur autem hic præteritum pro futuro, Prophetali certitudine. *Psal. 77.*

Tertia excellentia quæ sit. Cap. XVII.

TErtia uerò huius Sacramenti dignitas, & excellentia est, quia à Christo Domino nostro fuit institutum: & hoc dupliciter, scilicet, uerbo, & facto: uerbo, ut patet Ioann. Ego sum, inquit, panis, qui de cælo descendi, &c. facto. Matth. Accipite, & comedite, HOC EST CORPVS MEVM. Quarta excellentia; quia ab Apostolis fuit obseruatum. Apost. Conuenientibus uobis in unum &c. *Matt. 26.* *1. Cor. 1.*

Quarta excellentia in quibus consideretur. Cap. XVIII.

QVarta autem huius Sacramenti dignitas est, quia à Summis Pontificibus solennizatum fuit, qui ordinauerunt cantum, orationes, locum, & tempus, & uestimenta, & uasa diuersa; quæ omnia sunt ad decorem huius Sacramenti. *Clem. 1. De reliq. et venerat. Sanct.*

Quinta,

Digitized by Google

Quinta, & maxima huius Sacramenti dignitas, quaenam sit. Cap. CIX.

Psal. 47. MAxima insuper dignitas apparet in hoc Sacramento: quia cum Christus constet ex tribus, uidelicet, Deitate, anima, & corpore, ipsa quidem Deitas excellit omnia. Psal. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Item anima eius praecellit omnes animas, cum sit plena gratia, & ueritate; Item Corpus eius excellit omnia Corpora, quod ex Sanctificato Corpore Beatissimae Virginis fuit sumptum, & Diuinitati unitum. Ergo Christo nobilissimum, quod est in caelo, & nobilissimum quod est in terra, unita sunt.

Missa quasnam habeat praerogatiuas. Cap. CX.

Sup. Trac. 1. q. 16. PRaeterea praerogatiuas plurimas quas in Tract. primo innuimus, & attigimus, habet Missa; Prima est, quia celebratur à ieiunis. Secunda est, quia tantum in Ecclesia, & super Altari celebratur, nisi quandoque propter necessitatem fiat sub tentorio, uel in alio loco honesto.

Cur super Altari celebretur Missa. Cap. CXI.

SVper Altare autem secundum Cardinalem à Turre Cremata, celebratur Missa, quia omnia Sacrificia tam ante Legem, quam in tēpore Veteris Legis significatiua huius Sacrificij, scilicet, Corporis, &

Genes. 28. Sanguinis Christi, oblata leguntur super Altare aliquod, Genes. Aedificauit Noe Altare Domino, tollens de cunctis uolatilibus, & pecoribus: obtulit super Altare Abraham, & Genes. Aedificauit Altare Domino, qui apparuit ei.

Tertia, Quarta, Quinta, ac Sexta Missae praerogatiua quae sint. Cap. CXII.

Sup. Tract. 1. q. 1. cum seq. & q. 28. TErtia est praerogatiua; qua celebrantem, ut paulò ante diximus, oportet esse Sacerdotem. Quarta est, quia oportet eum indutum esse Sacris Vestibus. Quinta praerogatiua Missae est; quia tantummodo fit in die & non in nocte, nisi in Natiuitate Domini. Sexta est, quia celebratur accenso lumine, etiam si mille soles lucerent super terram.

Septima Missae prerogatiua quae sit. Cap. CXIII.

SEptima est praerogatiua Missae, quia ibi sonant uerba Diuina, Angelica, & Humana. Diuina cum dicitur, uel cantatur, Pater noster, & leguntur uerba Domini in Euangelio. Angelica uerò

quando

Digitized by Google

quando dicitur, Gloria in excelsis Deo, &c. Humana autem, ut in Collectis, & huiusmodi.

Octaua prærogatiua Missæ, quæ sit. *Cap.* XXIIII.

OCtaua Missæ prærogatiua, & excellentia est, quoniam ibi audiuntur tria Idiomata nobilissima, scilicet, Hebraicum, ut Sabaoth, & Osanna. Græcum, ut kyrieleyson. Latinum, ut in alijs quæ sunt ibi. *Infrà Tract. 4. q. 84. & tract. 4 q. 47.*

Prærogatiua nona Missæ in quibus cognoscatur. *Cap.* XXV.

NOna uerò prærogatiua est, quia Missa suo modo tam plena est mysterijs: sicut Mare guttis, sicut Sol atomis, sicut firmamentum stellis, sicut cælum Empireum Angelis.

Decima excellentia Missæ quænam. *Cap.* XXVI.

AD hæc decima Missæ prærogatiua innotescit in hoc, quia Sacerdotes in solennibus Ecclesijs habent in Missa sua plures Ministros, Diaconum, Subdiaconum, Acolythos, & huiusmodi.

Vndecima Prærogatiua Missæ ex quibus cognoscatur. *Cap.* XXVII.

MIssæ autem prærogatiua undecima ex hoc cognoscitur, quia Angelis ibi existentibus, sufficit in presentia tantæ Maiestatis esse scholares. Duodecima demum Missæ excellentia est, quia in ea est, Dominus cæli & terræ.

Quo cultu adorandum sit hoc Sanctum Sacramentum. *Cap.* XXVIII.

NEmo profecto ullatenus dubitet hoc Sacrosanctum Missæ Sacrificium Latriæ adoratione adorandum esse: quando quidem & Sancti Patres Tridentinæ Synodi hoc hagie faciendum statuerunt. In ea siquidem sic legimus. Si quis dixerit in Sancto Eucharistiæ Sacramento unigenitum Dei filium non esse cultu Latriæ etiam externo adorandum, anathama sit. Et de hac re, siue materia, dixi multa in Hymnorum expositione, præsertim in Hymno illo qui incipit. Pange lingua gloriosi corporis mysterium, super illo uersu, Tantum ergo Sacramentum ueneremur cernui. *Cõc. Trid Sess. 13. c. 6 Author alibi.*

Digitized by Google

Quis primus omnium post Christum dixerit Missam. Cap. XXIX.

Ioan. 10. & 13. PRinceps Apostolorum Christi, Beatus Petrus, uoluntatem magni illius Testatoris Christi, qui discessurus ex hoc mundo ad Patrem Nouum condidit Testamentu, disponens hæredibus suis Regnum, sicut Pater suus sibi disposuit, ut super mensam eius edant, & bibant in Regno, quod Ecclesia consecrauit. Matt. 26. Luc. 22. Cœnantibus, inquam illis, accepit Iesus Panem & gratias agens benedixit, & fregit deditq; *Discipulis suis dicens*: Accipite, & manducate: HOC EST CORPVS MEVM, *quod pro nobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem*: Auidè adimplere cupiens, hac Christi institutione formatus, ille primus omnium Missam dicitur celebrasse in partibus orientalibus: ubi post Domini Passionem quatuor annis cathedram tenuit Sacerdotij Magni.

Inn III. in prologo de Myst. Miss. hoc dicit. Ephes. 2. Petr. 2.

Quibus uerbis utebantur Apostoli, quando Missam dicebant. Cap. XXX.

Innoc. Archidiac. Lib. 1. c. 3.

SCiendum est autem nobis, quod idem Innocentius in præallegato prologo, necnon & Archidiaconus, in cap. Iacobus, de consecrat. dist. 1. ac denium Guilielmus in Rationali suo, referunt, quod Missa olim non cum tanto apparatu, nec cum tanta solennitate cantabatur. Primo enim ab Apostolis dicebantur illa uerba tantum in celebratione Missæ, quæ Dominus dixit: HOC EST CORPVS MEVM. sed postea Apostoli addiderunt orationem Dominicam, & hæc consuetudo Apostolorum adhuc repræsentatur singulis annis in Sancto die Veneris Sancti; eo excepto, quod eo die non consecratur. Postea & tertiò ijdem Apostoli, uel eorum successores instituerunt, ut Epistola, & Euangelium legerentur ante Sacrificium. Primo enim Epistola legebatur, & postea Euangelium, Tertio Dominica oratio, Quarto dicebantur uerba Domini, & tunc Officium Missæ inchoabatur à Lectore. Qui mos in Sabbatho Sácto Pentecostes adhuc retinetur: Et postea sancti Patres, & Apostolici uiri istas solennitates, quas nunc habet Missa, addiderunt: ut Alexander, Gelasius, Gregorius, Leo, Celestinus, Damasus, de quibus solennitatibus non est hic nostrum instituturn dicere; quia Missæ tantum mysteria enodare polliciti sumus: proinde pro illis uide præfatum Durandum, & alios authores: Ergo in principio nascentis Ecclesiæ Apostoli tantum illis uerbis Domini utebantur, HOC EST CORPVS MEVM, in consecratione Corporis, & Sanguinis Christi.

Missa hodie dicitur cum maiori apparatu quã fiebat tempore Apostolorum.

c. Iacob. de consecrat. dist. 1.

Matt. 26.

An consecretur tam in pane azimo, quàm in fermentato. Cap. XXXI.

c. fi. de celebr. Miss.

AN autem in fermentato pane fiat transsubstantiatio hic quæritur, & quidem Glos. in c. finali, de celebrat. Miss. tenet omnino non

Digitized by Google

non fieri transubstantiationem, seu consecrationem Corporis Christi in pane fermentato: fundans suam rationem in uerbis Pauli dicentis: Non in fermento ueteri, sed in azimis sinceritatis. quam quidem rationem elidit Abbas Panormitanus dicens; quod Theologi communiter tenent contrarium, scilicet, ut transubstantiatio fiat etiam in pane fermentato, licèt Latine sic celebrantes, grauiter peccét, & sint puniēdi. *1. Cor. 5.* *Abb. in c. fi. de celeb. Miss.*

Qua pœna sint puniendi celebrantes in pane fermentato, uel sine igne, aqua, uel cum cypho ligneo. Cap. XXXII.

POena autem qua puniuntur illi, qui in pane fermentato uel sine igne, aqua, aut in uase ligno celebrant, hæc est, secundum Decretalem Honorij Papæ, in c. fin. extra de celebr. Miss. quod scilicet sic celebrans, & Sacrificans ab Officio, & beneficio deponitur. *in c. fin. de celeb. Miss.*

Missa ubi dici debeat. Cap. XXXIII.

PRofectò in Ecclesia ordinariè celebrare licet, in alijs autem locis cum licentia. In mari autem, uel in fluuio nunquam etiam ob necessitatem licet, ubi probabiliter timetur de Sanguinis effusione. Sub dio autem, idest, aëre propter necessitatem licet celebrare, potius quam Missam perdere,, quia eo casu Papa dat licentiam. *c. concedimus, de consecr. dist. 1.*

Quibus horis Missa sit celebranda. Cap. XXXIIII.

SAnctus Thomas tractans qua hora Missa sit celebranda, ait, Solennis Missæ celebratio est instituta tribus horis fieri, scilicet, in Tertia, diebus festiuis. De qua etiā in c. nocte, de consecr. dist. 1. fusius dicitur. Item in Sexta, diebus profestis. & in Nona, diebus ieiuniorum. De qua pari modo præcipitur etiam in c. solent. eadem dist. Nam in Missa recolitur mors Christi, qui Hora Tertia Crucifixus fuit linguis Iudeorum. Et Hora Sexta manibus militum, & Hora Nona expirauit. *Sanct. Tho. in 4. q. 13. c nocte, de consecr. distin. 1. Mar. 14. Luc. 22.*

Quando fiant Ordinationes, qua hora Missa sit dicenda Cap. XXXV.

SEd inquit ille pergens: Verum quando fiunt Ordinationes clericorum, potest Missa celebrari etiam post Nonam, & præcipuè in Sabbatho Sancto. *S. Tho. ibi.*

Priuata Missa celebratio quam horam habeat. Cap. XXXVI.

INsuper vlterius procedens Sanctus Thomas inquit; Priuatæ uerò Missæ dici possunt à Mane usquè ad Tertiam, uel etiam usque ad

Digitized by Google

c. Necesse. ad Nonam in diebus ieiuniorum. Vide cap. Necesse, de Consecr. dist. 1.

Quare quotidie Missa in Ecclesia celebretur: Cap. XXXVII.

Sanct. Tho. ibidem. SAnctus Tomas in præallegato loco differens de causis, cur quotidie Missa sit à Sacerdotibus celebranda in Ecclesia, quinq; adinuenit causas, easq; in medium afferens ait; Quinque de causis Missa in Ecclesia quotidie celebratur. Prima est, quia debet semper parata esse Medicina contra quotidiana peccata. Secunda est, ut lignum uitæ semper sit in medio Paradisi. Tertia est, ut nobis Christus quotidie uniatur Sacramentaliter, & nos ei spiritualiter. Quarta est, ut apud nos sit iugis memoria Passionis eius. Quinta est, ut uero agno, loco typici quotidie utamur: ad Vesperam & famem patientur ut canes. Hæc eadem refert Cardinalis à Turre Cremata in cap. Iteratur. de Consecr. dist. 2.

Psal. 58. Car. à Turre crem.

Causa causarum prædictarum hic quæritur. Cap. XXXVIII.

PRæfatus Sanctus Thom corroborans suum dictum, quod Missæ sint quotidie in Ecclesia celebrandæ, inquit, Sacramentum Ecclesiæ deberet assiduari magisquam Sacramentum Veteris Legis: sed quotidie in Veteri Lege offerebatur Sacrificium, ergò multo fortius debet in Noua Lege fieri. Secundo, Panis huius Sacramenti dicitur quotidianus; sed non nisi quotidie consecretur ita dici potest, ergo quotidie consecrari debet.

Nota.

An uera sit affatus S. Thomas de hac quotidiana Missarum celebratione. Cap. XXXIX.

D. Tho ibi. SEd uidetur quod non debeat quotidie Missa in Ecclesia celebrari, quia in Missa recolitur Dominica Passio. Sed Ecclesia celebrat memoriam Dominicæ Passionis semel in anno; ergo non pluries debet in Ecclesia Missa dici. Secundo sic arguit, in die Parasceue agitur memoria Dominicæ Passionis, nec tamen tunc consecratio fit; ergo multo minus debent fieri in alijs diebus.

Quod uera sint, quæ de Missa locutus est S. Thomas. Cap. XL.

Ibidem. AD argumenta, & obiectiones factas respondet Beatus Thomas, & primo ad primum dicens, Ad primum dicendum, quod Passio prout in cap. contingit, semel tantum in anno repræsentatur in Ecclesia, sed prout in nos eius effectus prouenit, quotidie debet repræsentari, quia eius effectus in nobis continuus est, & sic etiam repræsentatur in hoc Sacramento effectus. Ad secundum, dicendum est, quod

Digitized by Google

quod Ecclesia uolens populum Christianum circa ipsam Dominicam passionem prout in cap. nostro fuit, mente occupari; statuit, ut illa die non consecraretur. Ne tamen omnino Ecclesia sine Corpore Christi esset, corpus Christi præcedenti die consecratū, & reseruatum sumitur. *Nota cur non consecretur in die Veneris Sancto.*

An ista quotidiana Missarum celebratio prosit æquè defunctis, ut prosit uiuis. Cap. XLI.

AN autem Christus se obtulerit Hostiam, & Sacrificium pro uiuis, & defunctis, hic quæritur? Et certè nullatenus est dubitandum: Viri siquidem astantes compungebantur percutientes pectora sua, & Defuncti apertis monumentis surrexerunt. Præterea hoc manifestè confitentur Theologi etiam in Compendio Theologicæ veritatis, dicentes: Hostia in Missa frangitur propter tres status Ecclesiæ, scilicet, Militantium, Triumphantium, & in Purgatorio ardentium. Ergo existentes in purgatorio Missis, & Sacrificijs possunt iuuari ab existentibus in hoc sæculo; quoniam mortui non desinunt per mortem esse membra eiusdem corporis mystici, iuxta quod ait Apostolus: Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa: omnia autem membra corporis cū sint multa, unum tamen corpus sunt: si ergo non desinunt per naturam, multo minus desinent per gratiam, quia gratia cum sit potentior, quam natura in corpore mystico: ideo unum membrum potest supplere indigentiam alterius. Sancta ergo, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. *Matth. 8.* *1. Cor. 12.* *2. Mac. 12.*

Concilium Tridentinum quid de hac re dicat. Cap. XLII.

HAnc autem rationem nostram, & authoritates adductas videtur approbare Tridentina Synodus, cum inquit: Quare non solum pro fidelium uiuorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur. *Cōc. Trid. sess. 22 c. 2. & can. 3.*

Missa qualiter, & quæ prosint defunctis. Cap. XLIII.

ESt autem aduertendum, quod Missa de aliquo Sancto ita prodest defunctis, ac si de mortuis diceretur; quoad Sacrificium: quo autem ad orationes, magis prodest ea, quæ pro defunctis est. Huic tamen defectui facit satis maior deuotio, uel affectio eius, qui Missam de Sancto celebrat, secundum D. Thom. 4. Sent. Dist. 45. Sed certè non est benè factū relinquere Missas ordinarias, quādo debēt dici ꝓ Missis mortuorū.

Missa siue defunctorum, seu Sanctorum, cur in die, & non in nocte dicatur. Cap. XLIIII. *D. Tho. 4. sent. dist. 3. q. 1.*

MIssa verò omnis siue Sanctorum, siue Mortuorum sit, in die, & nō in nocte dicitur, secundum D. Thom. & Archidia. in c. nocte, de consec. dist. 1. ob illam Pauli authoritatē dicentis: Nox præcessit, dies autē *Archidiac.* *Rom. 13.*

Digitized by Google

appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, vt in die honestè ambulemus. Huic etiam rationi potest accedere & illa ratio Cassiani Heremitæ, videlicet: Cur sancti Patres non comederent ante solis occasum; sicut & Beatus Antonius Abbas hoc illabefactè obseruabat, ut uidelicet, tempus lucis cum spiritualium meditationum studijs, curam verò corporis cum nocte sociaret. Cur igitur in die Missa dicatur, & non in nocte expressè habetur in c. Nocte, prædicto, de consecr. dist. 1.

Cassian li. 2. c. 5.

c. Nocte, de consecr. distin. 1.

Missæ tres quæ celebrantur in Natiuitate Domini, quid repræsentent. Cap. XLV.

PEr tres autem Missas, quæ in Natiuitate Domini concelebrantur, tres Christi Natiuitates secundum Theologos in Compendio Theologicæ veritatis, repræsentantur. Est etenim triplex Christi Natiuitas, scilicet, Diuina, Humana, & Gratuita. Primam, scilicet Diuinam, Ecclesia repræsentat in Missa, quæ cantatur in nocte: est enim hæc Natiuitas nobis occulta. Esai. 53. Generationem eius quis enarrabit? Secunda in Missa, quæ cantatur in aurora: quia Natiuitas humana partim fuit occulta, partim manifesta; sed manifesta quantum ad actum. Tertiam Natiuitatem Gratuitam videlicet, Ecclesia repræsentat in Missa quæ cantatur in die, quia Natiuitas gratuita est manifesta, in qua Christus per affectum concipitur, per affectum nascitur, & per amorem perfectum nutritur. Hæc supra dicta refert Cardinalis fusius in c. Nocte, de Consecrat. dist. 1.

Lib. 4. c. 1.

Esai. 53.

Card. à Tur. crem.

Secundum Canonistas, quid repræsentent iam supradictę tres Missæ. Cap. XLVI.

AT secundum Canonistas, iam præmemoratæ tres Missæ innuunt nobis triplicem statum, scilicet statum ante Legem, sub Lege, & statum Gratiæ. Missa si quidem, quæ cantatur in nocte, repræsentat statum illum, qui fuit ante Legem, quando omnes erant in tenebris. Vnde dicitur in illa Missa Prophetia; Populus gentium, qui ambulabat in tenebris. Secunda, quæ dicitur in aurora, repræsentat tempus sub Lege, in quo iam incipiebant ex parte scire Christum, sed non benè, propter dicta Legis, & Prophetarum, & ideo cantatur inter noctem, & diem, & dicitur Officium: Lux fulgebit hodie. Tertia dicitur in die, per quam designatur tempus Gratiæ, scilicet, præsens, vnde dicitur Officium: Puer natus est. &c. Hoc idem dicit prædictus Cardinalis à Turre Cremata, quod potes intelligere his versibus.

In c. constituisti de celeb. Miss.

Nota.

Esai. 9.

Versus.

Tres in Natali debent Missæ celebrari.
Quarum prima Sacram Christi signat genituram.
Altera venturi designat gaudia Christi.
Tertia iam factum, quod Lex fore sacra figurat.

At

Digitized by Google

An pro Missa celebranda Sacerdos debeat habere præmium. Cap. XLVII.

NOta pro solutione propositæ quęstionis quatuor fundamenta, quę esse debent ista, scilicet: Sacramentum; Stipendium; Labor, & Obligatio; & cogita an super quouis fundamento possis fabricare, & accumulare necne. & certè pro Sacramento tu nihil potes accipere, aliàs Simoniam committeres, quę est deliberata uoluntas emendi, uel vendendi aliquid Spirituale, vel Spirituali annexum. Si enim hoc faceres, videris velle Sacramentum istud magnum vendere, & dona Deì non uenduntur certè. Pro Stipendio uerò non prohiberis aliquid accipere; Nam, ut inquit Paulus; Quis militat suis stipendijs unquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? non alligabis ergo os boui trituranti. At pro Labore antecedente, uel subsequente, sed non pro Labore concomitante Sacramentum, potes pari modo assequi tuam mercedem. *Simonia.* *Act. 8.* *1.Cor. 9.*

Pro Obligatione tandem simili modo potes accipere aliquid, quoniam obligati sunt Parochiani alere suum Parochum; eo quia illis exhibet cibum Spiritualem. Vnde Apostolus ait: Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles; debent & carnalibus ministrare illis; & alibi ait; Etiam si uobis Spiritualia seminauimus magnum est, si nos carnalia uestra metamus? De hac materia fantur multa iura, præsertim cap ad Apostolicam. De Simonia, Abb. in cap. ueniens, num. 3. de testib. *Rom. 15.* *1. Cor. 9.* *c. ad Apost. De Simon. Abbas.*

Missa an pluribus secundum intentionem celebrantis prodesse possit, quæritur. Cap. XLVIII.

NOn est dubium quin Sacerdos celebraturus pro aliquo, uel aliquibus, (dummodo non fecerit promissionem alicui de merito totius illius Missæ) si superueniat alius, uel etiam plures rogantes celebrari pro animabus suorum defunctorum; possit omnes acceptare, & ualeat pro omnibus secundum deuotionem offerentium, satisfacere: nam offerentes eleemosinam, & rogãtes offerri, dicuntur offerre & ipsi Sacrificium. & in hoc sensu potest intelligi c. non mediocriter, de Consec. dist. 5. Debet ergo Sacerdos cautus esse, ut nulli promittat specialiter, sed dicat, Rogabo pro eo. Sed si Sacerdos promisit celebrare in uno loco, uel de Spiritu sancto, uel aliter, & non facit, infideliter agit, & non satisfacit. *c. non mediocriter, de consecr. dist. 5.* *Notent hic Sacerdotes*

Missa boni Sacerdotis an plus prosit, quàm mali. Cap. XLIX.

NOn est insuper ambigendum, quod Missa boni Sacerdotis, orantis etiam in persona Ecclesię, ut eius instrumẽtum, plus ualeat, quàm mali ad impetrandum gratiam. Quanto enim melius est instrumentum, tanto opus melius efficitur. Nam & in mensa corporali *Nota.*

Digitized by Google

eundem cibum iucundius accipimus à mundo ministro, quàm ab immundo. Quo autem ad Sacramentum, æqualis est, & omnes Missæ sunt æquè bonæ quantũ ad opus operatum. Vna tamẽ, vt diximus, est melior altera, quantũ ad opus operãs. Hæc ex cõpendio Theologicæ ueritatis.

Lib. 2. c. 20.

Missa pro quibus dici debeat. Cap. L.

cap. visum, De consec. dist. 2.

MIssa autem non debet dici, nisi pro his qui sunt membra Christi, ut pro uiuis & mortuis in charitate existentibus, ut disponitur in c. Visum, de consec. dist. 2. alijs autem nequaquam prodesset. Pro his qui sunt in gloria celebratur ad honorẽ, & gloriam eorum, uel pro solatio uiuorum. Reliquum est modo ut dispiciamus quid sit Obsecratio, postquam est nostrum institutum declarare Missam Obsecrationis.

Quid sit obsecratio? Cap. LI.

Inn. Papa. Archidiac.

SVpra secauimus Missam; secundum Innocentium; in duas partes; secundum uerò Archidiaconum diuidebamus illam in quatuor partes, uidelicet, in Missam Obsecrationis, in Missam Orationis, in Missam Postulationis, & in Missam Gratiarum actionis. Et de hac uoce Missa nonnulla inquisiuimus: superest modo, ut unamquamque Missæ partem indagemus, & unicuique parti suum assignemus terminum. Itaque Obsecrationes, uel precationes accipimus quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa, incipiat benedici, & hoc dico secundum Ioannem à Turre Cremata, in c. de Hymn. de consec. dist. 1.

Cardina. à Turre Cremata.

Quando faciamus in Missa Orationes. Cap. LII.

DIctum fuit quando in Missa fiant Obsecrationes, nunc dicamus quando in illa eadem faciamus Orationes. Et quidem Orationes sunt, quas fundit Sacerdos in ipsa Consecratione Eucharistiæ, idest, cum benedicitur, & Sanctificatur, id quod est in mensa Domini.

Quando dicantur fieri Postulationes in Missa. Cap. LIII.

POstulationes, vel interpellationes fiunt, cum populus ab Episcopo benedicitur, qui super eum inuocat nomẽ Domini. Quod tractum est ex Veteri testamẽto. Per Moysen enim dicit Dominus Sacerdotibus, Inuocabitis nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.

Num. 6.

Quid sit Gratiarum actio. Cap. LIIII.

AT Gratiarum actio est de peractis, quæ concludit, quasi totum sit à Deo, ut Benedicamus Domino. Vel obsecrationes sunt adiurationes pro rebus difficilibus, ut pro conuersione impij, & pro remouẽdis ma-

Digitized by Google

dis malis. Orationes sunt, ut quando iam conuersis uirtutes, & dona orantur. Postulationes, ut quando iam iustis gloria cœlestis oratur. Gratiarum actiones sunt de omnibus, & pro omnibus, qui constituti sunt in sublimi dignitate, ut Ducibus, Comitibus, etiam si sint mali. Et de istis si tu plura, & forte pulchriora scire cupis, assume tibi Cassianum Heremitam, qui satis abundè de istis docuit. *Cassian. coll. 9. c. 11.*

Introitus quid sit. *Cap. LV.*

Est autem Introitus nihil aliud, nisi Antiphona, quæ Græcè, secundum Innocentium lib. 2. c. 18. dicitur uox reciproca: quia duo Chori reciprocando uicissim Melodiarum cantus alternant. De Antiphona autē, & quis induxerit ritum canēdi Antiphonas, uide libellum meum tercentum quæstionum tract. 2. quæst. 20. *Introitus quid sit.* *Author alibi.*

Introitus quid designet. *Cap. LVI.*

Introitus uerò Missæ, ut uult prædictus Cardinalis, significat introitum Christi in mundum. Vel significat desiderium sanctorum Patrum suspirantium Christi præsentiam. Vnde dum in Missa solenni canitur *Introitus*, Sacerdos egreditur è Sacrario ueniens ad Altare. Quo cantu, & Sacerdotis egressu recolitur clamor, & desiderium Sanctorum Patrum clamantium, & dicentium: Emitte Agnum Domine. &c. Et sicuti dum ipsi hæc loquebantur clamantes, uenit Iesus in mundum: ita dum canitur Introitus, uenit Sacerdos extra Sacrarium in publicum; ut & Christus de thalamo est & ipse egressus. *Ioā. Card.* *Iacobus.* *Esai. 16.* *Psal. 18.*

Alia Introitus significatio. *Cap. LVII.*

Vel Introitus secundum Theologos in Compendio Theologicæ ueritatis, significat inchoationem boni operis; & duplicatur, quia in nostra inceptione debemus declinare à malo, & facere bonum. *lib. 6. c. 18.*

Gloria Patri in Introitu quid signet. *Cap. LVIII.*

Interpositio autem Gloriæ, quæ fit in Introitu antequam iterum repetatur, designat (prout uult Innocentius) captationem beneuolentiæ: ut enim quod expectabant Sancti Patres facilius obtinerent; ad totam Trinitatem glorificando clamabant: Osten de nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Qui sedes super Cherubin, appare coram Ephraim, Beniamin, & Manasse. *Innoc Papa lib. 2. de Mist. Miss.* *Psal 84.* *Psal 79.*

Introitus, idest, Antiphona repetitio, quid notet. *Cap. LIX.*

Antiphona autem ipsius Introitus, uel ipse introitus repetitur; quoniam multiplicationem clamoris insinuat. Vnde Propheta: *Abacuc. 2.*

 Manda,

Digitized by Google

Manda, remanda; expecta, & reexpecta; modicum ibi. Si moram fecerit, expecta eum: quia ueniens veniet, & non tardabit. Hoc Innocentius III.

Introitus an sint irregulares. *Cap. LX.*

EVidentissimè patet Introitus Missarum nobis sese uarios quotidie offerre in Missarum celebrationibus; qui secundum varietates solennitatum instituti sunt, vt Puer natus est nobis hodie, &c. Et Spiritus domini repleuit, &c. Et nunc scio uerè, quia misit, &c. & si qui sint alij.

Introitus de medio Psalmi sumptus, cur habeat versum primum eiusdem Psalmi, & econtra. *Cap. LXI.*

Durand. ESt nobis insuper notandum, quod quando Introitus de Psalmo sumitur; si primus Versus Psalmi illius, sit Introitus; aliquis de sequentibus Versibus eiusdem Psalmi erit Versus illius Introitus. Hoc expressè patet in Introitu Dominicæ primæ Aduentus; cuius Introitus est Primus Psalmi, Versus est de sequentibus Versibus. Si verò non est Primus Versus Psalmi, sed aliquis alius de sequentibus est Introitus, vt Ecce: in Natali Domini est Introitus: Dominus dixit ad me. &c. Versus uerò est. Quare fremuerunt gentes. Et in festo Innocentum Introitus est. Ex ore infantium, &c. versus verò est: Domine dominus noster, &c. & sic de alijs, quod fit ad significandum vnionem, & connexitatem capitis, & membrorum.

Vtrum sedere debeamus, dum cantatur Introitus. *Cap. LXII.*

CVm autem Introitus cantatur, non sedetur, quoniam, inquit Guilielmus, ad opus; & præconium Christi Introitus refertur, ut prædestinati ad uerum cultum Dei vocentur.

Introitus an possit aliquid aliud insinuare. *Cap. LXIII.*

POtest etiam dici; Introitum designare, & esse laudem Ecclesiæ de conuersis Iudæis. Nam tria Introitus continet: Antiphonam scilicet, Versum, & Gloriam. Vnde Introitus est Patriarcharum: Versus Prophetarum: Gloria verò Apostolorum.

Introitus vnde desumpti sint. *Cap. LXIIII.*

PRæterea est nobis aduertendum, quòd omnes ferre Introitus, imò Gradualia quoque, Offertoria, & Communiones, vt pluries de Psalmis sunt

Digitized by Google

mis sunt excerpti, ut uideri potest. Hoc tamen non est perpetuò uerum, ut supra patrsò ante retulimus: dum diximus Introitus irregulares esse. In festis siquidem Beatæ Mariæ Virginis ac Sanctorum manifestè patet de Psalmis tales Introitus desumptos haudquaquam esse. Nam aliquando in Missis Beatæ Mariæ Virginis Introitus incipiunt, Gaudeamus omnes in Domino. Aliquando uerò incipit, Salue Sancta parens. Similiter in Missis Sanctorum incipit aliquando, Nunc scio uerè, quia, &c. Quod & Lactantius Ranfoldus aduertit quoque.

Vt quid hæc omnia sic de Psalmis tollantur. Cap. LXV.

INtroitus autem & præmemorata alia ideo de Psalmis extrahũtur secundum Ioannem à Turre cremata; quoniam in hoc libro est consumatio totius Theologicæ paginæ. Hic enim describuntur præmia beatorum, supplicia malorum, rudimenta incipientium: progressus proficientium, perfectio peruenientium, uita actiuorum, speculatio contemplatiuorum; Hic docetur Quid auferat peccatum, quid pœnitentia restituat, quid pęnitens peccati conscius dicat. *Laus Psalmorum.*

Introitus Missæ Primæ Dominicæ Aduentus cur incipiat: Ad te leuaui animam meam. Cap. LXVI.

CVm hucusque uisum sit, quid sit Introitus, quid significet, & unde desumptus reperiatur: multaque de illo dicta sint; sequitur modo ut de singulis per annum in Missis occurrentibus dispiciamus; incipientes quidem in primis declarare primo in Missali posita: deinde seriatim de singulis sibi inuicem iuxta tempora succedentibus. Primus itaque Introitus omnium, secundum ordinem Missalis, est talis. Ad te leuaui animam meam Deus meus in te confido, &c. *Psal. 24.* Qui quidem est Introitus Missæ primæ Dominicæ Aduentus, quique ideo huiusmodi est, scilicet Ad te leuaui animam meam; quoniam, inquit Durandus, per Aduentum Domini in carne, spes maxime eleuatur: sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret, & proprio filio non pepercit. *Dur. lib 6. c. 3. Ioan. 3. Rom. 8.*

Vt quid sequatur versiculus, Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Cap. LXVII.

SEquitur postmodum Versiculus, scilicet; Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me; ob id quod Christus ueniens, nobis uias suas indicauit. Vnde Psaltes; Notas mihi fecisti uias tuas. & *Psal. 15.* Esai. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad montem Dei Iacob, & docebit nos uias suas. *Esai. 2.*

Digitized by Google

Introitus Missæ secundæ Dominicæ Aduentus cur sit, Populus Syon, Ecce Dominus ueniet ad saluandas gentes. &c. Cap. LXVIII.

Esai. 30. SEd introitus Missæ secundæ Dominicæ Aduentus cum sit Populus Syon, Ecce Dominus veniet ad saluandas gentes, non solum eleuat mentem, sed saluat gentes etiam. Iste namque Introitus ad utrumque Aduentum scilicet in carnem, & ad Iudicium Christi pertinet, *quia in* vtroque Aduentu saluat Dominus: Ipse enim est turtur cuius uox audita est in terra nostra; quia attulit nouum tempus. Vox verò eius in secundo Aduentu erit, Venite benedicti Patris mei, &c. Vnde meritò Introitus paulò inferius sequitur, & auditam faciet Dominus gloriam uocis suæ in lætitia cordis vestri.

Matt. 25.

Versus antecedentis Introitus cur sit; Qui regis Israel intende; qui deducis velut ouem Ioseph. Cap. LXIX.

VEruntamen Versiculus huius Secundi Introitus pertinet solummodo ad Secundum Aduentum, dicitur enim Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ouem Ioseph; idest, de hoc mundo deducis Ioseph, idest, argumentum, scilicet in bono, sicut ouem, idest simplicem.

Introitus Missæ Tertiæ Dominicæ cur sit, Gaudete in Domino semper. Cap. LXX.

Philip. 4. AD hæc Introitus illius Dominicæ Tertiæ Secundum rememorat Christi Aduentum; Apostolus enim inuitans nos ad gaudiũ spirituale, per quod expectamus gaudia Secundi Aduentus, dicit, Gaudete in Domino semper, scilicet, expectando Secundum Aduentum. Versus uerò est de vtroque Aduentu.

Introitus Missæ Dominicæ quartæ Aduentus qualis sit, & eius expositio. Cap. LXXI.

MOx sequitur Introitus quartæ Dominicæ Aduentus, qui est Rorate cęli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem; Qui introitus secundum Theologos in Compendio Theologicæ ueritatis sic exponitur; Beata Virgo est cœlum, quod Christum rorauit, ipsa est nubes, quæ Christum pluit, ipsa est terra, quæ Saluatorem germinauit. In Natiuitate si quidem Domini Beata Virgo fuit terra, de cuius limo formatus est nouus Adam, Christus, scilicet; fuit, inquam terra, de qua orta est ueritas; terra, de qua ortus est fructus; terra sublimis; terra bona, in quam semen cecidit; terra fluens

Esai. 45. v. 8.

Esai. 4.

Luc. 8.

lacte

lacte & melle; terra germinans herbam uirentem; terra, de qua oriebatur fons irrigans vniuersam terram super faciem terræ. Versus uerò cunctis manifestus est. *Num.* *Gen. 2.*

Introitus Missæ Vigiliæ Natiuitatis Domini, quid rememoret. *Cap. LXXII.*

IN Missa autem Natiuitatis Domini Introitus est. Hodie scietis, quia ueniet Dominus, & mane uidebitis gloriam eius, quod est desumptum ab Exodo; qui Introitus uidetur rememorare Natiuitatem, & Christi Resurrectionem. Natiuitatem; quia ibi, Quia ueniet Dominus, Resurrectionem, ibi & mane uidebitis eius Resurrectionis gloriam. Hinc est quod sequitur Versiculus Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi qui habitant in eo. *Exo. 16.*

Introitus trium Missarum Natiuitatis Domini, quid innuant, quidq; rememorent. *Cap. LXXIII.*

EST autem Introitus Primæ Missæ Natiuitatis Domini talis, uidelicet, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: qui quidem Introitus innuit, ac rememorat æternam generationem; uel etiam Christi generationem indicat temporalem. Deus enim ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo est ex substantia matris in sæculo natus, inquit Athanasius. Versus scilicet; Quare fremuerunt gentes, &cæt. de temporali generatione est intelligendus. Sed Introitus Secundæ Missæ qui est, Lux fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus, &cæt. indicat promissionem antiquis patribus factam in Veteri Lege: Proinde Introitus insonat Lux fulgebit, & non fulsit, vel fulget, & ideo merito etiam ista Missa dicitur prope diem, quando nondum est dies. Verum Introitus, Tertiæ Missæ Natiuitatis Domini, quæ dicitur in die clara, innuit nobis tempus Gratiæ, in quo descendit lux magna de cœlo, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum; & sic iste tertius Introitus, qui incipit Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: est de ueritate nobis exhibita. Vtimur ergo in Secundo Introitu Futuro, scilicet, fulgebit, ad notandum promissionem. hic in tertio Præterito, ad notandum promissionis impletionem. Primus ergo Introitus est de æterna generatione; Secundus de promissione antiquis facta, Tertius de ueritate nobis exhibita. *Psal. 2.* *Versus.* *Esa. 9.* *Ioan. 1.* *Esa. 9.*

Digitized by Google

Introitus Missarum Sanctorum Stephani, Ioannis Euangelistæ, & Innocentum, quænam sint. *Cap. LXXIIII.*

Psal. 118. IN festo autem Beati Stephani, Introitus est, sederunt Principes, & aduersum me loquebantur, in quo ostenduntur insidiæ Principũ Iudæorum Beato Stephano insidiantium. Introitus Missæ Beati Ioannis Euangelistæ est, In medio Ecclesiæ aperuit os eius. Cæterum Introitus Sanctorum Innocentum est, Ex ore infantium Deus & lactentium, &cæt. Qui duo Introitus ideo uarij sunt, quia secundum eorum solennitatum uarietates canuntur, ut videmus in multis Missarum Introitibus.

Introitus Missarum Dominicæ infra octauam Natalis Domini, & Epiphaniæ, & Dominicæ Primę post Epiphaniam qui sint, & eorundem expositio. *Cap. LXXV.*

Sap. 18. PRimo Introitus Missæ Dominicæ infrà octauam Natalis Domini est; Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, &cæt. idest, quando omnia silent; omnipotens Sermo tuus, idest Filius tuus, qui dicitur Sermo Patris à regalibus sedibus uenit quærere, & facere Reges. Introitus Circumcisionis est idem cum festo Natiuitatis Domini, nihil enim nasci profuisset nisi apparuisset, incipit enim sic: Ecce aduenit Dominator Dominus, &cæt. Vltimo Introitus Missæ Dominicæ Primæ post Epiphaniam est, In excelso throno uidi sedere virum, quem adorat multitudo Angelorum Psallentium in unum, quod desumptum est de illo locó Esaiæ, Vidi Dominum sedentem super solium, &cæt. Sequitur uersiculus. Iubilate Deo omnis terra, quod à Psalm. 99. sumptum est. Quia uerò in sequentibus diebus & Dominicis intendit Ecclesia Dei nobis manifestare fidem filij Dei; ideo omnia ab octaua Epiphaniæ vsque ad Septuagesimam correspondent primis, & per consequens non est quod aliud dicamus de sequentibus.

(Margin: Mala. 3. — Esa. 6. — Psal. 99.)

Introitus Dominicarum, cur varij sint à Septuagesima vsque ad Pascha. *Cap. LXXVI.*

NOuissimo loco aduertendum nobis est, quod Missarum Introitus à Septuagesima usque ad Pascha uariantur, per quod notantur ordines uitæ seu cuiuslibet animæ fidelis postquam peccauit. Per Primum enim scilicet, Circundederunt me gemitus mortis, & dolores inferni, &cæt. habemus aliquem peccata confitentem. Per Secundum scilicet, Exurge, quare obdormis, &cæt. habemus petentem eandem Confessionem. Per Tertium, scilicet, Esto mihi in Deum protectorem, habemus ipsum orantem esse Dominum

(Margin: Psal. 43.)

Digitized by Google

minum adiutorem sibi; Per Quartum, scilicet, Inuocabit, cognoscimus Dominum illum audientem sibi adiutorem esse, iuxta illud. Te orante dicam. Ecce adsum. Per Quintum scilicet Reminiscere miserationum tuarum Domine, habemus illum credentem, uel sperantem. Per Sextum, scilicet; Oculi mei semper ad Domindm, intelligimus eum bonæ operationis promissionem facientem. Per Septimum, scilicet, Lætare Hierusalem, accipimus eum de hac Passione exultantem, & quod etiam multis sit data in hac uita. Per Octauum, scilicet, Iudica me Deus & discerne causam meam, & cæt. Videmus à Deo confirmatum in uirtutibus, & bonis operibus. Quod iam confidenter uult & postulat iudicari in consummatione æterna. Per Nonum, scilicet Domine ne longe facias auxilium tuum à me, intelligimus quod iam sit collocatus in ordine Angelorum: orat enim ibi habere perseuerantiam; Et quod istud totum ualeat adipisci, subiungit causam, scilicet, per Resurrectionem quod habetur per Decimum, scilicet, Resurrexi, & adhuc sum tecum.

Psal. 30. Psal. 90. Psal. 24. Esa. 66. Psal. 42. Psal. 21. Psal. 138.

Introitus Missarum Dominicarum à Paschate vsque ad Ascensionem, quinam sint, & quid nobis innuant. Cap. LXXVII.

ITem Introitus Dominicæ Primæ post Pascha est. Quasi modo geniti infantes, Alleluia, qui desumptus est à Beato Petro. & dicitur. Quasi modo geniti; quia nouiter baptizati sunt pueri, & quia multos nouellos genuit, & conuertit in Quadragesima. Et quia in illo tempore fuerunt Apostoli pueri quos Dominus per quadraginta dies post Pascha instruxit in fide ut urerentur igne Spiritussancti. Introitus Secundæ Dominicæ est, Misericordia Domini plena est terra; quia non tantum paruuli, sed & magni repleti sunt. Vnde sequitur Verbo Domini cœli firmati sunt, idest, Apostoli firmati sunt. Introitus Tertiæ Dominicæ post Pascha, qui incipit. Iubilate Deo omnis terra, cum duabus Dominicis ante Ascensionem hortatur nos Ecclesia ad Iubilum & exultationem propter Christi Resurrectionem, & Ascensionem.

Psal. 32. Psal. 65.

Introitus Missæ Ascensionis Domini & Dominica post Ascensionem qui sint, & cur sic. Cap. LXXVIII.

AMplius Introitus Missæ Ascensionis Domini est, Viri Galilei, quid admiramini aspicientes in cœlum? Etenim immotis oculis aspiciebant Galilei, & diutius aspexissent nisi eis Angeli intimassent, quod recederent, dicentes. Hic Iesus qui assumptus est à uobis in cœlum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum ascendentem in cœlum, idest, sic ueniet ad iudicium. Quia uero de Ascensione Domini est ineffabile gaudium, ideo sequitur uersus, Omnes gentes plaudite

Psal. 46.

Digitized by Google

plaudite manibus. Mox sequitur Introitus Dominicæ post Domini
Psal. 26. Ascensionem qui talis est, Exaudi Domine uocem meam, qua clamaui ad te, vbi manifestè patet, quod Ecclesia orat in hac Dominica dicens, Exaudi domine uocem meam, & uultum tuum requiram, quasi dicat desiderio, & cogitatione sequar, & quia sum filia tua.

Introitus Missæ diei Sanctæ Pentecostes, qui sit, & eius expositio. Cap. LXXIX.

Sap. 1. PEnultimo loco, dicimus, quod Introitus Missæ Pentecostes est, Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, idest, Ecclesiam, & hoc quod continet omnia, idest, Spiritussanctus, cuius bonitate omnia subsistunt; & quoniam Iudæi Resurrectionem, & Ascẽsionem Domini calumniabantur: missionem autem Spiritussancti credere cogebantur, ob id, quod ex omni natione; quæ sub cœlo, conuenerant ad diem festum: & tunc descendit Spiritussanctus uisibiliter in discipulos: sicut promiserat Christus: ideo sequitur Versus:
Psal. 67. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & sic confusi sunt inimici Christi.

Introitus Dominicæ Trinitatis quis. Cap. LXXX.

Thob. 12. INtroitus Sanctissimæ Missæ Indiuiduæ Trinitatis est; Benedicta sit Sancta Trinitas, atque indiuisa Vnitas; quem quoniam semper Sanctam Trinitatem Laudare debemus ideo ad Missam Cantamus sic, Benedicta sit, &cæt. Sed de Missarum Introitibus hucusque dictum sit, nam si uim & naturam eorum cognoscere cupimus, cognoscere prius semper solennitatem, ob quam eius Missa celebratur debemus, & tunc uidebimus non ad plenum hucusque tractasse eorum materiam, & causas.

Explicit tractat. de Introitib^9.

Post Introitum ut quid dicatur Kyrie eleyson. Cap. LXXXI.

11. q. 3. cũ aliquis. Psal. 93. POst Introitum, idest, Domini nostri Iesu Christi Aduentum in hunc mundum, annus cœpit esse plenitudinis, & benignitatis, iuxta quod legitur in Psal. 93. Tu exurgens Domine misereberis Syon, quia uenit tempus miserendi eius, & ideo congruè nos quoque secundum Durandum post Introitum inuocamus misericordiam Sanctissimæ Trinitatis, dum ter replicamus Kyrie eleyson, & hoc Durandi dictum sequitur etiam Ioann. Baptista Monachus Cassinas. Vel ideo post Introitum succlamamus Kyrie eleyson, quoniam ante omnẽ orationem Sacerdotum necesse est misericordiam Domini implorare. Et Kyrie eleyson nil aliud sonat, secundum Innocentium, quam quod si diceremus Domine miserere, ut Kyrie, secundum Clictoueum, uocatiuus

Ioã. Bapt. Monach. Cassin. Inn. lib. 2. cap 19. de Myst. Mis.

Digitized by Google

catiuus singularis sit nominatiui Kyrios: sicut Domine uocatiuus singularis huius nominatiui, Dominus. Eleyson uerò uerbum est Græcum Imperatiui.

Kyrie eleyson cur in Greco, & non in Latino dicatur. Cap. LXXXII.

IN Græco autem, & non in Latino clamatur Kyrie eleyson: quia secundum Cardinalem à Turre cremata, summa sapientia mundi sonuit, & floruit in Græcia, ut dicitur. 1. Cor. 2. Iudęi signa petunt, Gręci sapientiam inquirunt, ut ergo ostendatur, quod ista inuocatio à summa sapientia procedat, in Gręco clamatur. Secundo, quia Gręci primi inter omnes Gentiles iustitiā Legis cognouerunt, & coluerunt. Tertio quia Græcus sermo ab Apostolis accepit hanc fidei inuocationem. Quarto quia à Gręcis ad Latinos deriuata est fides: quia Petrus & Paulus à Gręcis ad Latinos uenerunt.

c. Iacobus. De consec. dist. 1. 1. Cor. 2.

Kyrie eleyson, quare ter dicatur. Cap. LXXXIII.

DIcitur autem Kyrie eleyson nouies, uel propter nouē Ordines Angelorum, quibus petimus associari beneficio Aduentus Christi. Vel nouies dicitur, propter nouē genera peccatorum, scilicet, Originale, Actuale, & Mortale (quod diuiditur in septem) & ueniale. Kyrie eleyson ter dictum ad Patrem, ter Kyrie eleyson dictum ad Filium, ter Kyrie eleyson dictum ad Spiritumsanctum refertur, ut uult Innocēt. dum de mysterio Missæ tractat: Cum quo transeunt Iudocus, Ranfoldus, & Io. Baptista, & cæteri omnes de hac re scribentes, & disserentes.

Inn. lib. 2. cap. 19. de Myst. Miss. Iudo. Rāf. Ioā. Bapt.

Quęnam sit alia ratio, ut nouies Kyrie eleyson in Missa cantetur. Cap. LXXXIIII.

POrrò non est hic silentio ullatenus una tanta Theologorum prætereunda opinio, atque cōsideratio circa hanc misericordiæ Dei inuocationē, quam Sacerdos in Missa (dum succlamat Kyrie eleyson) facit. Præ cæteris enim uidetur excellere; vnde dicunt ipsi Kyrie eleyson, quod nouem uicibus uariatur, significat inuocationē misericordiæ Dei, qua nouē modis indigemus. Primis tribus modis ad peccatorum remissionē, quæ cōmittimus corde, ore, & opere, quantum ad contritionem, confessionem, & satisfactionem. Secundis tribus modis quantum ad Gratiæ collationem, scilicet, Fidei, Spei, & Charitatis: Tertijs tribus modis quantum ad glorificationē, qua gaudebimus in Deo supra nos, intra nos, de nobis ipsis, & iuxta nos de proximo.

In Cōpēd. Theolo. ueri. lib. ... c. 18.

Gloria in excelsis à quo dicatur. Cap. LXXXV.

SAnè Sacerdos dicto Kyrie eleyson mox Primus & solus Hymnum hunc, scilicet Gloria in excelsis Deo, idest, in Angelis, Deo, & cæt. inchoat:

Innoc. li. 2. cap. 19.

Digitized by Google

inchoat: qui Sacerdos Angelum magni consilij repræsentat; nam ortū
Esa. 9. Saluatoris nostri solus Angelus, cuius personam, ut dictum est, ipse
Luc. 2. gerit, primo pronunciauit, qui Pastoribus dixit: Euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie Saluator. Cantatur autem Gloria in excelsis post Kyrie eleyson,
Io. Bapt. secundum Ioann. Bapt ad notandum, quod post multos gemitus, & orationes, ac suspiria Sanctorum Patrum, tandem apparuit eis Iesus, cuius præsentia non solum ipsi, uerum totus gauisus est mundus, qui patri dedit gloriam, ac hominibus bonæ uoluntatis ueram pacem. Vnde Iesu nato, subito facta est multitudo cœlestis militiæ, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis, quam multitudinem Angelorum hodie repræsentat Chorus, dum prædicti illius Hymni residuum magna cum harmonia concinit.

Sacerdos cantans, & dicens hunc Hymnum cur stet in medio Altaris. Cap. LXXXVI.

ET dum Sacerdos iam præmemoratum Hymnum inchoat, & prosequitur, dicendo: Stat ante medium altaris, in hoc commemorās,
Sap. 18. quod dum medium silentium tenerent omnia, natus est in medio, id est, pro hominibus Messias, quem Prophetæ prædixerant. Vel stans Sacerdos in medio Altaris, repræsentat Angelum Christi, qui stetit (an-
Luc. 2. nuncians pastoribus Christi natiuitatem) in medio eorum.

Cur incipiens Sacerdos hunc Hymnum eleuet manus. Cap. LXXXVII.

AD hęc hunc Sanctum Hymnum dum Sacerdos incipit decantare, manus suas eleuat, ob id fortè, quod legitur in Genes. scilicet
Gene. 4. Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum. & eleuatio manuum repræsentat, quod Christus eleuatis manibus, ferebatur in cœlum. Vel eleuat manus ad instar Saluatoris in cruce pendentis.
Psal. 140. Vnde illud, Eleuatio manuum mearum sacrificium uespertinum. Et hæc gratior. De ista manuum eleuatione uide multo copiosius aliquid in elucidatione, quam ego feci in Hymnum, qui incipit, Rerum creator optime. in Versiculo: Mentes, manusque tollimus.

Hunc Hymnum quis in Missa cantari instituerit. Cap. LXXXVIII.

EX relatione Innocentij Papæ, intelligitur hunc Hymnum in Missa cantari debere in Dominica die; & in Natalitiis Martyrum ex constitutione Simmachi Papæ, quia Sanctos post Resurrectionem in gloria Angelorum sociatos esse recolitur. Cantatur etiam in festis Apostolorum, & Confessorum, & generaliter in festis, quæ nobis cœlestem solennita-

lennitatem repræsentant. In diebus uerò luctus, & ieiuniorũ non dicitur, iuxta illud, Cantate Domino canticum nouum, &c. Nec ẽt cantatur in Aduentu Domini, & Septuagesima, & Quadragesima, ubi recolitur lapsus primi hominis flebilis. Nec in Missa defunctorum, quia illi non sunt in statu gloriæ, sicut Sancti, sed sunt in statu pœnę: & sic deinceps propter prędictas causas, & prout notatur in Rubricis Missalis. *Psal. 95.*

Dominus Vobiscum, salutatio unde ortum habuerit. Cap. LXXXIX.

FInito Angelico Hymno, Sacerdos ad populum se voluens, illũ salutat, dicens Dñs Vobiscum. Quod sumptum est ex lib. Ruth. sic enim legitur Booz salutasse messores suos. *Inn. lib. 2. cap. 25. Ruth. 2.*

Sacerdos dicens ad populum Dominus vobiscum, quid innuat. Cap. XC.

CVm uerò Sacerdos dicit ad populum ibi in Missa astantẽ: Dñs vobiscum; nihil aliud subinsinuat, & sibi uult, quam si diceret: Dominus tribuat peccatoribus affectum, & uoluntatem bonam.

Episcopus quomodo salutet populum. Cap. XCI.

EPiscopus autem celebrans in festis in prima salutatione dicit, Pax uobis; quod post Resurrectionem Christus dixit Dominus, cuius personam præcipuè repræsentat Episcopus. Hæc Cardinalis, in c. Iacobus, de consecr. dist. 1. *Cardin. à Turre Cremata.*

Quare Sacerdos ait Dominus Vobiscum potius quàm Deus, vel Iesus, vel Christus sit vobiscum. Cap. XCII.

PRædictus Cardinalis in iam sępè memorato cap. Iacobus, quærit, dicens; Quare Sacerdos ait Dñs Vobiscum potius quàm Deus, uel Iesus, uel Christus sit uobiscum. Respõdet, quia nomen Dñs potestatẽ significat. Vnde omnis potest suppleri defectus populi, quod non dicit nomen Deus, uel Iesus, uel Christus; & ideo dicit Dominus sit uobiscum, iuxta illud Genes. Si Dñs Deus fuerit mecum in uia, qua ego ambulo, & reuocauerit cum salute, & dederit mihi panem ad uescendũ, & uestimentum quo operiar; erit mihi Dominus in Deum.

Populus cur resalutet Sacerdotem differenti modo, scilicet & cum Spiritu tuo. Cap. XCIII.

QVærit item inibi dictus Cardinalis, cur Populus resalutet Sacerdotem differenti modo; non enim dicit Dñs sit tecum; sed & cum *Ind. Card.*

Spiritu

Digitized by Google

Spiritu tuo: Respondet quia Sacerdos stans ad Altare totus debet esse absorptus, nihil de corpore, aut solicitudinibus se intromittens, ideo populus dicit. Et cum Spiritu tuo. Secundò, quia Spiritus hominis errat frequenter: ut autem non erret Spiritus Sacerdotis in hoc Sacramento; sed Dñm habeat se dirigentem, ideo dicit populus: Et cum Spiritu tuo. Vel Tertiò, quia totum quod in Altari fit, est opus uirtutis Spiritussancti, qui uiuificat, ut Ioan. 6.

Ioan. 6.

Et cum Spiritu tuo, vnde sumptum sit. Cap. XCIIII.

2. Tim. ult. Sed hæc populi responsio, scilicet; Et cum Spiritu tuo, sumpta esse uidetur ab Apostolo ad Timotheum scribēte, & dicente: Dominus Iesus Christus cum Spiritu tuo: gratia uobiscum. amen.

Cur quinquies Sacerdos uertit se ad populum. Cap. XCV.

Io. à Turre Crem. Cardinalis prædictus ibidem dicit, quòd Sacerdos uertit se ad populum quinquies, ad designandum, quod Dominus in die suæ Resurrectionis quinquies se manifestauit.

Cur septem uicibus salutet populum Sacerdos in Missa. Cap. XCVI.

Populus insuper salutatur in Missa septies, quia secundum Innocentium quatenus exclusis septem uitijs capitalibus, suscipiat gratiam septiformem Spiritussancti. Hoc idem tenet iam dictus Cardinalis in præallegato loco.

Cardin.

Sacerdos cur semper voluat se ad dexteram. Cap. XCVII.

Dur. li. 4. c. 14. Non est etiam omittendum, quod Sacerdos semper uertit se ad populum ad dexteram, & per eandē se ad altare reuoluit, quasi isto facto dicens: Dextera Domini fecit uirtutem, dextera Domini exaltauit me, Dextera Domini fecit uirtutem. Secundò, ad designandum, quod in sepulchro Dominico Angelus à dextris sedebat. Tertiò, ut per hoc Sacerdos se rectam ostendat habere intentionem pro se, & pro populo ad cœlestem patriam perueniendi, quæ per dexteram significatur, iuxta illud in Canticis, Dextera eius amplexabitur me. Quarto quia uersus salutando populum, & conuersus dicendo: Oremus, hortatur tam se, quam populum ad orandum, & oratio debet fieri pro æternis, quæ per dexteram significantur. Vnde Gregor. in homil. Dominicæ Resurrectionis; quid namque per sinistram, nisi uita præsens, quid uerò per dexteram nisi perpetua uita designatur? Vnde Christus sedere ad dexteram patris dicitur.

Cant. 2.

Gregor. Papa.

Quando

Quando dicamur orare. Cap. XCVIII.

CVm hortetur nos Sacerdos ad orandum, dicens, Oremus: uidendū est quando re uera orare dicamur: & quidem tunc oramus, secundum Cassian. cum renunciantes huic mundo, spōdemus nos mortificatos cunctis actibus, & conuersationi mundanæ, tota cordis intentione Dño seruituros. Oramus cum promittimus, sæculari onere contempto, ac terrenis opibus spretis, in omni contritione cordis, ac paupertate spiritus; nos Domino thesauros. Oramus cū pollicemur nos purissimam corporis castitatem, seu immobilem patientiam exhibituros esse perpetuò, uel cum de corde nostro radices iræ, siue tristitiæ mortem operantes uouemus funditus eruere, quæ cum desidia resoluti, atq; ad antiqua uitia recurrentes minimè fecerimus, erimus orationūm nostrarum, ac uotornm rei: Vnde tunc dicitur de nobis. Melius est non uouere, quàm uouere, & non reddere.

Cassi. coll. 9. c. 9.

Eccl. 5.

Orationes, Flectamus genua, et Humiliate capita uestra Deo: cur præmittantur aliquando salutationi Sacerdotis. Cap. XCIX.

ANte quam autem Sacerdos salutet populum, aliquando præmittit exhortationem ad humiliationem per flectamus genua; vel per Humiliate capita uestra Deo: quia oratio, quæ facienda est cum ieiunio ad malignum spiritum eijciendum, tunc demum ualet, si cum humiliate fiat.

Cur post salutationem dicatur oratio. Cap. C.

QVia uerò Christus Apostolis dixit; Orate ne intretis in tentionē; ideo Sacerdos, qui Christi personam gerit, conuocans ad se fideles, dicit: Oremus; idest, omnes orate; ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Et idcirco Sacerdos statim salutatione iam præmissa, orationem pientissimè dicit, eleuatis uersus cœlū manibus, ut sicut populus Israeliticus per Moysen orantem, & manus eleuātem uicit, & superauit inimicum; ita nos quoque per mysticum Moysen, Christum (qui eleuans, & extendens in Cruce manus suas exauditus est pro sua reuerentia, & uictoriam contra hostes reportauit) exaudiamur, uictoriaque contra inimicum potiamur. Item quia eleuatis quoque manibus ferebatur Iesus in cœlum. Item quia Salomon stetit ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, & expandit manus suas in cœlum, orans pro populo.

Exod. 16.

Hebr. 5.

Act. 1.

Reg. 3. c. 8.

Oratio vnde originem sumpserit. Cap. CI.

ORationes autem ex Apocalypsi desumptæ esse uidentur: nam ea designantur per fumum aromatum, qui ascēdit in conspectu Domini, de manu Angeli.

Apoc. 8.

Digitized by Google

Oratio cur dicatur Collecta. Cap. CII.

DIcit Dominus Innoc. Papa, quod ideo Oratio Collecta dicitur; quia fit super Populum collectum. Vel quia in ea colligitur populi oratio, seu deprecatio. Vel tertio, secundum Ranfoldum, quia orationes, siue petitiones, quę à nobis fiūt pro offeredo tali Sacrificio, fieri debent mente recollecta: & non abstracta, & hoc idem dicit Io. Baptista.

Io. Bapt.

Cur ista Oratio fiat in dextera parte Altaris. Cap. CIII.

Luc. 12.

FIt autem oratio in dextera parte Altaris, quoniam per eam designantur bona æterna, & spiritualia, quæ primò sunt petenda iuxta illud; Primum, quærite regnum Dei & ui de supra, quęst. 97.

Orationes quæ dicuntur in Missa cur impares esse eas facimus. Cap. CIV.

VNam uerò in Missa orationem uel tres, uel quinque, uel septem propter unam Epistolam, aut unum Euangelium, quæ dicuntur: Tres propter mysterium Trinitatis. Quinque ad designandum quinque plagas Christi, seu in quinque partitam Christi passionem, septem ad designandum Spiritum Gratiæ septiformis, seu septem dona Spiritussancti, dicimus. Numero ergo Deus gaudet impari.

Si immisceatur oratio pro Defunctis in orationibus Missarum pro uiuis, ut quid penultima ea esse debeat. Cap. CV.

Lib. 4. c. 15.

CAuendum est, inquit Durandus etiam, quia si Collecta pro defunctis intermisceatur in Missa, quæ dicitur pro uiuis, non finalis, sed penultima, uel antepenultima dicatur; quia finis debet ad suum principium retorqueri.

Orationes cur dicantur in die Parasceues post Euangelium, & non ante Lectiones siue Epistolas. Cap. CVI.

Durand.

EST autem aduertendum, quod Orationes in die Parasceues non post Introitum, nec ante Epistolas, seu ante Lectiones, sed post Euāgelium decantantur; quoniam, secundū Durand. Christus in cruce pendens prolixè orauit, decātans decem Psalmos, scilicet Deus Deus meus respice in me, usque ad Psalm. In te Domine speraui: cum peruenisset ad locum: In manus tuas Domine commendo spiritum meum: illo dicto, emisit Spiritum. Et ideo, & nos post quàm recitata est Passio eius, orationes dicimus, ad notandum, quod quando ab inimicis persequimur, semper ad orationem recurrendum est. Et nota, quod quando Ecclesia illo die orat pro Iudęis nullo modo flectit genua, quia ipsi illuserunt

Digitized by Google

ferunt Domino flexis genibus, dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit; ideo in detestationem huius illusionis Ecclesia pro eis orans, genua non flectit, ut uitet opera simulata. Porrò nec etiam in talibus Orationibus respondetur, Amen; quia cum illi, inquit Durand. sint extra Collegium, siue Corpus Ecclesiæ, & fidelium, populus non ostendit affectum suum ad eos, iuxta illud Apostoli; Quid mihi de his, qui foris sunt iudicare? 1. Cor. 5.

Illa uerba post Orationem, scilicet: per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, quid innuant. Cap. CVII.

QVod autem, inquit Rupert. Abb. in fine orationis subiungitur: Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, eo respectu fit, quod Deus noster Iesus Christus mediator est Dei & hominum: & impossibile est ęterna Dei beneficia per alium decurrere ad nos, quam per ipsum. Lib. 1. c. 19 de Diuin. Officio Dist. 10. c. quoniam.

Innocentij Papæ opinio circa prædicta uerba, quænam sit. Cap. CVIII.

SEd Innoc. addit pręedictis uerbis nescio quid pluris, dicens: Quod autem in fine orationis subiungitur, Per Dominum nostrum. &c. illud signat, quod ipse dicit in Euangelio: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, fiet uobis, & deinde reddit rationem, quam adduximus in antecedenti quæstione. Lib. 2. c. 26 De Myst. Miss. Ioan. 15. & 19.

Prædicta uerba, unde desumpta sint. Cap. CIX.

ET prædicta uerba, scilicet, per Dominum nostrum &c. desumpta esse uidentur, secundum prædictum Innoc. ex Epistola Pauli ad Romanos: ubi dicitur: Gloriemur in Deo, per Dominum Iesum Christum. Rom. 5.

Verba sequentia. scilicet: Qui tecum uiuit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus, uti exponantur. Cap. CX.

QVod uerò sequitur: Qui tecum uiuit, & regnat in unitate Spiritussancti Deus: ita potest intelligi; secundum Innoc. in unitate, hoc est, una cum Spiritusancto secundum quam Pater, Filius, & Spiritussanctus sunt unum. Vel in unitate Spiritussancti: hoc est, in Spiritusancto, qui est unitas Patris, & Filij, & amor, & connexio utriusque. Innoc. ibidem.

Verba, Per omnia sæcula sæculorum, quomodo exponantur. Cap. CXI.

AT uerba subsequentia, scilicet; Per omnia sęcula seculorum: prędictus Dominus Innoc. sic declarat, dicens: Per omnia sęcula Ibi. c. 26.

Digitized by Google

sæculorum, vel consecutiuè, sicut generationes generationum: quasi dicat: Per omnia sęcula sęculorum sibi inuicem succedentium. Dicuntur enim sęcula, secundum Durand. ibi, quia sequũtur: nam alijs discedentibus alia sequuntur. Antonomaticè uerò sicut Cantica Canticorum. Et est sensus, sicut ante omnia sæcula Filius cum Patre in unitate Spiritussancti in Deitate uixit, & fuit: ita & in præsenti sæculo & in futuro, ubi iusti cum Sanctis Angelis permanebunt, creditur æqualiter uiuere cum Patre, & Spiritusancto, & nullo fine concludi.

Lib. 4. c. 13

Collectæ siue Orationes uti terminentur. Cap. CXII.

SCiendum nobis est, quod omnes Orationes diriguntur ad patrem aut ad Filium; & non Spirituisancto; quia cum ipse sit donũ, à dono non petitur donum. Si ergo uis scire quomodo orationes terminẽtur, hos infrascriptos Versus commenda memoriæ, uidelicet.

Per Dominum dicas, cum Patrem Presbyter oras:
Cum Christum memoras, per eundem dicere debes.
Qui tecum, si sic Collectę finis in illo.
Si Spiritus almus, eiusdem dicere debes.

Amen Responsio, quid significet. Cap. CXIII.

ITem notandum est, quod secundum Innoc. ibidem, Amen. optantis, uel affirmantis ostendit affectum, uel consensum: populus enim assentiens uoci Sacerdotis, dicit, Amen. Et ubi in fine Psalmorum dicimus, Fiat Fiat: Hebræus dicit Amen, Amen. Et Christus in Euangelio Respondit Amen, Amẽ dico uobis, hoc est, uerum dico uobis. Et quod post orationes sit respondendum Amen, cauetur in dist. 38. in c. sedulo.

Fiat Fiat. *Matt. 5.* *Dist. 3. c. sedulo.*

Orationi cur succedat Epistola. Cap. CXIIII.

ORatione finita, dicitur Epistola; quæ cum significet doctrinam Apostolorũ, non ineleganter ideo post Orationem legitur; nam legitur Rogate Dominum messis, ut mittat operarios suos in messem suam.

cap. oẽs fid. dist. 1. *Luc. 10.*

Epistola quid sit. Cap. CXV.

ET quidem Epistola Græcè, Latinè autem nihil aliud est quàm supmissio, uel subrogatio: vnde & litteræ de una persona ad aliã Missę appellantur Epistolæ, scilicet; supramissæ: quasi missæ supra, seu præter id quod refert nuncius uiua uoce: cum nuncius quoque (ut legitur in Lib. Digestorum) uicem Epistolæ gerat: sicut etiam & Apostolus supra id, quòd dixerat Ephesijs, Corinthijs, & alijs, Epistolas mittebat.

L. cũ mã eip. ff. de a. dil. edict.

Epistola

Digitized by Google

Epistola ubi debeat legi. Cap. CXVI.

Legi autem debet Epistola secũdum Durand. in dextera parte Ecclesiæ; quia Christus uenit primo ad Iudæos, qui dicebantur in dextera esse. Vel melius dicitur in medio Ecclesiæ, quia Ioannes fuit medius inter Apostolos, & Prophetas: ut tamen facies legentis Epistolam respiciat Altare, quod Christum significat: quia Ioannis Prædicatio se, & alios dirigebat in Christum, de cuius uultu iudicium, & equitas procedunt. c. ut nostrum, de celebrat. Miss. & ad Hebr. 7. Lib. 4. c. 5.

Epistola cur dicatur in loco inferiori, Euangelium uerò in superiori. Cap. CXVII.

Epistola autem in loco inferiori dicitur: quia per Epistolam, Prædicatio Veteris Testamenti, quæ humilior; per Euangelium Noui Testamenti, quæ est excelsior, intelligitur: Doctrina siquidem Christi, uel Lex Euangelica excellit Apostolicam, & Apostolica Legalẽ doctrinam: Vnde Apost. ad Hebr. Lex neminem ad perfectionem ducit: Euangelium autem dat salutem omni credenti.

Epistola cur præmittatur Euangelio. Cap. CXVIII.

Item Epistola, secundumm Innoc. præmittitur Euangelio, qm̃ ipsa designat Officium, quod Ioannes ante Christum exercuit, qui præiuit ante faciem Domini, parare uias eius, ut ipse testatur. Ego Vox clamantis in Deserto, parate uiam Domini. Vnde sicut prædicatio Ioannis præcessit prædicationem Christi, ita Epistola præcedit. Gerit quoque Epistola figuram Legis, & Prophetiæ, quæ Christi aduentum præcesserunt, sicut ipsa Euangelium præcedit. Lib. 2. c. 29 de Miss. Miss. Luc. 11. Matth. 10. Nota.

Subdiaconus lecturus Epistolam, à quibus, & quot comitetur. Cap. CXIX.

Subdiaconum uerò Epistolam lecturum unus tantum comitatur Acolytus: quia prædicationem Ioãnis pauci secuti sunt. Et quoniam Lex neminem ad perfectionem ducit; Sed Diaconum Euangelium lecturum tam Subdiaconi quam Acolyti, & cęteri comitantur, quia prædicationem Euangelij, quæ perfectionem facit, plurimi susceperunt. Hebr. 7. Nota.

Lectiones, & Euangelia, ac multa alia quis primus statuerit debere dici in Missa. Cap. CXX.

Cæterum si tu quæris, quis Epistolas, Lectiones, & Euangelia & multa alia statuerit debere dici in Missa. Respondet tibi Magister Gratianus, dicens; Iacobus Frater Domini, secundum carnem; cui primum credita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsarien. Episcopus; cuius claritas per totum orbem refulsit in scripturis, addiderunt nobis Missæ celebrationem. Iacob. De consecr. Miss.

Digitized by Google

Epistolę sumpta ex libro Moysi, uel Salomonis uti inchoentur, & qualiter terminentur. Cap. CXXI.

SCiendum item nobis est, quod quandocunque in Ecclesia leguntur Lectiones, uel Epistolæ de libris Moysi uel Salomonis, nomen eorum subticetur: alterius propter Idololatriam, alterius autem propter hæsitationem ad aquas contradictionis. Nam Salomon deceptus fuit à mulieribus, & proinde propter infamiam idololatriæ in eius Lectionibus eius nomen subticetur, & dicitur tantum Lectio libri
Num. 20. Sapientiæ; sic etiam quia Moyses hæsitauit ad aquas contradictionis;
& 27. quia Dominum exacerbauit, non dicitur lectio lib. Genes. Moysis Le-
Psal. 105. gislatoris; sicut dicitur Lectio lib. Apoc. Beati Ioannis Apostoli. Item in Epistolis, quæ sumuntur de Prophetis, uel de Actibus Apostolorum, siue de Apocalypsi, ponitur hæc oratio: In diebus illis: & in fine eorum dicitur, Ait Dominus omnipotens. & hoc fit, quoniam in illis Libris hoc sepe scriptum inuenitur, & propter præmissam causam etiam dicitur in Euangelio, In illo tempore. Aduerte, quod propriè loquendo, nulla Epistola est de Veteri Testamento, sed illæ Lectiones uocantur.

Dum dicitur Epistola cur sedeamus. Cap. CXXII.

CVm autem dicitur Epistola, genua non flectimus, cum ad nouum pertineat Testamentum: imo sedemus, quia doctrina, & concio, siue Prædicatio in silentio, & quiete audienda est. Milites tamen stare consueuerunt, quando Epistolæ Pauli leguntur in honorem eius: quia miles fuit. Vnde in signum militiæ suæ depingitur cum ense in manu. Vel ideo quia ipse suam Prædicationem Euangelium nominauit.

Epistola, qua incipit, Scientes, quia Hora est iam nos de somno surgere, cur ponatur in Missa Prima Dominica Aduentus. Cap. CXXIII.

Rom. 5. EPistola autem quæ dicitur in Missa Primæ Dominicæ Aduentus, quæ est ad Rom. 5. ideo, in tali die cantatur, quoniam in ea uiæ ostenduntur, quas in præcedenti uersiculo postulauimus, uias scilicet Christi; Dicebamus enim Vias tuas Domine demonstra mihi. &c. Dicimus enim in Epistola, Quia hora est iam nos de somno surgere: ubi paulò inferius dicitur. Nox præcessit, dies autem appropinquauit: Assignantur effectus, nempè; quia factus est dies, quando natus est sol: & ideo sequitur, sicut in die honestè ambulemus, uidelicet, in omnibus operibus bonis, ut induamus nos in similitudinem Christi, ut sic filij Dei simus; quia propter hoc filius Dei factus est homo, ut homo fieret filius Dei.

Epistola

Digitized by Google

Epistola Missa Secunda, & Tertia Dominica Aduentus ad quem Christi aduentum referantur. *Cap.* *CXXIIII.*

AD hæc Epistola Missæ Secundæ Dominicæ Aduentus; quæ incipit; Quæcunq; scripta sunt.&c.ad Rom. 5. ad secundum Christi aduentum pertinet, ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus; ubi inuitamur ad spem, ut quæ patimur leuia fiant. Sed Epistola Missę Tertię Dominicæ est, Gaudete in Domino.&c. & de primo Aduentu agit quæ est Pauli ad Philipp.14. *Rom.5.* *Philip.14.*

Epistola, siue Lectiones Feria quarta Quatuor temporum quid innuant. *Cap.* *CXXV.*

IN Missa autem Feriæ quartæ quatuor temporum duæ Epistolæ siue Lectiones leguntur. Vna Prophetica, altera Epistolaris, quæ Sunt Esaiæ. Prima est: Erit in nouissimis diebus, in qua agitur de monte Domini, qui de paruo lapide creuit in montem, qui regnabit in Domo Iacob in æternum. Secunda est, Locutus est Dominus ad Achaz, in qua manifestè agit de Beata Virgine Maria. *Esai.2.* *Esai.7.*

Cur in Sexta Feria Quatuor temporum una tantum legatur in Missa Lectio. *Cap.* *CXXVI.*

IN Sextis uerò Ferijs ieiuniorum Quatuor temporum, una dumtaxat Lectio ad Missam legitur: quia Lex & Prophetæ qui fuerunt in quarta ætate in uno Euangelio, in Sexta ætate recapitulantur, & est Epistolaris lectio: Egredietur virga de radice Iesse; quæ est Esaię. *Nota.* *Esai.11.*

Cur in Missa Sabbathi Quatuor temporum, Lectiones septem cantentur, & quid signent quatuor prima Lectiones. *Cap.* *CXXVII.*

POrrò in Missa Sabbathi Quatuor tēporum, quatuor Primæ Lectiones, quarum Prima est Esaiæ dicentis: Clamabunt. Secunda est eiusdē, dicentis: Lętabitur. Tertia pariter eiusdem, incipientis: Super mōtem. Quarta similiter iam sæpè dicti est, dicentis: In Christo meo Cyro; nobis denotantur quatuor ordines benedicentium Dominum, uidelicet, Prælati, Clerici, Religiosi, & Laici siue populus, quos enumerat Dauid dicens: Domus Israel benedicite Dominum, per hoc populus intelligitur. Domus Aaron benedicite Dominum, per hoc Prælati. Domus Leui benedicite Dominum, per hoc Ministri. Qui timetis Dominum benedicite Dominum, per hoc Religiosi intelligūtur. De quibus quatuor benedictionibus dicit Psalm. 134. in fine. Dicuntur autem in sabbathis ieiuniorum Quatuor temporum septem lectiones, Euangelio tamen connumerato, eo quod septem sunt ordines. *Esai.19. 33.40. & 45.* *Psal.34.*

Digitized by Google

Epistola Missarũ quarta Dominica Aduentus, et in Vigilia Natalis Domini quænam, & unde desumptæ sint. Cap. CXXVIII.

1. Cor. 7. IN Missis uerò & quartæ Dominicæ Aduentus, & Vigiliæ Natiuitatis Domini nostri, has cantamus Epistolas, uidelicet, Sic nos existimet homo. &c. quæ est Pauli. 1. ad Corint. 7. & in Vigilia, Paulus
Rom. 1. seruus Iesu Christi, &c. quæ similiter est Apostoli ad Rom. c. 1.

Epistola Missarum Natiuitatis Domini quæ sint, & unde excerptæ comperiantur. Cap. CXIX.

Tit. 2. & 3. TRium autem Missarum Natiuitatis Domini has esse Epistolas uidelicet: Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus homini-
Hebr. 1. bus. &c. & Apparuit benignitas, & humanitas. &c. & Multifariã multisq. modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nemo est inscius. Prima desumpta est a Paul. ad Titum. Secunda itidem ab eodem ad Titum. Tertia ab eodem, sed ad Hebr. Vltima agit Primo, de temporali generatione, scilicet; ibi, Multifariam, multisq; modis. De æterna
Psal. 2. autem generatione loquitur ibi, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Epistola Missarum Sanctorum Stephani, Ioannis Euangelistæ, & Innocentum, quæ sint, & unde tollantur. Cap. CXXX.

SEquuntur modo Epistolæ Missarum Stephani, Ioannis, Apostoli,
Act. 6. & Beatorum Martyrum Innocentum: Prima est de Actibus Apostolorum, quæ incipit: Stephanus plenus gratia, & fortitudine.
Eccl. 15. Secunda translata est de Ecclesiast. quæ incipit, Qui timet Deum faciet bona. Tertia elicita esse uidetur ex reuelationibus beati Ioannis,
Apoc. 14. quæ sic incipit; Vidi supra montem Syon. In prima narratur tam Passio ipsius B. Stephani; quàm Passionis causa, & meritum siue remuneratio. Solennitatum autem, & Dominicarum sequentium ab octaua Epiphaniæ usq; ad Septuagesimam Epistolæ sunt omnes ferè B. Pauli Apostoli; quoniam isto tempore Ecclesia intendit nobis manifestare fidem filij Dei. Quod fit melius per Epistolas Pauli, quam per aliorum.

Epistola Missarum Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, quæ sint, unde desumpta, & cur tali tempore frequententur. Cap. CXXXI.

Septuages. DIcturi modo de Epistolis Missarum, quæ celebrantur in Septuagesima, Sexagesima, & Quinquagesima, est primitus aduertendum,
1. Cor. 9. quod in Introitu de quo supra Sancta Dei Ecclesia plorare uidetur: cum
Sexagesima. inquit; Circundederunt me gemitus mortis, & ne omnino desperet, solatur eam Paul. sua Epistola, dicens ad eam, quod libenter suscipiat
2. Cor. 11. & 12. onus pænitentiæ, quia suscipiet etiam præmium. Missa uero Dominicæ Sexagesimæ Epistola desumpta est ab Apostolo ad Corint. quæ incipit: Libera-

Libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. &c. In qua hortatur nos Paul. ut quæramus Dominum, & despiciamus, & sustineamus læsores. At Missæ Dominicæ Quinquagesimæ Epistola est: Si linguis hominum loquar, &c. quæ est Paul. 1. ad Corint. 13. q.d. Omnes uirtutes eo modo, quo haberi possunt, sine charitate nihil ualent ad uitam æternam. In ista autem Epistola ponit Paul. quindecim gradus, ex quibus peruenitur ad regnum cælorum, quos gradus percurre per temetipsum legendo. *Quinquagesima. 1 Cor 13.*

Epistola Missæ Primæ Dominicæ Quadragesimæ quæ sit, & quid insinuet. Cap. CXXXII.

MIssa autem Primæ Dominicæ Quadragesimæ Epistola est: Hortamur uos ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. &c. quæ est Pau. 2. ad Corint. 6. per quam quidem Epistolam Sancta Ecclesia armat suos milites quatuor Cardinalib. uirtutibus. Primò, Fortitudine, cum dicit: Ecce nunc tempus acceptabile, Ecce nunc dies salutis. Secundò, Temperantia, cum dicit, In castitate, in ieiunijs multis. Tertiò, Prudentia, cum dicit: In scientia, idest, Prudentia. Quartò, Iustitia, cum dicit: Per arma Iustitię à dextris, & à sinistris. *2. Cor. 6.*

Epistolæ Missarum sequentium Feriarum huius primæ Hebdomadæ Quadragesimæ usq; ad Sabbathum inclusiuè quæ sint, & unde desumptæ, & quid ostendant. Cap. CXXXIII.

PRęterea Missę huius Secūdę Hebdomadę usque ad Sabbathum Epistolę sunt. Ecce ego requiram oues meas, & uisitabo eas, &c. & hęc est Secūdę Ferię quę desumpta est ab Ezech. 34. in qua Sancta Dei Eccle. ostendit suis filijs præmium, cum dicit; & pascam eas. At Epistola Tertię Ferię est. Quęrite dominū dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est, &c. quę est Esa. 55. qua nos docet orare, & inuitat nos ad orationem dicens: Quęrite dominum, scilicet, derelinquendo uitia, & peccata, quia mitis est dominus ad ignoscendum. Non enim inquit, cogitationes meę cogitationes uestrę, &c. Ferię quartę Epistolæ sūt. Dixit Dominus ad Moysen, quę elicita est ab Exod. 24. in qua monemur ad ieiunium, exemplo Moysi, & Helię, qui quadraginta diebus ieiunarunt, ut etiam diximus in elucidatione illius Hymni, qui incipit: Ex more docti mystico, ibi Lex & Prophetę. Epistola uerò Secūda, quę est de tertio li. Reg. 19. quę incipit: Venit Elias in Bersabee. sed quintę Ferię Epistola est. Factus est sermo Domini, &c. quę est Ezec. 18. in qua de effectu cōfessionis agitur. Sextę demum Ferię Epistola est: Anima quę peccauerit ipsa morietur quę excerpta esse uidetur ab Ezec. in qua filij portāt, idest, patiūtur propter iniquitatem patris, quando scilicet imitantur patrem in malitia: ut apud Hiere. Legitur ibi. Patres nostri māducauerunt vuam acerbā in deserto, & dētes filiorū obstupescunt, idest nos patimur propter hoc inquiunt Iudæi. Hoc idem legitur apud Sanctiones humanas. *Ezech. 34. Esai. 55. Exod. 24. 3. Reg. 19. Ezech. 18. Hier. 31. c. nisi, de reg. iur 1. q. 4. per totum.*

Missa

Missæ Sabbathi Prima Hebdomada Quadragesimæ Epistola, & Lectiones quæ sint, unde excerptæ, & quid sibi uelint. Cap. CXXXIV.

Deut.26. Deut.11. 2.Mach.1. Eccles.36. Daniel.3. 1. Thessalon.5.

MIssæ Sabbathi prædicti Epistolæ sunt sex. Prima est, Locutus est Moyses ad Dominum, quæ est Deuteronom.26. Secunda est, Dixit Moyses filijs Israel; quæ est Deuteron.11. Tertia est, Orationem faciebant Sacerdotes, quæ est desumpta ex.2.lib. Machabęorum.1. Quarta est, Miserere nostri Deus omnium &c. quæ est Sapientiæ.36. Quinta est Angelus Domini, quæ est Danielis 3. Sexta est, Rogamus uos &c. quæ est Paul. 1. ad Thessalon. 5. de quibus omnibus uide superius, de Lectionibus Sabbathi Quatuor temporum, de Aduentu.

Cur ad quinque prædictas Lectiones genua flectamus. Cap. CXXXV.

ADuertendum est autem, quod ad quinque tantum prædictas Lectiones nos flectimus genua, ad hoc ut quinque sensus ordinandorum, idest, eorum, qui sunt ordinandi, à Domino dirigantur.

Epistolæ omnium Missarum Secundæ Dominicæ & Hebdomadæ Quadragesimæ usq; ad Sabbathum inclusiuè, quæ sint, unde translatæ, & quid sonent. Cap. CXXXVI.

POrrò Epistolę Missarum Secundæ Hebdomadæ Quadragesimæ septem itidem sunt. Prima est Dominicæ, quæ incipit: Rogamus uos, & obsecramus &c. quæ ad Thessallon. dirigitur, in qua petimus nobis dari Secundam benedictionē. Scilicet gratiæ siue gratiā ad bene & beatè agendum, ut ibi. Hæc est uoluntas Dei, ut dignè ambulemus, ut sciat unusquisq; uas suum possidere in sanctificationem, scilicet; ut sit cæleste corpus, & cælestia appetat. Sed Secundæ feriæ Epistola est; Orauit Daniel Dominum, &c. quæ est eiusdem Danielis 9. in qua ostenditur quantum ualeat oratio cum ieiunio: Nam Daniel orauit pro populo suo, & abstinuit à Regalib. cibis, & usus est leguminibus, & exaudita est oratio eius. Epistola autem Tertiæ Feriæ est: Factus est sermo ad Eliam, &c. quæ eximitur ex tertio Reg.lib.17. in qua hortatur nos Sancta Dei Ecclesia, ut non simus multum soliciti, dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? & hoc propter Eliam, qui pastus est à Vidua Sarreptana, & à Coruo, & ipse etiam pauit uiduam, cùm dixit, Non deficiet farina hydriæ, id est gratia de corde, & oleum de Lecytho, id est Vnctio spiritualis desuper. Epistola uerò Quartæ Feriæ est, Orauit Mardochæus ad Dominum, &c. quæ est Hester, in qua ostenditur quantum oratio efficiat hominem efficacem. Quintæ etiam feriæ Epistola est, Maledictus homo qui confidit in homine, &c. quæ est Hier. 17. & post dicitur, Benedictus uir, qui cōfidit

(margin: Daniel 9. — 3.Reg. 17. — Hester.13. — Hier.17.)

in

Digitized by Google

in Domino. At Sextæ Feriæ Epistola est; Dixit Ioseph fratribus suis, &c. quæ est Genes. in qua dicitur, quod prædictus Ioseph multa passus est à fratribus; & tamen sublimatus est uelint, nolint. Missæ uerò Sabbathi Epistola est: Dixit Rebecca filio suo Iacob, quæ similiter est Genes. in qua habetur, quod Rebecca monuit Iacob, ut afferret patri suo Isaac duos hædos: per Rebeccam gratia Dei intelligitur, quæ nos monet, & inspirat nobis abominationem de peccato, & confessionem, quæ per hædos designantur. *Genes. 37. & 27.*

Epistola Missarum Tertiæ Dominicæ, & Tertiæ Hebdomadæ Quadragesimæ usq; ad sequens Sabbathum, quæ sint, unde desumpta, & quid nobis indicent.
Cap. CXXXVII.

NOn est omittendum insuper, quod Epistolæ Missarum Tertiæ Hebdomadæ Quadragesimæ hæ sint, uidelicet: Estote imitatores Dei. &c. quæ est Dominicæ prædictæ Tertiæ, & est Paul. ad Ephes. 5. *Ephes. 5.* in qua ostenditur qualis esse debeat Confessio: Primò enim debet esse in Humilitate, scilicet: ut humiliemus nos Deo, & ita in nouitate uitæ ambulemus. Secundò, in Perseuerantia, scilicet, ut homo non redeat ad uomitum, & ut infamia peccati remoueatur, cum sequitur: Fornicatio & immunditia non nominentur in nobis. Epistola Secundæ Feriæ est. Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, &c. quæ est de quarto *4 Reg. 5.* lib. Reg. c. 5. Rex enim Syriæ mittit Naaman ad Prophetam ut sanaret eum, & præcepit ei Propheta, ut in Iordane se lauaret septies, & fieret eius caro sicut caro pueri, & ita factum est. Epistola Tertiæ Feriæ est: *4. Reg.* Mulier clamabat ad Eliseum, quæ est de 4. lib. Reg. in qua dicitur, quod quædam uidua cogebatur à creditoribus filios suos in seruitutem eorum dare, cum non haberet unde aliter redderet nisi parum olei, & de parte olei soluit debitum præcepto Helisæi, & de reliquo oleo ipsa, & filij sui uiuerent. Vidua est Ecclesia cuius sponsus Christus non est præsens corporaliter, siue uisibiliter, quæ uenit ad Christum: creditores sunt Dæmones. Epistola Quartæ Feriæ est: Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longæuus super terram: quæ est Exo. 20 *Exod. 20.* in qua sunt instituta, uel distincta præcepta Domini: ex qua nota, quod *Nota.* iustum est, ut conseruatio vitæ alienæ mereatur conseruationem uitæ propriæ. Feriæ Quintæ Epistola est: Factum est uerbum &c. quæ est *Hier. 7.* Hier. 7. ubi dicitur: Bonas facite uias uestras, & studia uestra. Feriæ sextæ Epistola est: Côuenerunt filij Israel aduersus Moysen, & Aaron; quæ *Num. 20.* est Numer. 20. in qua dicitur, quod Moises bis percussit petram, & fluxerunt aquæ, ut biberent homines, & iumenta. Per binam percussionem duo ligna crucis intellige; per Petram accipe Christum, ex quo fluxerunt aquæ doctrinarum, & gratiarum, ut possit biberæ totum genus humanum. Epistola uerò Sabbathi est; Erat uir Daniel, quæ est *Daniel 13* eiusdem Danielis, & loquitur de Susanna, quæ saluata est per iustitiam.

Episto-

Digitized by Google

Epistola Missarum quarta Dominicę & Hebdomada Quadragesimę usque ad sequens Sabbathum, qua, unde, & quid signent. Cap. CXXXVIII.

AMplius Missarum Dominicæ, idest quartæ Hedomadæ Quadragesimæ Epistolæ infrascriptæ sunt: Epistola Dominicæ est: Scriptum est quoniam Abraam duos filios habuit. &c. quæ est ad Galat. ubi dicitur, quod Hierusalem liberata, est mater nostra: per quæ uerba monemur, ut non timore seruili seruiamus Domino; sed amore. Epistola
3. Reg. 3. secundæ Feriæ est, Venerunt duę mulieres meretrices, quæ est de tertio
De pro- lib. Reg. 3. in qua agit de iudicio Salomonis, duabus mulierib. de pue-
sum. c. 1. ro contendentibus. Mulier quæ dicit, quod diuidatur puer, est Sinagoga, quæ diuidere conata est puerum Iesum: alia mulier, quæ dicit, De-
Exod. 32. tur ei infans uiuus, est Ecclesia. Tertiæ Feriæ Epistola est, Locutus est Dominus ad Moysen, quæ est Exod. 32. in qua impetrauit Moyses dimissionem peccati salua iustitia. Feriæ quartæ Epistola sunt hæ duæ,
Ezech. 36. uidelicet, Prima, Sāctificabo nomen tuum magnum, quæ est Ezech. 36. in qua agitur de fide, ubi dicitur: Tollam quippe vos de gentibus, & congregabo uos de uniuersis terris, & effundam super uos aquam mundā, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus uestris, & dabo uobis
Esai. 1. cor nouū. In secunda Lectione quæ est; Lauamini, & mundi estote, &c. quæ est Esa. 1. agitur de moribus, ubi dicit: Quiescite peruersè agere, & discite bene facere; & postea concludit, Venite & arguite me, dicit Dominus, q. d. si hoc feceritis, & uos non remunerabo, iure me tanquam iniustum redarguere potestis. Lauamini igitur per baptismum: mundi estote per pœnitentiam. Et istæ duæ Epistolæ diriguntur ad Cathecumenos, siue Baptizandos, qui hodie adducuntur ad Ecclesiam; & ideo in prædictis Lectionibus de fide, & moribus agitur. Quintæ Feriæ
4. Reg 4. Epistola est: Venit mulier Sunamitis; quæ est 4. lib. Reg. 4. & est de resuscitatione filij mulieris Sunamitis, quam resuscitauit Helisæus, & incuruauit se super puerum, & pueri qualitati se conformauit. Puer uerò septem oscitationes emisit, & est resuscitatus. Sunamitis interpretatur captiua: filius eius genus humanum, quod dicitur puer propter paruitatem sensus. Helisæus, i. Christus, inclinauit se super hunc puerum,
Nota. i. exinaniens se, factus est ei similis, & resuscitatus est. Septē oscitationes sunt, fides, timor, dolor de peccatis, propositum confitendi, propositū satisfaciendi, propositum de cætero non peccandi. septima oscitatio est spes; quia omnia cum spe uitæ & gloriæ homo facere debet. Sextæ Fe-
3. Reg 17. riæ Epistola est: Aegrotauit filius mulieris matrisfamiliàs, quæ est de tertio lib. Reg. 17. in qua ponitur resuscitatio filij uiduæ ab Helia. Sab-
Esai 49. bathi uerò Epistola est: In tempore placito exaudiui te, quæ est Esai. 49. In qua ostenditur largitas, uel charitas Dei erga nos, ibi, nempè: *Nunquid obliuiscetur mulier infantem suum.*

Epistola

Digitized by Google

Epistola Missarum quintæ Dominicæ, ac Hebdomadæ Quadragesimæ vsque ad Sabbathum sequens inclusiuè, quæ sint, vnde excerptæ, & quid innuant. Cap. CXXXIX.

HVius autem Dominicæ quintæ, quæ dicitur Dominica Passionis, Epistola est hæc, scilicet: Christus existens Pontifex futurorũ bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum. &c. quæ est Paul. ad Hebr. in qua ostendit ipse efficaciam Passionis Christi. Per Passionem enim eius ad æterna ducimur Tabernacula. Feriæ autem Secundæ Epistola est: Factum est verbum Domini ad Ionam, quæ est eiusdem Ionæ Prophetæ; in qua inuitamur ad ieiunium, per exemplum Niniuitarũ, qui solius Ionæ vnica prædicatione ieiunium indixerunt etiam iumentis, vt liberarentur à temporali subuersione: Quanto magis nos debemus pœnitentiam suscipere ad uocem veri Ionæ, scilicet Christi, vt à subuersione spirituali liberemur. Sed Feriæ tertiæ Epistola est Congregati sunt Babilonij; quæ est Daniel. 14. in qua ostenditur effectus patientiæ: quia in ea habetur, quomodo Babylonij Danielem in lacum Leonum immiserunt, nec tetigerunt eum, & missus ei cibus à Domino per Abacuch: & significat hoc, quod per patientiam liberat nos Dominus à spiritibus Babylonis. Quartæ verò Feriæ Epistola est, Locutus est Dominus ad Moysen, &c. quæ est lib. Leuit. 19 ubi enumerantur præcepta Domini data filijs Israel. Quintæ autem Feriæ Epistola est: Orauit Daniel Dominum. &c. quæ est Daniel. 3. In qua filij Israel, qui erant in Babylonia dicebant. Quia peccauimus, & non est nobis Sacrificium, sic & nos possumus dicere quando sumus in peccato; non est Sacrificium: sed in spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine. Sextæ Feriæ Epistola est: Domine omnes qui te derelinquunt. &c. quæ est Hierem. 17. in qua ipse petit suam liberationem, & inimicorum confusionem. Sed Sabbathi Epistola est: Dixerunt impij Iudæi ad inuicem. &c. quę est Hierem. In qua prędictorum Iudęorum sunt malę cogitationes, quę precesserunt Passionem Dicebant enim Venite cogitemus contra iustum cogitationes, & postea percutiamus eum lingua. Tales enim non habent Sabbathũ quia non est pax impijs, dicit Dominus.

Heb. 9. *Iona. 1.* *Dani. 14.* *Leuit. 19.* *Dan. 3.* *Hier. 17.*

Epistolæ Missarum Sextæ Dominicæ & eiusdem Hebdomadę Quadragesimæ usque ad sequens Sabbathum; quæ sint, & ex quibus autoribus desumptę, & quid illarum quęlibet demonstret. Cap. CXL.

DOminicæ verò Sextæ in Ramis Palmarum, Epistola est: Hoc enim sentite in uobis. &c. quæ est Paul. ad Philip. In qua ostenditur Passio, & Passionis fructus. Dicit ergo: Hoc sentite in uobis, quod & in Christo Iesu, idest, Imitamini ipsum, vt sicut ipse habuit charitatem, ita & uos eandem habeatis qua patiamini omnia tormenta tẽporalia ut habeatis humilitatẽ, (quæ in Christo maximè fuit, mansuetudinem,

Philip. 2. *Nota.*

tudinē,& patientiam,& intellectum realem,ut sentiatis. Secūdæ Feriæ
Esai.10. Epistola est: Dn̄s Deus aperuit mihi aurē: q̄ est Esai.10.in qua ostenditur principalis causa Passionis Domini. Tertię ueròFerię Epistola est:
Hier.11. Domine demōstra mihi &c.quæ est Hier.11.in qua habentur uerba hęc Iudæorum de Crucifixione Christi. Mittamus lignum in panem eius,
Lib.12. quod tantundem est, secundum Grego.Magnum, Dominico corpori
Moral c.7. crucem adhibeamus,& destruamus ipsum,& doctrinam eius. De isto
Author alibi. pane uide,quæ dixi super Hymnum qui incipit Pange lingua *gloriosi*, prælium certaminis.Quartæ etiam Feriæ Epistolæ,siue Lectiones sunt:
Esai. 63. Dicite Filiæ Syon: Altera est Domine quis credidit auditui tuo? Prima
& 62. est Esaię Prophetæ 63. secunda itidem eiusdem 62. In prima habetur de mercede,ibi,nēpe;Ecce merces eius cum eo;sequitur; Quis est iste, qui uenit de Edon, tinctis uestibus, idest,membris corporis, quæ sunt uestimenta diuinitatis sanguinis purpura tincta de Bossa,idest,de inferno. In secūda Epistola dicitur quod Christo tempore suæ passionis non erat species ei,neque decor,& neque ei erat aspectus. Vnde de eo dicit
Lib. 19. B.Greg. Granum, quia uidimus eum, & non erat aspectus: arbor au-
Moral.5. tem, quia speciosus forma præ filijs hominum.

Epistola quinta Feria in Cęna Domini,& Lectiones Sancta diei Parasceues, & Sabbathi Sancti,qua sint,ex quibus desumpta,& quid illa omnes nobis innuant. Cap. CXLI.

1.Cor.11. MIssæ Feriæ quintæ in Cœna Domini Epistola est: Conuenientibus uobis in unum.&c.quæ est Paul.ad Corin.11.quæ modū sumendi Cœnam Domini, & Sacram Eucharistiam narrat. Sed Lectiones
Osea 6. Feriæ Sextæ in Parasceue sunt duæ; Prima incipit: In tribulatione sua mane consurgent ad me; quæ est Oseæ,6. Altera incipit:Dixit Domi-
Nota. nus ad Moysen,& Aaron.Duæ autem tantum leguntur Lectiones, quia pro duobus populis Christus passus est, Hebręo uidelicet, & Gentili, Vel pro salute animæ & carnis.Lectiones item istæ leguntur sine titulis, quoniam tunc amisimus Christum caput,qui nos illuminat, sicut tituli illuminant Libros. Ab ipsis Lectionibus ideo hoc Parasceues Officiū incipit, quoniam in primitiua Ecclesia omnis Missa sic inchoabatur,& hoc hodie fit specialiter,quia Passio Domini hodie celebrata est, cuius in memoriam Missa cantatur. Sabbathi item Sancti Epistolæ,siue Lectiones sunt duodecim,ad honorem duodecim Apostolorum,in quibus post Christum omnis doctrina (per quam Lectiones designantur)Christianitatis processit,a qua Cathecumeni illuminantur. Prædictæ autem Lectiones carent titulo, quia Christus caput nostrum non-
Genes. 1. dum redditum est nobis. Itaque prima Lectio sic incipit: In principio creauit Deus cælum, & terram,quæ est Genes.1. in qua habetur, quod homo ad imaginem Dei factus est.Sed hæc imago penè amissa per peccatum,restauratur per Baptismum:unde sequitur secunda Lectio, quæ
Genes. 5. incipit:Noe uerò cum esset,&c.quæ est Genes.5.& 6.in qua ostenditur,
& 6. quod omnes perierūt in Diluuio exceptis illis qui in Arca saluati sunt.

Diluuium

Digitized by Google

Diluuium est Baptismus: Arca est Ecclesia. omnes enim qui extra Ecclesiam Baptizantur, pereunt. Tertia Lectio est; Tentauit Deus Abraam, quæ est Genes. 22. in qua Isaac legitur a patre oblatus, & Aries pro eo immolatus, & ita filius Dei pro nobis oblatus est. Quarta Lectio est, Factum est in Vigilia, quæ est Exod. 14. quam sequitur Canticum similiter de Exod. quod est Canticum Victoriæ: nam in eo dicitur & filij Israel uiderunt Aegyptios mortuos super littus maris. Quinta est: Hæc est hæreditas seruorum, quæ est Esai. 55. in qua agitur de Baptismo: Sitientes, venite ad aquas. Sexta Lectio est: Audi Israel mandata uitæ, quę est Baruch. 3. in qua de Christi Resurrectione agitur. Septima est; Facta est super me manus Domini; quæ est Ezech 32. quá agitur de generali Resurrectione. Octaua est: Apprehēdent septem mulieres uirum unum; quæ est Esai. 4. Nona est, Dixit Dominus ad Moysen, quæ est Exo. in qua sub figura agni immolati Christi Passio pro nobis immolati exprimitur. Decima est: Factum est uerbum Domini: quæ est Ionę, 3. in qua sub figura Ionę in mare proiecti, & à Cœto absorpti, & deuorati, & tertia die euomiti, significantur Passio, Sepultura, & Resurrectio Christi. Vndecima est: Scripsit Moyses Canticum; quæ est Deut. 31. in qua promittuntur pręmia renatis. Duodecima Lectio est: Nabuchodonosor fecit statuam auream; quæ est Daniel. in qua figuratè ostenditur, quod sicut Angelus in camino ignis flammam extinxit, ita Spiritussanctus per Baptismum flamman peccati extinguit.

Genes. 22. Exod. 14. Esai. 55. Baruch. 3. Ezech. 32. Esai. 4. Iona. 3. Deuteron. 31. Dani. 3.

Cur ad orationem, quæ post hanc Lectionem sequitur, non dicatur, Flectamus genua, ut dictum est in antecedentibus.
Cap. CXLII.

AD orationem autem, quæ post hanc ultimam Lectionem sequitur, non dicimus; Flectamus genua, in detestationem eius quod Nabuchodonosor Rex in contemptum Dei cocgit populum genua flectere ante prædictam auream statuam, quam erexerat.

Missę Paschatis Epistola, eiusque breuis expositio. Cap. CXLIII.

EPistola uerò Sancti diei Paschatis est: Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis Azimi: quæ est Paul. 1. ad Cor. 5. Expurgate ergo, idest, Abijcite uetustatem à uobis, ut de uitijs ad uirtutem, & de uirtute in uirtutem transeatis. sicut estis Azimi, scilicet, per Baptismum: sed quare? quia Pascha nostrum immolatus est Christus: quasi diceret, Coctus est agnus, & paratus. Itaque epulemur. Christus autem est Pascha nostrum, idest Agnus Paschalis. Quoniam uerò sequētes Epistolę usque ad finem anni aut sunt de Actibus Apostolorum, aut de Apocalypsi, aut de ipsis Apostolis, & sic de Nouo Testamento, ideo non amplius de Christi Aduentu, Natiuitatate, & Passione, ut tractauerunt præcedentes Veteris Testamenti: sed de eius Resurrectione, Ascensione, & Spiritussancti immissione omnes agunt. Proinde circa earundem usum, & frequentationem non me extendo: satis enim per seipsæ frequentes Epistolæ, hoc quod diximus

1. Cor. 5. Epilogus.

Digitized by Google

ostendunt. Verùm quoniam post lectam Epistolam solent Subdiaconi quandam Sacerdoti exhibere Reuerentiam, propterea aliquid de ipsa quoque disseramus.

Subdiaconus post lectam Epistolam cur faciat Reuerentiam Sacerdoti. Cap. CXLIIII.

Innoc. lib. 3. c. 30. Matth. 11. LECTA verò Epistola Subdiaconus cum Acolytho ad Sacerdotem ipse pergit, cui Reuerentiam exhibet. Illud quidem insinuans quod Matthæus scriptum reliquit, videlicet, quod Ioãnes cum audisset in uinculis opera Christi, misit duos ex Discipulis suis non credentes Christum esse Messiam, ut interrogarent illum. Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni, quæ uidistis, & audistis, cęci uident, claudi ambulant, &c.

Subdiaconus cur lecta Epistola deosculetur Pedes Pontificis. Cap. CXLV.

Durand. li. 4. cap. 17. Luc. 3. QVia uerò illi qui missi sunt à Ioanne, ut interrogarent Christum, per uisa miracula cognouerunt Christum hunc esse, de quo eorum Magister prædixerat: Qui post me venit, ante me factus est, cuius non sum dignus soluere calciamenta: ideo pronus ad pedes calciamenta Romani Pontificis Subdiaconus osculatur.

Subdiaconus cur lecta Epistola manus Sacerdotis osculetur. Cap. CXLVI.

Psal. 117. PRęterea quia dextera Domini fecit uirtutem, hinc est, quod Subdiaconus osculetur dexteram Sacerdotis. Sequitur modò ut aliqua subijciamus de sessione Sacerdotis in Missa.

Sacerdos in Missa, quare sedeat. Cap. CXLVII.

Durand. ibidem. ESt etiam aduertendnm, quod celebrans Sacerdos solenniter, sedet, cuius quidem sessio Christi Sessionem post Ascensionem ad dexteram Patris significat: sedes quippe victoris est; vnde Sessio Sacerdotis Christi Victoriam designat.

Ministrorum Sessio quid designet. Cap. CXLVIII.

Matth. 19. Luc. 19. SEd Ministrorum Sessio significat Sessionem ipsorum, quibus dicitur; Sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel. Cæterum nunc transeamus ad Graduale; de quo dicamus breuiter quicquid necessariò videtur esse dicendum.

Digitized by Google

Graduale cur dicatur post Epistolam. Cap. CXLIX.

POst Epistolam cantatur Graduale, seu Responsorium, quod pertinet ad opera Actiuæ uitæ: ut notetur, nos operibus respondere eis, quæ in Lectione audiuimus, scilicet, Prædicatione. Hæc Durand. Vel dicitur Graduale, seu Responsorium post Epistolam; quia Ioannes Prædicabat Pęnitentiam, dicens: Pęnitentiam agite, appropinquabit regnum Cęlorum. Et iterum; Facite fructus dignos Pęnitentiæ; meritò post Epistolã Graduale sequit̃, quod Pænitẽtiæ lamẽtũ insinuat. *Durand. lib. 4. c. 19*

Graduale cur quinquaginta diebus post Pascha non cantetur. quidq; illud insinuet. Cap. CL.

SEd Rupert. Abbas disserens de causa cur Graduale quinquaginta diebus post Pascha non cantetur, & quid illud significet, ait: Graduale ad Pænitentiæ respicit lamentum, cantus asper, & grauis, adeo ut illud excellẽtibus efferre uocibus, nec usus, nec decus sit; significat enim non iam Requiem remuneratorum; sed Laborem operantium; propter quod diebus post Pentecostem de Officio tollitur; quia uidelicet dies illi futurum in regno Dei fælicem Ecclesiæ Sanctæ statũ significant, quando iã area Christi uentilabro (qđ est in manu eius) purgata erit, nullumq; ex residuis granis iam timebit, quod ab horreo Dominico debeat in ignem inextinguibilem proijci. *Lib. 1. c. 34*

Graduale unde dicatur. Cap. CLI.

DIcitur autem Graduale, uel Gradale, à Gradibus, scilicet humilitatis: significans ascensus nostros de uirtute in uirtutẽ, & significat, secũdum Nicolaum de Ploue, Cõuersionẽ fidelium ad Pænitentiam. *Nicol. in 2. part. Miss.*

Graduale secundum Rupert. unde dicatur. Cap. CLII.

DIcitur autem Graduale secundum Rupert. à Gradibus humilitatis, ut pote illi conueniens, qui nec dum ascendit de uirtute in uirtutem, sed in conualle plorationis positus: iam tamen Ascensiones in corde suo disposuit. *Rupert. Lib. 1. c. 34.*

Versus post Graduale quid significet. Cap. CLIII.

POst quam autem Graduale dictum est, sequitur Responsorium dicendum, siue Versus, qui Epistolæ correspondere debet, ut si in Epistola agatur de gaudio, in Versu similiter: si ibi de tristitia, & hic similiter; ne possit nobis improperari, quod Dominus dicit; Cantauimus uobis, & non saltastis: Lamentauimus, & non plorastis. Vnde Apostolus, Gaudete cum gaudentibus, *Luc. 18. Rom. 12.*

Aa & flete

& flere cum flentibus. & iste Versus significat secundum Nicolaum de Ploue, quod nullus veram Pœnitentiam facit, nisi plenè conuersus sit ad Deum.

Versus cur sic vocetur. Cap. CLIV.

Durãd. li. 4. cap. 19.

VErsus autem sic vocatur, quoniam de eo fit reuersio ad ipsum Graduale, quod notat Duran. lib. 4. cap. 19. Dicendum est modo aliquid de hac dictione, Alleluia, quia sequitur post Versum.

Cur post Graduale sequatur Alleluia. Cap. CLV.

Matt. 5. Apocalyps. 19.

QVoniam autem post Luctum sequitur Consolatio: nam Beati qui Lugent, quoniam ipsi Consolabuntur: ideo post Graduale cantatur, Alleluia, quod est Lætitiæ Canticum, & auditum ab Angelis decantari, vt legitur in Apocalypsi. Est autem Alleluia Laus Angelica, sententia quidem breuis, magnum continens iubilum, siue inuitans ad iubilum.

Alleluia, quod verbum sit. Cap. CLVI.

Ranfold. S. August. S. Hier.

ESt autem Alleluia Hebraicum nomen, vocabulum si quidem significans potius, quàm exprimens ineffabile gaudium in hac vita peregrinantium, gaudium videlicet Angelorum, & hominum in æterna fœlicitate lætantium, quod nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit. Ranfoldus tamen multò plures adducit expositiones super hoc nomine Alleluia, dicens, Alleluia est dictio Hebraica, composita ex Allelu, trisyllaba, & ia monosyllaba: & Prima dictio significat Laudate, Secunda verò significat Dominum, & hoc sibi vult, idest, Laudate Dominum. Innoc. tamen vult, quod Alleluia significet, Laudate pueri Dominum, idest, Laudate serui Dominum. At sanctus August. tenet, quod Alleluia significet, idest, saluum me fac. Hieronymus est huius opinionis, quod Alleluia significet Cantate Laudem ad Dominum.

Quibus temporibus dicatur Alleluia. Cap. CLVII.

Author alibi

ET quoniam Alleluia futuræ beatitudinis, quasi proprium est vocabulum; meritò magis tempore Paschali frequentatur; quo Christus resurgens, eiusdẽ benedictionis spem nobis tribuit. De hac dictione Alleluia, vide multo plura in libello meo, quem feci, in quo scripsi tercentum quæstiones in Diuinum Officium Tract. 2. q. 13.

Tractus quo tempore frequentetur. Cap. CLVIII.

SCiendum nobis est, quod Tractus in Missis tunc dicitur, scilicet à Dominica Septuagesimæ vsquè ad Vigiliam Paschæ, scilicet, in diebus,

Digitized by Google

bus, & Officijs luctus. Et hoc quando tunc non canitur carmen letitiæ loco Alleluia, quod significat exsultationem habitam de spe æternorũ, dicitur Tractus.

Tractus unde dicatur. Cap. CLIX.

DIcitur autem Tractus à trahendo, quia per tractum, & cum asperitate vocum, & prolixitate verborum canitur, eo quod miseriam, & laborem præsentis incolatus insinuat. De quo Psalmographus ait: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est. *Innoc. lib. 3. c. 3.* *Psal. 119.*

Tractus quid repræsentent. Cap. CLX.

IN Tractibus enim repræsentatur longa Sanctorum Patrum expectatio, & Iudæorum captiuorum mæror, & afflictio, qui tempore Babylonicæ Captiuitatis sedentes super flumina Babylonis, & flentes in salicibus sua organa suspenderunt: quod tempus repræsentat Ecclesia in Septuagesima, cantica lætitiæ subticendo, & Tractus dicendo. Sed quoniam post Tractum solet aliquando, præsertim in Quadragesima Sacerdos celebrans genua flectere, potissimum in illo Versu, qui incipit: Adiuua nos, ideo de tali genuflexione dicere etiam opere pretium erit. *Psal. 136.*

Cur inclinet se Sacerdos celebrans post Tractum, dum dicit Versum: Adiuua nos Deus salutaris noster. Cap. CLXI.

DVm autem Sacerdos celebrans post dictum Tractum incipit Versum illum: Adiuua nos Deus salutaris noster: se inclinat, & humiliat: quoniam Oratio; quæ facienda est cum ieiunio, ad malignum spiritum eijciendum, tunc demum valet, si cum humilitate fiat. Vel dic secundum D. Basilium magnum, dum de Spiritusancto verba facit; quod ideo genua flectimus, & rursum erigimur, quoniam ob peccatum in terram delapsi sumus, & per humanitatem eius, qui creauit nos, in cœlum reuocati sumus. Nunc ad Prosam, seu Sequentiam transeamus. *Basil. Mag. c. 27. to. 2. De Spiritu sancto.*

Prosa, siue Sequentia quid, & quidnam notet. Cap. CLXII.

QVoniam autem aliquando in Missis, præsertim diei Resurrectionis Dominicæ, Pentecostes, ac Sacratissimi Corporis Christi solet post Graduale sequi Prosa, seu Sequentia, propterea quid sit, & quidnã ea denotet dicendum fore existimaui: Et quidem post Graduale, & Alleluia, Prosa, seu Sequentia dicitur (quod est similiter Canticum exsultationis) ad notandum geminam glorificationis stolam, quam Sancti accipient. Et aduerte, quod secũdum Durand. Nocherius Abbas Sancti Galli in Teutonia, Primò composuit Sequentias. Nicolaus Papa ad *Duran. li. 4. c. 22.*

Digitized by Google

... Aue Maria. Alma redẽptoris. Salue regina. quis cõposuerit. Missas eas cantari concessit. Sed Hermannus Theutonicus composuit Sequentias illas: Rex omnipotens & Sanctispiritus: & Aue Maria gratia: & Antiphonam, Alma Redemptoris mater. Petrus verò Compostellanus Episcopus fecit illam: Salue Regina misericordiæ, uita dulcedo. Quidam verò Rex Franciæ composuit Sequentiam illam. Veni Sancte Spiritus.

Prosa, & Sequentia quidnam sint. Cap. CLXIII.

Est autem aduertendum quod Prosa est producta ratio à lege metri resoluta; sic dicta ex eo, quod sit profusa: Sequentia dicta est, quia pneuma iubili sequitur.

Sacerdos celebrans cur mutet locum in Altari. Cap. CLXIV.

Innoc. lib. 3. c. 35. Matth. 9. Post dictam ergo Sequentiam, surgens Sacerdos, & ad sinistram Altaris partem accedens, pronunciat Euangelium, significans, quod Christus non uenit uocare Iustos, sed Peccatores: iuxta quod ipse in Euangelio dixit: Quia non indigent, qui sani sunt Medico, sed qui male habent. Per Dexteram enim Iusti, per Sinistram autem Peccatores significantur. Propter quod Dominus in Iudicio statuet quidem Oues à Dextris, Hędos verò à Sinistris.

Alia ratio quænam sit, cur Sacerdos mutet locum dicturus Euangelium. Cap. CLXV.

Durand. lib. 4 c. 23. Nota. Act. 13. Luc. 1. Quidam verò dixerunt, quod ideo Sacerdos in principio Missæ consistit ad Dexteram; cum verò pronunciat Euangelium conuertitur ad Sinistram; Et circa finem Missæ iterum redit ad Dexteram; quoniã cultus Dei primò fuit in Populo Iudæo, & Iudæa tunc erat in Dextera: Deinde Iudæis non credentibus, & verbum Dei tãquam indignis respuentibus; cultus Dei trãsiuit ad Gentes, ad quas Apostoli transierunt: Tunc enim constanter Paulus, & Barnabas, inquit Lucas, dixerũt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad Gentes; & tunc Iudea fuit in Sinistra parte: Et circa finem reuertetur iterũ ad Iudæos ad Prædicationem Enoch, & Heliæ, qui conuertent corda patrum in filios. Nunc de Euangelio tractemus.

Sacerdos dicturus Euangelium, cur populum prius salutet. Cap. CLXVI.

Sacerdos itaquè dicturus Euangelium, prius populum ipse salutat, vt illum ad audiendum verbum Dei attentum reddat: dicens, Dominus vobiscum, ostendens etiam per hoc se orare, vt Dominus sit

cum

cum eis, & obseruans quod Dominus iussit: In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui. Deinde populus Respondet; & cum spiritu tuo, idest sicut tecum est Deus ad docendum uerbũ Dei; ita nobiscum sit ad audiẽdum. Hæc Nicolaus de Ploue in 2. parte. Luc. 10. Nicol.

Quanam sit Gabrielis opinio circa salutationem populi ante Euangelium. Cap. CLXVII.

SAlutatur populus inquit Gabriel, per Dominus uobiscum. Primò post Introitum ante Orationem, ut cum eis sit Dñs ad desiderij Aduentus Christi completionem. Secundò, ante Euangelium, ut cum eis sit Dominus ad salutaris instructionis perfectionem. Gab. in 2. par. Miss.

Euangelium quid sit, & unde dicatur. Cap. CLXVIII.

EVangelium secundum omnium ferè Theologorum cateruam, est Christi, & Apostolorum Prædicatio, nunciat quidem uitam post mortem, requiem post laborem, & regnum post seruitium. Vel Euangelium est diuinæ deitatis per Sanctos Euangelistas conscripta editio. & dicitur ab eu, quod est bonum, & Angelo renunciatio, quasi bona de sursum nunciatio. Lactan. Ranfold.

Sacerdos celebrans dicturus Euangelium, cur subijciat Sequentia Sancti Euange lij. Cap. CLXIX.

SAcerdos autem, statim post quam sibi Responsum est: Et cum spiritu tuo; ut cunctos reddat dociles, ac beneuolos, secundum Dur. & Rupert. ad audiendum Verbum Euangelij, idest, bonum nuncium, nunciantem regnum Dei, subdit: Sequentia Sancti Euangelij, thurificans librum, & signans se signo crucis, q. d. Hic est liber, seu Euãgelium Dei. Hic est Liber Crucifixi, quem prædico. Hic liber pacifici, per quem reconciliationem accipimus. Per incensi autem fumum bonæ prædicationis opinio intelligitur. Dur. lib. 4. c. 24. Rupert. lib. 1. c. 36.

Cur, Sacerdos initio Euangelij se Signo Crucis muniat. Cap. CLXX.

DEinde sacerdos iamiam Euangelium dicturus, se in fronte, ore pariter, & in pectore signat, seu in corde; ne Diabolus, qui bonis operibus insidiatur, tollat ei per erubescentiam deuotionem de corde, uel sermonem de ore, ac si dicat. Ego Christi Crucem non erubesco, sed eam ore prędico, & corde credo: quia corde creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad Salutem. Durand. Rom. 1. 1. Cor. 1.

Digitized by Google

Sacerdoti dicenti Sequentia Sancti Euangelij, cur Respondeamus, Gloria tibi Domine. Cap. CLXXI.

Li. 5. c. 36. De Diuin. Offic.

SAnè secundum Rupert. Abb. Sacerdoti dicenti Sequentia Sancti Euangelij, Respondemus, Gloria tibi Domine, glorificantes Dominum quod misit nobis uerbum salutis, iuxta illud quod in Actibus Apostolorum legimus. Et glorificauerunt Dominum, *dicentes*; Ergo & gentibus pœnitentiam ad uitam dedit.

Verba illa, In illo tempore, uti intelligantur. Cap. CLXXII.

De pœnit. dist 1. c. Ecce.

POrrò uerba illa, scilicet; In illo tempore, ante Euangelium prolata, hunc habent sensum: In illo tempore, scilicet, Gratiæ, de quo dicit Apostolus; Ecce nunc tempus acceptabile; & de pœnit. d. 1. Ecce.

Quibus Euangelijs non præponatur: In illo tempore, & cur sic. Cap. CLXXIII.

Dur. lib 4. c. 24. Luc. 3. Matt. 11. Nota.

SEd in nonnullis Euangelijs accidit, quod non dicimus: In illo tempore, ob id, quod ex eorum uerbis certum est de tempore: & tunc incipiunt per aliquam determinationem Regiæ, uel alterius potestatis: ut illud: Anno quintodecimo Tyberij: uel incipiunt per simplicē rei gestæ narrationem, certum tempus determinantem, ut illud: Cum esset desponsata, & illud. Cum autem esset annorum duodecim, & illud. Post quam impleti sunt dies, & illud, Elisabeth, impletum est tempus, & huiusmodi. Finito itaque Euangelio, Sacerdos illud deosculatur, significans Euangelium esse Legem amoris, & charitatis, quæ amore, charitateq; prædicari debet, ut Deo animæ acquirantur.

Diaconus dicturus Euangelium, cur petat benedictionem. Cap. CLXXIIII.

Rom. 12. Lib. 2. c. 39 & de hær. c. cum ex iniuncto.

DIaconus autem lecturus Euangelium, ideo petit benedictionē, q̄m nullus debet p̄dicare nisi mittatur, iuxta illud: Q̄uo prędicabūt, nisi mittantur? Hoc autē dicit Inn. in duobus locis, uidelicet, in lib. 2. quem de Myst. Miss. fecit, c. 38. & in c. cum ex iniuncto, extra, de hæret. Vide etiam Libellum meum trecentum quæst. Tract. 2. quæst. 37.

Cur Diacono, & non Subdiacono benedicitur. Cap. CLXXV.

Inn. lib. 2. c. 38.

SAcerdos ergo uisibiliter benedicit Diacono, qui lecturus est Euangelium quod non fecerat Subdiacono lecturo Epistolam; quia secundum præfatum Innoc. Christus uisibilis manens, Legē, & Prophetas, quæ per Epistolam figurantur, inuisibiliter misit, sed postquā in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus Apostolos, & Euangelistas

gelistas

Digitized by Google

gelistas uisibiliter misit, & docuit. Euntes inquiens, Prædicate dicentes, Appropinquauit regnum cœlorum. Et mittit Sacerdos Diaconum, secundum Durand. ad legendum Euangelium: ad notandum quod Christus misit Apostolos ad prædicandum Regnum Dei. *Matt.* *Li.4.c.24.*

Diaconus cur præmittat ante Euangelium Thuribulum cum incenso. *Cap. CLXXVI.*

PRæmittit etiam Diaconus ante Euangelium Thuribulum cum incenso, eo quia Christi opera præcesserunt eius doctrinam: iuxta illud Luc. Cœpit Iesus facere, & docere. Hæc Durand. Thuribulum autem cum Thure significat Orationem cum deuotione, quàm tunc maximè debent habere fideles in audiendo diuinum Sermonem. Rursus Diaconus ideo præmittit Thuribulum, quia Prædicator debet odorem bonæ opinionis ex se mittere; iuxta illud Apostoli: Christi bonus odor simus in omni loco, nam cuius uita, inquit Pontifex despicitur, restat ut eius Prędicatio contemnatur. Tertio Thuribulum pręcedit Diaconum, ut eius oratio sicut incensum in conspectu Domini dirigatur. *Notent hic Prædicatores.* *2. Cor. 2.*

Acolythi cum Thuribulo, & incenso cur præcedant Diaconum dicturum Euangelium. *Cap. CLXXVII.*

ANte Thuribulum uerò pręmittit Diaconus duos Ceroferarios cum faculis accensis. Primò, quia debet desiderium, & gaudiũ auditorum accendere, quatenus & libenter audiant, & gratanter obediãt. Secũdo Sacerdos uel Episcopus pręmittit ante Diaconum duos Acolythos portãtes Cereos & Incensum, ad notandũ, quod Christus præmittebat binos ante faciem suam in omnem Ciuitatem, & locum quo erat uenturus, pręferentes coruscationes miraculorum, & odorem uirtutum. *Luc.6.*

Subdiaconus dicto Euangelio cur ad Sacerdotem celebrantem portet Librum Euangelij apertum. *Cap. CLXXVIII.*

HOc quoque minimè omittendum esse uidetur, uidelicet, quod dicit Dñs Rupert. ait namq; ipse Interim dum Subdiaconus apertũ circumfert Euangelij Librũ, quem ad Introitum portauerat clausum: quia post Prædicationem Christi cępit Lex credentibus quam antea gestabant clausam, apertam ostendere fidem Euangelicam. *Rupert. lib. 1.c.1.*

Sacerdos cur thurificet dicto Euangelio. *Cap. CLXXIX.*

CVm iam à Subdiacono ad Sacerdotem uentum sit, ut ei Librum Euangelij deosculandum præbeat, sequitur modo, quod statim post Libri osculum Sacerdos minister, Pontificem, qui Christũ *Nota.*

Digitized by Google

designat, incenset, ad ostendendum, quod Sacerdotis maximè officium est orationis ignitum Sacrificium Christo offerre, non solum in expiationem delicti, uerumetiam in gratiarum actionem.

Euangelium cur in alto & sublimi loco dicatur. Cap. CLXXX.

Esa. 40. SAnè Euangelium in alto, & sublimi loco, ideo legitur, ut ubique ab omnibus audiendum sit, iuxta illud Propheticum: Super montem excelsum ascende tu qui Euangelizas Syon: Exalta in fortitudine uocem tuam. Et Dominus inquit in Euangelio: Quod dico uobis in tenebris, dicite in luce; & quod in aure auditis: prædicate super tecta. Lex etiam in monte data est. Euangelium ergo in alto, & eminenti loco legitur. In Missa autem pro defunctis non in loco eminentiori; sed iuxta Altare Euangelium & Epistola leguntur, ad notandum, quod quantum spectat ad defunctos, non prosunt Prædicationes, quæ uiuis publicè fiunt. (Exod. 19.)

Euangelium, siue Passio Domini, cur potius legatur secundum Ioannem, quam secundum cæteros in die Parasceues. Cap. CLXXXI.

IDeo aũt potius Euangelium Sancti Ioannis, quàm cęterorum Euãgelistarum in die Veneris Sancti legitur: quoniã ipse interfuit crucifixioni, & iuxta crucẽ stetit securus, alijs fugientibus. pręterea ipse posterius scripsit Euangelium: meritò ergo posterius legitur.

Euangelium cur legatur in die Parasceues super pulpito nudo, & nudis pedibus. Cap. CLXXXII.

LEgitur item Sanctum Dei Euangelium in die Parasceues super nudo pulpito, & nudis pedibus; Primò ad memorandum, quod sup nudum Crucis patibulum nudus, fuit positus ipse Christus: Secundò, ad notandum, quod Ioannes, secundum quem Passio legitur, relicta, Syndone nudus profugit à Iudęis: Tertio ad reprę̈sentandũ, quod sicut Christo in cruce pendente ipsius secreta non tã cordis, quàm corporis nuda omnibus astantibus apparuerunt; ita & uelo templi per medium scisso, omnia templi intima nuda remanserunt. Legitur etiam nudis pedibus, ut cum afflicto pro nobis nos affligi debere monstremus. Hæc Durand. in sexta parte cap. 37. Denudantur etiam Altaria tali die, ad designandum, quod Christus fuit nudatus in Cruce. nam cum nudatum altare conspicimus, illud Propheticum ad memoriam reuocamus. Ecce uidimus eum, & non est ei species, neque decor, & considerauimus eum despectum. Vel denudatio talis, significat Christum diuinitatis gloria nudatum. unde Psaltes ait: Deus Deus meus, quare dereliquisti me: Hæc autem obiter dicta sint.

(Dur. Denudatio altariũ quid. — Esa. 53. — Psal. 21.)

Euang.

Digitized by Google

Euangelium cur nudato capite dicatur, & audiatur. Cap. CLXXXIII.

EVangelium insuper nudato dicitur capite, & auditur, ad notandum, quod omnia, quæ sub uelamine, & figura in Lege, ac Prophetis continebantur, sunt in Euangelio manifestata. Secundò, vt quinque sensus sint patuli ad audiendum.

Euangelium legente Sacerdote, vel etiam Diacono, cur tunc stare debeamus. Cap. CLXXXIIII.

PLanè Euangelium stando, & nõ sedendo auditur, quod Anastasius Papa constituit, & hoc ut ad prælium pro Christi fide seruanda promptitudo notetur. Vel hoc fit in signum, quod sumus parati pugnare pro Euangelio. Deponuntur etiam tunc baculi, & arma, cum Euangelium canitur, Primò, ne imitemur Iudæos in Conspectu Crucifixi arundines, & arma ferentes. Secundò, quia depositio baculorũ, & armorum humilitatem notat; & Christianę perfectionis esse, non se uindicare, sed Domino reseruare uindictam, iuxta illud: Mihi uindictam, & ego retribuam dicit Dominus. *Dist. 1. c. Apostolica. de Cõsecrat.*

Euangelia dicuntur, & leguntur uariè pro loci, temporis, & rei varietate. Cap. CLXXXV.

NOuissimo loco notandum est, quod Euangelium legitur in Ecclesia, quandoque secundum Historiam: ut est illud quod dicitur in die Paschæ, Maria Magdalena, & Maria Iacobi: *Mar. 16.* & illud quod cantatur in Natali, ad secundam Missam De Pastoribus. Quandoque secundum Allegoriam, ut est illud quod legitur in Assumptione Beatæ Mariæ, in quo fit mentio de Maria, & Martha; ubi dicitur: Intrauit Iesus in quoddam castellum, &cæt. Quandoque secundum rem, ut illud de Sancta Trinitate. Quandoque secundum Personam, ut illud quod cantatur in Festo Sancti Thomæ Apostoli, ubi dicitur, Thomas unus de duodecim. Quandoque secundum partem, ut illud quod dicitur in Festo Sanctæ Crucis, de Nicodemo, vbi dicitur, Sic oportet exaltari filium hominis, &cæt. In quo uerbo Christus Passionem suam significat, & exaltationem corporis sui in Cruce: & ideo Euangelium in quo hæc clausula continetur, legitur in Festo Sãctæ Crucis, & in festo Sancti Michaelis Archãgeli propter illũ uersum, Angeli eorum semper uident faciem Patris mei, qui in cęlis est. Item etiam secundum partem, ut illud: Liber generationis, &c. & hoc propter ultimum uersum, in quo fit mentio de Christo. Quandoq; secundũ totum, ut illud quod dicitur in Circuncisione Domini; *Luc. 1. Luc. 10.*

mini: Postquam consumati sunt dies octo.&c. Quandoque secundum tempus, ut illud quod dicitur in Prima die Quadragesimæ, scilicet, propter ieiunium. Quandoque propter Litanias, ut illud: Si quod petieritis, &c. (super quo uide Bedam, & Lodulphum de uita Christi, quod in Litanijs dicitur, in quo fit mentio de pane, & pisce. Quandoque propter locum, ut illud, quod legitur in Dominica Sexagesimæ, scilicet, Exijt qui seminat. &c. Reliqua tibi Lector disertissime obseruanda relinquo. Sed iam nunc ad Symbolum vertamus sermonem nostrum, aliqua de eo quoque disputantes.

Beda.

Cur post Euangelium immediatè sequatur Symbolum Apostolorum.
Cap. CLXXXVI.

Innoc li. 2. c. 49
Rom. 10.

QVia verò inquit Innocentius Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit Confessio ad salutem, ut ostendat Ecclesia, quod Euangelij uerbum corde recepit, mox fidei Simbolum ore decantat.

Symbolum cur alta uoce dicatur in Missa. Cap. CLXXXVII.

c. 1. de sum. Trin. & fi. Cath.

DIcitur autem Symbolum uoce sublata in Missis, vt omnes illud dicant cum Sacerdote, & addiscant: omnis enim Christianus, vt notatur in cap. 1. de sum. Trinit. & fid. cath. tenetur publicè fidem Catholicam confiteri, propter quod in fronte signatur. Rursus ideo in Missa patenter dicitur, ad notandum, quod hodie Fides Catholica liberè prædicatur, & docentur eam uenientes ad fidem. Cur uerò Symbolum in Hora Prima, & Completorio dicatur sub silentio, dictum est à me in libello trecentum quæstionum in diuinum officium. De quo require ibi.

Symbolum cur Sacerdos inchoet, & Chorus illud cantet.
Cap. CLXXXVIII.

Iacob. 1.
1. q. 1.
Luc. 2.

SAnè Sacerdos, seu Episcopus post lectum Euangelium, Symbolum decantare ipse incipit, ad designandum, quod omne bonum à Christo procedit. Nam omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum. Sed ne musicus ille cœlestis dicat, cantauimus uobis, & non saltastis; ideo chorus uoce consona Euangelicæ doctrinæ respõdet, & solenni tripudio fidem Catholicam profert, dicens: Patrem omnipotentem. &c.

Symbolum auspicans Sacerdos, ut quid manus eleuet.
Cap. CLXXXIX.

PRæterea Sacerdos Symbolum incipiẽs, manet erectus ante medium Altaris manibus extensis, sursum eleuatis, quas post quam incepit, iungit, quoniam Christus, quem Sacerdos repræsentat, erectus manet semper, estque cunctis paratus spiritualia bona largiri. Qui etiam stat

ante

Digitized by Google

ante medium Altaris, idest non est personarum acceptator, sed quantum in ipso est, omnibus æqualiter influit, nec angulum diligit, nec sinum. Manus etiam extensas tenens; quia paratus est abundanter benè meritis illa dilargiri: sursum quoque manus eleuatas habens, ostendēs eo facto, quod quę sursum sunt qrere, & in eo solo sperare debeamus.

Symbolum cur in Dominicis, & Resurrectionis, & Pentecostes magis frequentetur quàm in alijs diebus. Cap. CXC.

TVnc ergo inquit Rupert. si sit dies Dominica uel aliqua condigna Festiuitate decorata, cantatur Symbolū, quod est Credo in unum Deum. maximè enim Dominicæ Resurrectionis, vel Pentecostes sacramen respicit hoc fidei tripudium; quoniam noua soboles Ecclesiæ uitalis fontis ingressura lauacrum reddebat eius, quam cathechizata didicerat, fidei Symbolum. *Ruper. li. 2. c. 1.*

Cur genua flectamus, cum in Symbolo dicimus: Et homo factus est. Cap. CXCI.

CVm autem Sacerdos dicit Symbolum, cum peruenit ad illa uerba: Et homo factus est: genua omnes flectere debemus, quia Christum hominē factum, & pro nobis crucifixum adoramus. Cum verò dicit, Tertia die Resurrexit, secundum scripturas. Accipe, idest, eo modo, ordine, & eo tempore, quo prædictum in Scripturis. Quotuplex autem sit Symbolum, dicitur in cap. 1. extra de Sum. Trinit. & fid. Cathol. & dist. 43. c. non oportet. & 15. dist. cap. 1. *Duran. lib. 4. c. 21.*

Symbolum maius, quibus diebus in Missis dicatur. Cap. CXCII.

CAntatur autem Symbolum illud maius in solennitatibus eorum qui illud composuerunt, & in illis de quibus aliqua mentio fit in ipso: ut uolunt Innoc. & Durand. In omnibus ergo diebus Dominicis dicitur. Item in festiuitatibus Domini, scilicet, in Natali, Epiphania, Cęna Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, Transfiguratione: in Festo Sanctissimæ Trinitatis: & in omnibus festiuitatibus B. Mariæ, Sanctæ crucis, Angelorum, & Apostolorum: de quibus fit mentio ibi, & Apostolicam Ecclesiam, & dicitur etiam infra octauam Natalis Domini. Cantatur etiam infrà octauam Epiphaniæ, Paschæ, & Ascēsionis, Pētecostes, Apostolorum Petri, & Pauli, & Assumptionis B. Mariæ. *Li. 2. c. 52. Li. 4. c. 25.*

Symbolum cur non cantetur in Natiuitatibus Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Sancti Laurentij, sed cantetur in eorum Octauis. Cap. CXCIII.

ET licet in Natiuitatibus Sanctorum Ioannis Baptistę, & Sancti Laurentij Symbolum non cantetur; in octauis tamen eorum cantatur; eo quod

Digitized by Google

eo quod intra octauas Apostolorum, & Assumptionis occurrunt; & ob hoc etiam in octaua Sancti Ioannis Baptistæ, præfatio est de Apostolis, & in octaua B. Laurentij præfatio est de Assumptione Beatæ Mariæ Virginis. Hæc tamen obiter dicta sint, quia hic non erit locus talis inquisitionis. Cęterum Symbolum haudquaquam exponendum, (sicut nec Epistolas neque Euangelia, nec aliqua alia Missæ Officia enodare præsumpsi supra) à me esse censui; cum passim, & ubique reperiantur huiusmodi articulorum fidei quamplurimæ & perpulchræ interpretationes; quarum omnium prima, & regina cæterarum est, ac extat luculentissimè in Romano Cathechismo. Hoc tamen nota, quod dicitur in sequenti quæstione, videlicet. *Roman. Cathechis.*

Quid sit credere in Deum, credere in Deo, & credere Deum. Cap. CXCIIII.

Lib. 1. 0. 1. ASserunt Theologi in Compendio Theologicæ ueritatis, quo fides Catholica credit Deum, credit in Deum, & credit Deo. credere quidem Deum, est credere ipsum esse, credere in Deum est credendo Deum amare, & amando in eum ire, ac membris eius incorporari. credere autem Deo, est credere uerbis eius.

Post Symbolum decantatum Sacerdos ad quid iterum populum salutet. Cap. CXCV.

Gabriel in 2. par. Miss. VIsum est supra, Quomodo Sacerdos bis salutauit populum, nempe Primò, post Introitum: & ante Orationem, ut cum eo sit Dominus ad desiderij Aduentus Christi completionem. Secundò, ante Euangelium; ut cum illo sit Dominus ad salutaris instructionis perfectionem. Modo & tertiò salutatur populus secundum Gabrielem, vt cum eo sit Dominus ad Offerendum placitam acceptationem, id ipsum respondens populus precatur celebranti, vt scilicet, Dominus sit cum Spiritu suo ad spiritualem ministerij sui executionem. Procedit nunc altera Sacrosanctæ Missæ pars, nempè, Secunda.



SVM-

Digitized by Google

SVMMARIA

SINGVLORVM CAPITVLORVM

QVINTÆ PARTIS

OCTAVI TRACTATVS.

Digitized by Google

32 Sacerdos conuersus ad populum, cur dicat, Orate fratres.
33 Sacerdoti dicenti populo, Orate fratres, quid à populo respondere debeat.
34 Post dictionem, Orate fratres, cur resumat orationem Sacerdos, quam reliquerat post Offertorium.
35 Cur dicat tales orationes Sacerdos secretò.
36 Quid designet rupto silentio, Per oĩa secula secul. secundũ Rupert.
37 Sacerdos cum incipit Præfationem, cur ambas manus hincinde super Altare positas teneat.
38 Dominus vobiscum, quid.
39 Gratias agamus Domino Deo nostro quid.
40 Durandus quid dicat circa prædictam gratiarum actionem.
41 Sursum corda quid, secundum Ioannem à Turre cremata.
42 Quare sursum corda in p̃fatione dicatur secundũ Cyprianum Papã.
43 Sacerdos, cur Gratias agamus Domino Deo nostro subiungit.
44 Chorus cur succlamet, Dignum, & iustum est.
45 Verè dignum, & iustum est, æquũ & salutare vti intelligẽdum sit.
46 Prædicta oratio cur vocetur Præfatio.
47 Cur finita Præfatione, dicatur ter Sanctus, Sanctus, Sanctus.
48 Quid dicat Durand. de huiusmodi trina replicatione.
49 Cur ter dicatur Sãctus in singulari numero, et nõ in plurali Sãcti.
50 Quare semel tantum dicatur Deus Sabaoth.
51 Prædicta verba quomodo interpretentur.
52 Vti interpretentur verba: Pleni sunt cœli & terra gloria tua.
53 Verba; Osanna in excelsis quomodo sint intelligenda.
54 Verba, Benedictus qui venit in nõie Domini, vti sint intelligenda.
55 Cur iterum, Osanna in excelsis repetatur.
56 Prædictum Hymnum cur cantet Ecclesia.
57 Hymnum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, quis primus cantauerit.
58 Canon nomina multa habet.
59 Canonis substantia quidnam secundum Rupertum repræsentet.
60 Canon vnde incipiat, & cur sic.
61 Canon quot partes habeat.
62 Cur prima Canonis p̃te tres Cruces sup̃ oblatã, & calicẽ facimus, dicentes: Hæc dona, Hæc munera, Hæc Sãcta Sacrificia illibata.
63 Tres cruces prædictæ cur fiant secundum Rupertum.
64 Cur Dona potius, quàm Donum dicamus.
65 Quibus, & pro quibusnam offeramus Sacrificium.
66 Cur tres cruces faciamus super primo ordine secundũ D. Thomam.
67 Quinam sint illi Canones super quibus fiant cruces.

68 Cur

Digitized by Google

104 Forma

Digitized by Google

104 Forma quæ fit supra Calicem, quomodo exponatur.
105 Alia prædictæ formæ expositio quænam sit secundum Gabrielem.
106 Verba, Noui & Aeterni Testamenti, vti sumi possint.
107 Mysterium Fidei, vti intelligatur.
108 Qui pro vobis: verba hæc, quomodo accipienda sint.
109 Cur Deus subdidit & pro multis, & non pro omnibus.
110 Verba, Effunduntur in Remissionem, vti intelligantur.
111 Verba hæc Quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, quid nobis innuant.
112 Christi corpus cur non Consecretur in die Parasceue.
113 Hostiæ delatio ad Sepulchrũ p duos Sacerdotes, qd nobis innuat.
114 Cur sacerdos post Hostiæ repositionem, incipiat, Oremus præceptis, &c. non eleuatis manibus.
115 Hoc Sacramentum Eucharistiæ cur magis frequentetur à fidelibus in Paschate, Pentecoste, & Natiuitate Domini.
116 Sacerdos si non recolat se dixisse aliqua eorum, quæ dixisse debuit, quid iuris.
117 Sacerdos omittens aliquid non de necessitate Sacrmenti, qd iuris.
118 Omittens aliquid de necessitate Sacramenti, quid iuris.
119 Quid si Sacerdos recordetur post Consecrationem inceptam aliquid se comedisse vel bibisse.
120 Quid si recordetur post Consecrationem inceptam peccatum aliquod se commisisse.
121 Quid si Sacerdos recolat se Excommunicatum esse post inceptam Consecrationem.
122 Quid si Sacerdos ante Cõsecrationẽ alicuius prędictorũ sit memor.
123 Si Lecto Canone Vinũ vel Aqua nõ reperiatur ĩ calice, qd agẽdũ.
124 Utrum de simplici vino fiat Consecratio.
125 Quid agendum sit si quid de Sanguine ceciderit super Corporale, vel Pallam Altaris, vel super Albam, vel super Casulam.
126 Quid agendum sit de casu Sanguinis in terram.
127 Quid si Musca, vel Aranea, quidve aliud ceciderit in Calicem.
128 Quid agendum de casu Corporis, vel de Corpore.
129 Quid si infirmus Sacramentum euomat.
130 Vinum si congelatum sit in Calice, quid agere debeat Sacerdos.
131 Eucharistia an danda sit Ebrioso, Insano, Hæretico, & similibus.
132 An Leproso, Muto, & Aegroto danda sit Eucharistia.
133 Quid agendum sit si Sanguis exeat à naso Sacerdotis.
134 Quid si infirmitas superuenerit Sacerdoti celebranti.
135 Vbinã caueatur, quod Sacerdos alius suppleat pro alio ęgrotante.

An

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

De Secunda Sacrosanctæ Missæ Sacrificii Parte, quæ dicitur Offertorium, siue Missa Orationis.

Vbinam incipiat Secunda pars Missæ. Cap. I.

PRO intelligentia propositæ quæstionis oportet nos etiam eorum reminisci, quæ supra tract. tertio, quęst. 4. in medium attulimus, uidelicet, quod prima pars Missæ ab Introitu protenditur usq; ad Offertorium: consequens ergo necessarium est, ut Secunda Pars Missæ ab Offertorio incipiat se extendens usquè ad finem Dominicæ Orationis.

Ista Secunda pars Missæ quot partes habeat. Cap. II.

RVrsus aduertendum, quod Secunda pars Missæ, quæ dicitur Offertorium, siue Missa Orationis, secundum Archidiac. habet quatuor distinctiones, seu particulas. Prima dicitur Secreta: Secunda dicitur Præfatio: Tertia dicitur Canon. Quarta dicitur Dominica Oratio cum sua Præfatione, scilicet, Præceptis salutaribus.

Archidiaconus in c. de Hymn. De Consecrat. dist. 1.

Offertorium à quibus introductum sit, ut cantetur post Euangelium. Cap. III.

A Sanctis autem Patribus introductum est, ut post Euangelium Offertorium cantetur, secundum Innocent. quia quando offerebant, tubis clangebant: hilarem enim Deus diligit datorem. Inductum est etiam ex eo, quod Salomon in Dedicatione Templi, & Altaris, innumerabilem multitudinem holocaustorum obtulit cum magna solennitate, & à Moyse, cui descendenti de monte & populum salutanti, & oranti, occurrit populus, & munera obtulit.

Lib. 3. c. 53. *2 Cor. 9.* *2 Reg. 8.* *Exod. 35.*

Offertorium quid significet. Cap. IIII.

OFfertorium autem significat, quod post Lectionem, seu Prædicationem Euangelij non tantum sequi debet Fides in Corde; sed etiam Laus in Ore, & Fructus in Opere, ut scilicet, tā nos, quàm nostra Deo offeramus, qui tanta nobis dat, & promittit per Euangelium.

Digitized by Google

Offertorium unde nomen traxerit. Cap. V.

Lib.4.c.26 PORrò Offertorium nomen traxit, secundum Duran. à Feria, quod est Oblatio, quæ in Altari offertur, & à Sacerdotibus Consecratur; inde Offertorium dicitur, quasi præfertum: Oblatio verò uocatur, quia offertur. Dicitur etiam Offertorium, quia dum Offerenda canitur, Sacerdos accipit oblationes, vel Hostias à ministris.

Post dictum Offertorium, quid faciat Sacerdos. Cap. VI.

AMplius Sacerdos celebrans, & in silentio stans facto iam Offertorio, & fideliter super oblata dicens orationem, videlicet: Suscipe Sancte Pater, omnipotens æterne Deus hanc immaculatã Hostiam &c. Sanctum præparat Sacrificium, & hoc secundum Ruper. innuens; quia Dominus noster etiam cum se absconderet, nec palàm apud Iudęos ambularet, salutare nobis Passionis suæ meditabatur Sacramentum.

Opinio Gulielmi Durandi, quæ sit circa prædicta. Cap. VII.

Lib.4.c.27. DVm ergo, inquit Durand. Offertorium canitur, & Incensum portatur, instante memoria Dominicæ Passionis, silentium obseruatur, vsque dum alta uoce dicitur: Per omnia sęcula sæculorum: illud insinuans, quod Iesus post suscitationẽ Lazari nõ palàm ambulabat apud Iudęos, cum cogitarent eũ interficere; sed abijt in ciuitatẽ, quæ dr̃ Ephrẽ, & ibi morabatur cũ Discipulis suis. Prima opinio mihi gratior.

Ioan. 11.

Quid sibi velit Signum Crucis super Patena, Ampullis, & huiusmodi. Cap. VIII.

Lib.5.c.58 POrrò, cum Sacerdos, inquit Innoc. accipit Patenam cum Hostia, Vrceolum cum Aqua, & Calicem cum Vino, Thuribulum cum Incenso, efficit super ea Crucis signaculum, vt per Crucis virtutem omnis conatus Diabolicæ malignitatis effugiat: ne contra Sacerdotem, uel Sacrificium aliquo modo præualeat.

Vtrum dictum Innoc. sit præcisè verum. Cap. IX.

Lib.4.c.30 DVran. tamen tenet, ꝙ non supradictis omnib. debet fieri Signaculũ crucis; & præsertim super Vinũ: Ait enim ille sic: Et considerandũ etiam quia Aqua benedicitur, quando Vino admiscetur: Vinũ verò nõ: & hoc ideo, quia Vinũ in hoc loco Christum significat, qui nulla eget benedictione: Aqua populum, qui in hac vita nequit esse sine peccato, pp qđ indiget benedictione Dei, ut reddat dignus ad ꝑmissã unionem.

Hostia quid sit. Cap. X.

Durand. Lib.4.c.30. HOstia quidẽ, apud Veteres, propriè erat animal, qđ immolabatur pro impetrãda cõtra Hostes Victoria: aut qđ iã profligatis hostib.

mactari

Digitized by Google

mactari solebat. & de hac Hostia uide fusius quæ dixi in Hymno Corporis Christi, ad Matutinum, num. 7. Sed Hostia, quam nos Christi fideles in hoc Sacrificio sacrificamus, est Corpus ipsius Christi, qui uerè digna fuit Hostia: quia soluit obligationem contractam per peccatum Originale, & Actuale: Et de hac Hostia multa dicũtur in Clementina, de Reliquijs, & ueneratione Sanctorum. Clem. 1.

Hostia cur fiat rotunda. Cap. XI.

HOstia autem formatur rotunda, quia Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & uniuersi qui habitant in eo; Et ipsa sui forma significat illum, qui principio caret, & fine, quamuis ipse sit principium principians, & finis. Rursus cum figura rotunda formetur à puncto ad punctum; per hoc innuitur quod ab ipso sunt omnia, & ad ipsum omnia retorquent. Vnde Psalmogr. Veritas tua in circuitu tuo. Psal. 13. Psal. 88.

Patena absconsio sub Corporali, uel eius uelatio quid significet. Cap. XII.

QVemadmodum autem diximus; Altare mensam Domini in qua cum Discipulis suis conuiuabatur, Aram crucem, Calicem Sepulchrum, uel Passionem Christi significare, ita & Patena, quæ à patendo dicitur, Cor latum, & amplum significat. Hanc autem Cordis latitudinem habebant Apostoli, cum Petrus dicebat: Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Hoc idem & cæteri omnes Apostoli Christo dixerunt. Sed hæc Cordis latitudo ab eis aufugit, & latuit, cum omnes, Magistro relicto, fugerunt, & latuerunt. Ad quod designãdum post susceptam inde oblatam Sacerdos abscondit sub corporali Patenam. Vel saltem eam ab Altari remotam Subdiaconus retro continet inuolutam. Per hoc ergo Discipulorũ fuga, uel latibulum, uel infidelitatis excæcatio designatur, qui dum uerum Sacrificium offerretur, Christo relicto fugerũt, & latuerunt; sicut eis ipse prædixerat. Omnes inquit uos scandalum patiemini in me in hac nocte. Scriptum est enim, Percutiam Pastorem, & dispergentur oues. Innoc. Lib. 2. cap. 58. Matth. 26

Pars Patenæ patens extra Corporale, quid nobis innuat. Cap. XIII.

AT aliquanta particula Patenæ nõ absconditur, ob id, quod ostenditur, quod Beata Virgo, & Beatus Ioannes Euangelista non fugerunt, nec latuerunt.

Sacerdos missurus Aquam in Vinum, cur pauxillum in terram fundat. Cap. XIIII.

SAcerdos autem reposita iam Hostia super Corporale, & Patena recondita sub eodem, missurus Vinum & Aquam in calicem, prius effundit medium in terram, non solum ut meatus, siue locus uasis, per quẽ fluere debet, mũdetur, & si quid est in superficie uini, uel aquę emittatur, uerumetiam ad ostendendum, quod Sanguis & Aqua de latere Christi usq; in terram profluxerunt.

Digitized by Google

Commixtio Aquæ cum Vino cur fiat. *Cap. XV.*

Sess. 22. c. 7. MOnet deinde Tridentina Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus ut Aquam Vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere eius Aqua simul cum Sanguine exierit; quod Sacramentum hac mixtione recolitur. Et cum Aquæ in Apocalypsi Beati *Ioannis* populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite unio repræsentatur.

Quare Aqua admisceatur Vino, secundum Magistrum Sententiarum. *Cap. XVI.*

AQua uero inquit Magister Sententiarum admiscenda est Vino, quia Aqua populum signat, qui per Christi Passionem redemptus est. Calix ergo Dominicus iuxta Canonum præceptum Aqua & Vino mixtus debet offerri, quia uidemus in Aqua populum intelligi, in Vino ostendi Sanguinem Christi. Cum ergo in calice Vino Aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur: quæ copulatio Aquæ & Vini, sic miscetur in Calice Christi, ut mixtio illa possit separari. Nam si Vinum quis tantum offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis.

Lib. 4. dist. 12.

Quanta Aqua sufficiat commixtioni huiusmodi. *Cap. XVII.*

Cardin. à Turre cremata. ET si quæratur, inquit Ioãnes à Turre cremata, quanta Aqua sufficiat commixtioni huiusmodi. Responderi potest, quod gutta sufficiat, quantumcunque sit parua, dummodo possit à suo toto separari: At Aurea Armilla in verbo Missa, §. 6. sic de hac aqua fatur. Memini me, inquit, uidisse Doctorem non spernendæ auctoritatis, quod in Calice debent esse quatuor partes uini, & una aquæ: Itaque oblata Hostia & Aqua Vino admixta, offert Sacerdos Calicem; deinde tum super Hostiam, tum etiam super Calicem, idest, super utrumque insimul, impingit Crucem; quoniam Dominus noster Iesus seipsum Hostiam immaculatam obtulit æterno Patri in Cruce. Et quoniam super Tractatu Tertio, quæst. 30. nonnulla præmisimus de Materia Eucharistiæ; ideo modò hoc loco dicemus aliqua de secunda huius Sanctissimi Sacramenti Materia, de Vino uidelicet, & Aqua.

Vtrum Vinum sit Materia huius Sacramenti. *Cap. XVIII.*

Matt. 26. c. Dic. & c. super. de Consecrat. dist. 2. QVod autem Vinum sit Materia Eucharistiæ, patet, quia in uino uitis Consecrauit Christus, ut legitur apud Matth. Non bibam, *inquit*, de hoc genimine uitis, &c. Et habetur in c. Dicimus. & c. cum omne, de Consecr. dist. 2.

Vtrum

Digitized by Google

Utrum in aceto possit consecrari. Cap. XIX.

COmmunis Doctorum opinio est, quod in aceto non possit ullo pacto consecrari, quia non est Vinum, sed corruptio Vini. Secùs tamen est in Vino, quod in acetum tendit: In tali enim consecrari potest, secundum Cardinalem à Turre crem. quia est Vinum uetus.

Cardin. in c in Sacrã. dist. 2.

In musto an possit consecrari. Cap. XX.

SEd utrum possit consecrari in Vino contento in racemis in Musto, audacter respondemus, quod non: quia prohibitum est in c. cum omne. Secundò dico, quod nec posset fieri Consecratio in tali Vino; quia sicut pasta non est Panis, sed ex ea fit Panis: ita nec succus ille intra uuas contentus est Vinum, sed ex eo fit Vinum, & id non potest esse Materia Consecrationis. Figuræ autem Sanguinis Christi relatæ sunt iam à nobis supra Tract. 3. quest. 14.

c. cum omne, dist. 2.

Figura Sanguinis Christi.

An sine Aqua conficiatur Sacramentum Eucharistiæ. Cap. XXI.

SI uerò quæratur, inquit Magister Sententiarum, an irritum sit, quod geritur, si Aqua prętermittatur, audi quod sequitur in eodem Canone. Non potest, inquit, Calix Domini esse Aqua sola, aut Vinum solum, nisi utrumque misceatur. Item Cyprianus, Calix Domini non est Aqua sola aut Vinum solum, nisi utrumquè misceatur, sicut nec Corpus Domini potest esse farina sola, nec Aqua sola, nisi utrumque fuerit adunatum, & Panis unius compage solidatum.

Li. 4. d. 12. De Consecra. dist. 2. cap. non debes.

Quid si quis obliuiscatur immiscere Aquam Vino. Cap. XXII.

SI quis tamen non intendens introducere Hæresim, obliuione, uel ignorantia Aquam prætermiserit, non uidetur, inquit idem Magister irritum Sacramentum, sed ille grauiter est corripiendus. Ex hoc uidetur, quod si quis simpliciter uel ignoranter Vinum offerat sine Aqua, Sacramentum conficiat. Aqua uerò nullatenus sine Vino potest offerri in Sacrificio, nec Panis nisi de frumento: nec granum frumenti, nisi redactum fuerit in Panem, quia Christus Panem se dicit, & grano frumenti se comparat. Postmodum subdit Sacerdos: In spiritu humilitatis, & in animo contrito, suscipiamur à te Domine, &c. Per quod apertè demonstratur, quod cum hac Domini nostri Iesu Christi immolatione in primis seipsum Sacerdos offerre debet Sacrificium: & quod tunc uerum erit Sacrificium si Deo spiritus noster contribulatus, & cor contritum, atque humiliatum offeratur, iuxta illud: Sacrificium

Mag. ibi. Aqua an solum possit Consecrari. Granum frumenti solum offerri non potest. Ioan. 6. Ioan. 12. Psal. 50.

Digitized by Google

Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Merito igitur, ad instar filiorum Israel, qui dicebant, quando erant in Babylone: Quia peccauimus, & non est nobis Sacrificium. hæc nos quoque dicere debemus; quando sumus captiuati à peccato. Non est nobis Sacrificium, sed in spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur a te Domine. Consequens est modò, ut dispiciamus de ministerio Subdiaconi, & Diaconi ministrantium Sacerdoti, uel Episcopo solenniter celebranti.

Subdiaconus præparans Calicem, Panem, & Vinum quid innuat. Cap. XXIII.

Lib 3. c. 58. Est modo aduertendum, quod si est missa solennis, ita mysterium oblationis, secundum Innocentium explicari potest. Nam quod Subdiaconus Calicem præparat, Panem, & Vinum in illo disponens, hoc innuit nimirum, quod Lex; quæ per Subdiaconum hic congruè designatur, huius oblationis mysterium præfigurauit, dicens, quod *Genes. 14.* Melchisedech Rex Salem protulit Panem, & Vinum.

Ministerium Diaconi quid innuat. Cap. XXIIII.

Viso de ministerio Subdiaconi, nunc de Diaconi exploremus. Diaconus autem Calicem præparatum accipiens in Altari compo- *Innoc. ibidem.* nit; quoniam secundum eundum Innocent. Euangelium cuius est figura Diaconus, huius Sacrificij ritum commendauit Ecclesiæ, quam per Altare suprà diximus figurari.

Cur patenam Diaconus cum Hostia det Sacerdoti celebranti. Cap. XXV.

Ibidem. Idem Dominus Innocen. ait, quòd Diaconus Patenam cum Hostia tradit sacerdoti celebranti, uel Episcopo, quam ipse Sacerdos, uel Episcopus super Altari disponit. insinuans quod ipsemet Christus hoc *1. Cor. 11.* Sacramentum primus instituit, & Ecclesiæ tradidit celebrandum, dicens: HOC EST CORPVS MEVM, *quod pro uobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.*

Thurificatio Altaris quid innuat. Cap. XXVI.

Post susceptam uerò oblationẽ statim adoletur Incẽsum, & incensat *Ioan. 12.* Sacerdos Altare. Per quod illud innuitur; quod Maria Magdalena accepit libram unguenti Nardi pistici pretiosi, & unxit pedes Iesu, & impleta est domus ex odore unguenti.

Qualiter

Qualiter fiat Thurificatio. Cap. XXVII.

ET aduerte, quod Thurificatio ita fit, scilicet, quod Sacerdos in modum crucis superducit, & circunducit incensum super Sacrificium, & Altare, ut & crucis signaculo, ut suprà dictum est, & Thuris incenso Diabolicæ fraudis malignitas effugiat. Quod uerò tertio superducit, & circunducit incensum, designat, quod Maria ter exhibuit, & adhibuit unguentum circa Corpus Iesu. Primò unxit pedes eius in domo Simonis Pharisæi. Secundò, cum in domo Simonis leprosi super caput eius unguentum effudit. Tertiò, cum emit aromata, ut ueniens ungeret Iesum iam positum in monumento; uoluntas enim reputatur pro facto, cum per ipsam non steterit, quo minus expleuerit, quod incępit. *Luc. 7.* *Ioan 1* *Matt. ult.*

Incensatio totius Altaris quid designet. Cap. XXVIII.

QVod uerò postmodum undiquè totum incensatur Altare, designat, quod factum illud totum respexit Ecclesiam, sicut Dominus ipse testatur: Amen, Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Euangelium hoc, in toto mundo, dicetur, quod hæc fecit in memoriã eius. Potest etiam dici quod Altare thurificatur in figuram Angeli, qui stetit iuxta Aram Templi, habens thuribulum in manu sua: Dequo fumus aromatũ in conspectu Domini ascendebat. De significatione Incensi, Thuribuli, Nauiculæque, cum suprà Tract. 2. dixerimus, propterea hic de eis differere sileo. *Factũ Maria Magdalena.* *Apoc. 8.*

Facta thurificatione, ut quid se inclinet Sacerdos. Cap. XXIX.

SAcerdotis autem inclinatio post factam thurificationem, Christi humilitatem designat: qui exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, factus obediens usquè ad mortẽ, mortem autem crucis. Qui etiam inclinans se ad pedes Discipulorum post Sacramentum in cœna traditum orauit ad Patrem. *Matt. 26.*

Post thurificationem, & inclinationem, cur lauet manus Sacerdos. Cap. XXX.

SAcerdos autem lauat manus, ad signandum, quod lauare, & mundare conscientiam debet lachrymis pęnitentiæ, & compunctionis: & ideo tũc dicit Psal. Lauabo inter innocẽtes manus meas, idest opera. *Psal. 25.*

Manuum lotio cur fiat ad dextrum Altaris cornu. Cap. XXXI.

LAuat autem semper ad dextrum cornu Altaris: quia dextera prosperitatem, sinistra aduersitatem significat, Quia igitur pluries

peccatur

peccatur in prosperis, quam in aduersis, iuxta Psaltem, Cadent a latere tuo, idest, sinistro, mille, & decem millia à dextris tuis. merito magis lauandum est ad dexteram, quam ad sinistram. Deinde Sacerdos ad medium Altaris aliquantulum inclinatus iunctis manibus dicit: Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem. &c. in qua rogat Deum hāc oblationem acceptam esse, ac efficacem apud Patrem, atque vt cedat in gloriam suam Sanctorumquè, necnon in liberationem Animarum, quæ sunt in Purgatorio; in salutemq; demum nostrum *omnium* mortalium.

Sacerdos conuersus ad populum, cur dicat Orate fratres. Cap. XXXII.

MOx Sacerdos uoce aliquātulum eleuata, ut oratio omnium auxilietur ei, quasi non præsumens, quod solus possit tantum misterium exequi, monet populum, dicens: Orate fratres. &c. In quo

Luc. 22. significatur illud, quod Christus dixit Discipulis suis: Orate, ne intretis in tentationem; & ibidem, Ego pro te oraui Petre. Monet autem orare, ut Sacrificium fiat Deo acceptabile.

Sacerdoti dicenti populo Orate fratres, quid a populo Responderi debeat. Cap. XXXIII.

Psal. 9. POpulus similiter debet secretò orare, Respondens; Memor sit Do-
Luc. 1. minus omnis Sacrificij tui, & Holocaustum tuum pingue fiat. Vel
Psal. 17. Suscipiat Dominus Sacrificium tuum &c. Vel dicat, Spiritusanctus superueniat in te. Vel illud; Mittat tibi Dominus auxilium de Sancto.
Iacob. 5. Debemus enim inuicem orare secundum Apostolum, ut saluemur.

Post dictionem Orate fratres, cur resumat Orationem Sacerdos, quam reliquerat post Offertorium. Cap. XXXIIII.

ITaque monito ad orandum populo, Sacerdos se vertit ad Altare statim; & tunc tandem reassumit, & dicit Orationem, quam intermiserat ab Offertorio citrà: quando dixit, Oremus, ad notandum, quod Christus interum redijt Hierosolimam ad domum Orationis, quam ad tempus deseruerat in Ephrem: sic enim legitur in Euangelio. Cum uenisset Iesus Hierosolimam in templum, intrauit, & eiecit ementes & uendentes de templo, dicens: Domus mea, domus orationis uocabitur.

Cur dicat tales Orationes Sacerdos secretò. Cap. XXXV.

PRædictam autem orationem, uel orationes cum silentio *dicit*: Primò, ne uilescat Officium Missæ; & hinc est, quod talis Oratio uocetur Secreta; uel Secundò orat secretò; ut deuotius oret, ne cogitet quomodo

Digitized by Google

quomodo eius vox placeat populo; uel Tertiò, orat secretò Sacerdos, quia Iudæi statim post suscitationem Lazari uoluerunt occidere Iesum; Ille uero abscondit se in ciuitate Ephrem in solitudine, & tacuit in prędicatione, & miraculorum operatione usque ad Sabbathum in Ramis Palmarum, quo uenit in domum Simonis, & tunc prædicauit apertè. Ad quod designandum Sacerdos in fine prædictæ Secretæ eleuat iterum uocem, dicens palā, & alta uoce. Per oīa sæcula sæculorum. *Ioan. 11.* *Nota.*

Quid designet rupto silentio, Per omnia sæcula sæculorum, secundum Rupertum. Cap. XXXVI.

QVia uero, inquit Rupertus, proximo iam Paschate cum multi ascendissent Hierosolimam, ut Sacrificarent seipsos ante Pascha & requirerent eum dicentes: Quid putatis, quia non uenit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, & Pharisæi mandatum, ut si quis cognouerit, ubi sit, indicet, ut appræhenderent eum; Venit Dominus Iesus Bethaniam ante sex dies Paschæ, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitauit, & fecerunt cœnam ibi, & Martha ministrabat, quia tunc palam ambulabat; & ideo leuat iterum Sacerdos uocem suam dicendo: Per omnia sæcula sæculorum. Igitur Sacerdos post interiectum silentium, quasi post Domini latibulum, uocem leuans, ipsum palàm uenientem in Bethaniam palàm conuiuantem repræsentat. *Lib. 2. c. 14.* *Ioan. 11.*

Sacerdos cum incipit Præfationem, cur ambas manus hinc inde super altare positas teneat. Cap. XXXVII.

PRæfationem autem Sacerdos incipiens, deponit manus suas super Altare, ad notandum, quod oēm cogitatum temporalium deponit, & se totaliter Deo committit, immolationi duntaxat tota mente intendens; Vel ideo deponit manus super Altare, quia depositio manuum, exercitium bonæ operationis designat, & tale exercitium præcedere debet cordis eleuationem, & gratiarum actionem, ad quas ipse Sacerdos se prępparat. *Positio manuum sup Altare, dum incipitur Præfatio quid significet.*

Dominus nobiscum quid. Cap. XXXIII.

RVpertus ait, Dicturus Sacerdos rem attentione dignam, præmittit salutationem, optans nos quoque tales esse, cum quibus manere Dominus, & apud quos conuiuium facere dignetur. *Lib. 5. c. 43.*

Gratias agamus Domino Deo nostro, quid. Cap. XXXIX.

IDem Rupert. inquit, Gratias enim agere debemus omnipotenti Deo nostro: per Christum Dominum nostrum: credendo, & confitendo, quod per seipsum Maiestatem eius laudant Angeli, & adorant Dominationes, tremunt Potestates. Hæc eadem Innocent. *Ibidem.*

Durandus

Digitized by Google

Durandus quid dicat circa prædictam gratiarum actionem.
Cap. XL.

Lib. 4. c. 3. PEr gratias agamus. Christo recolimus gratiarum actionem, & inuitamus populum ad agendum gratias Deo Patri per Filium, per quem redimimur, & cum Angelis ad laudandum admittimur.

Sursum Corda quid, secundum Ioan. à Turre crem.
Cap. XLI.

Cardinal. à Turrecr. in c. cum autē, di. 2. COrda leuanda sunt quadupliciter, secundum Cardinalē præmemoratum in Sacramento Altaris; Primò, intellectu ueritatis; Secundò, affectu charitatis; Tertiò, uirtute conuersationis; Quartò, rectitudine intentionis. De Prima leuatione ait Psaltes: Accedet homo ad
Psal. 63. Cor altum, & exaltabitur Deus. Ad Cor enim altū intellectu ueritatis, accedit, ꝙ in Sacramento nihil carnale cogitat, sed omnia alta esse intelligit. De Secunda leuatione Cordis dicitur; Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. De Tertia exaltatione cordis dicitur ad Phi-
Philip. 4. lip. Conuersatio nostra in cælis est. Vnde & Saluatorem expectamus uenientem in Sacramento Dominum nostrum Iesum Christum, qui
Iob. 16. & reformabit Corpus humilitatis nostræ configuratum Corpori claritatis suæ. De Quarta sursum eleuatione dicitur. Iob ad Deum. Stillat oculus meus, hoc est, oculus intentionis. Qua deuotione, & memoria Passionis Dominicæ stillat lachrimando, & non nisi in altum ad Deum dirigitur tendendo, & peragendo, & omnia bona sua soli Deo attribuendo.

Quare sursum Corda in Præfatione dicatur, secundum Cyprianum Papam. Cap. XLII.

SEd Dominus Cyprianus Papa de prædictis ipse sic fatur. Quando autem stamus ad orationes; fratres dilectissimi, inuigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus: Cogitatio carnalis hominis & sæcularis abscedat, nec quicquam tunc animus aliud, quam id solum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem Præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo: Sursum Corda, ut dum respondet Plebs, Habemus ad Dominum, admonetur nihil se aliud, quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduersarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei tempore orationis uenire patiatur.

Sacerdos, cur Gratias agamus Domino Deo nostro subiungit.
Cap. XLIII.

RVrsus quia Populus professus est se intentum esse ad Dominum, ideo Presbyter subiungit: Gratias agamus Domino Deo nostro.

Chorus

Digitized by Google

Chorus cur succlamet: Dignum & iustum est. Cap. XLIIII.

INnocentius ait: Chorus uerò Sacerdotis uerbum approbans, & affirmans, respondet: Dignum & iustum est. Dignum quidem quantum ad Deum, quia ipse est Dominus Deus noster; iustum quantum ad nos, quia nos sumus Populus eius, & oues pascuæ eius. *Lib 3. c. 2.* *Psal. 94.*

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, uti intelligendum sit. Cap. XLV.

DIgnum quia bonus est; iustum quia beneficus; æquum quia misericors, salutare quia salus; Vel dignum, quia nos mera uolunitate fecisti, iustum quia pura misericordia redemisti, æquum quia gratuito nos iustificas. Sed quoniam hæc declarare non est nostrum institutum: ideo reliqua tibi obseruanda relinquo apud Dominum Innocent. & Durand. qui multum elaborant pro expositione huiusmodi Præfationum. Illud unum adhuc etiam hic dicam, nempè, cur Præfatio dicatur sic, & vnde dicatur, & quorsum sit instituta. *Innoc. ibid.* *Inno. lib. 3. c. 63. Durand. lib. 4. c. 33.*

Prædicta Oratio cur uocetur Præfatio. Cap. XLVI.

HÆc autem oratio, quam præmittimus ante Consecrationem, Præfatio ideo uocatur, quoniam pręcedit Sacrificium principale: est enim quasi prælocutio, idest, ad ministerium præparatio. Prælocutio, uidelicet totius orationis secuturæ ante igitur, usque ad Agnus Dei. In hac. n. præloquitur Sacerdos gratas laudes Deo, ut melius ad Consecrandum Corpus Christi ualeat peruenire. Vocatur etiam Præparatio, quia præparat fidelium mentes ad futura Consecrationis reuerentiam. De Pręfationibus, & quot esse debeant, uide Capitulum, Inuenimus, dist. 1. & c. Sanctorum, dist. 70. Nunc de Sanctus dicamus.

Cur finita Præfatione, dicatur ter Sanctus, Sanctus, Sanctus. Cap. XLVII.

DIximus suprà quod Angeli hunc Deum trinum laudabant, adorãt Dominationes, tremunt Potestates, cælorumq; Virtutes, atq; beata Seraphin socia exultatione, idest, æqualiter, & humiliter cõcelebrãt: nunc autem dicunt ter Sanctus propter Trinitatem personarum, quasi diceretur ab eis; Sanctus Pater, à quo omnia, Sanctus Filius per quem omnia, Sanctus Spiritussanctus, in quo omnia. Hęc dicit Gabriel in suo tractatu de Missa. *Gabr. in 2. part. Miss.*

Quid dicat Durandus de huiusmodi trina replicatione. Cap. XLVIII.

ILlud, inquit Durandus, aduertendum est, quod ter dicitur Sanctus, vt notetur Trinitas seu distinctio personarũ. Et dicitur Sanctus Deus, *Lib. 4. c. 34.*

idest

Digitized by Google

Leuit. 19. idest sanctificans. Vnde illud: Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus uester: Dicitur pater Sanctus, dicente Filio: Pater Sanctifica eos in ueritate, quos dedisti mihi, quia tu Sanctus es. Dicitur Filius
Luc. 1. Sanctus Angelo protestante: Quod nascetur, inquit, ex te Sanctum, uocabitur Filius Dei. Dicitur Spiritussanctus Sanctus, Christo dicente:
Io. 20. Accipite Spiritūsanctum, quorum remiseritis peccata, remissa erunt.

Cur ter dicatur Sanctus in singulari numero & non dicatur pluraliter Sancti. Cap. XLIX.

Iudocus. IBidem præfati Doctores Durand. & Gabriel dicunt, quod ideo dicitur ter in singulari numero Sanctus; quia una sanctitas in his tribus personis, & una æternitas intelligitur: Vnde Iudocus clarius hunc locum explanans, ait: Idem uerò nomen tertio repetitum innuit nobis omnimodam ipsarum personarum ęqualitatem, ac similitudinem in naturalibus ac substantialibus proprietatibus, potentia, sapientia, bonitate, & ęternitate, eandemq. earū Sanctitatem. Sed secundū eundem, dicitur Sanctus, quasi sanguine Hostiæ tinctus, tractum à ueteris cōsuetudine Legis, in qua nihil Sanctū dicebatur, nisi quod fuerat Sanguine Hostiæ aspersum, uel tinctum. Item dicebatur, Sanctus quasi sine terra. nam ἅγιος quod est Sanctus Græcè, sonat quasi extra terram. Hæ autem interpretationes uerissimè Diuinæ Maiestati conueniunt.

Quare semel tantum dicatur, Deus Sabaoth. Cap. L.

Duran. & Gabriel. SIcuti dicentes ter Sanctus, Sāctus, Sāctus, Trinitatē personarum intellexerimus, ita dicētes semel tantum, Dominus Deus Sabaoth, Vsiæ, hoc est, Essētiæ unitatē designamus. Hoc ijdē Doctores inibi referunt,

Prædicta uerba quomodo interpretentur. Cap. LI.

DOminus Deus Sabaoth autē interpretatur sic, idest, Dominus exercituum, uidelicet, Angelorum, & hominum, quorum terribilis est, ut castrorum acies ordinata. De quo in Psal. dicitur ab Angelis.
Psal. 23. Quis est iste Rex gloriç? Dominus uirtutum. &c. Tot enim exercitus habet Deus in terra, quot sunt ordines in Ecclesia; tot habet in cœlis, quot ordines sunt in Angelis. Vel Dominus Deus Sabaoth, idest, Dominus exercituum siue militantium uirtutum, siue uictoriarum interpretatur. Vel omnipotens, ut ipse sit Dominus Deus, & ipse omnipotens, qui exercitus Angelorum, & hominum disponit.

Vti interpretantur uerba, Pleni sunt cæli, & terra gloria tua. Cap. LII.

Gabr. in 2. part. Miss. ET ideo subdit: Pleni sunt cæli, & terra gloria tua: hoc est ut eius gloria beatitudine cæli, & terra, idest, qui in cælis, & qui in terris sūt, gubernentur eius gloria, glorificent, & honorēt nomen Sanctum eius.

Cæli

Digitized by Google

Cæli autem pleni sunt Gloria &c. terra uerò Spe. Vel dic secundum Iudocum, quod per cęlorum amplitudinem, & terræ spatiositatem ostenditur superfusa diuinæ magnitudinis plenitudo: quod & Dominus per Prophetam indicat, cum dicit: Cęlum, & terram ego impleo, & Psaltes: Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam; si ascendero in cælum; tu illic es, si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Vel pleni sunt cæli, & terra gloria tua: quia (ut asserunt Theologi in Compendio Theologicæ ueritatis) Sicut in patria Deus est speculum, in quo relucent creaturæ, ita in uia è conuerso creaturæ sunt speculum, quo creator uidetur: Et nota quod Sacerdos dum dicit, Benedictus qui uenit in nomine Domini, se Signo Crucis signat, ad signandum quod Christus non uenit in Hierusalem, ut temporaliter regnaret, & pompis, ac uoluptatibus gauderet, sed ut pateretur ac moreretur in Cruce, ut Crucis triumpho Dæmonem superaret, ac secum postea fideles sui in Regno Cælorum regnarēt. Hæc Io. Baptista. Sed Rāfoldus dicit, quia ista uerba ab Euangelio desumpta sunt, quod continet Christum, qui triumphauit in cruce.

Iudoc. *Hier. 23.* *Psal. 138.* *Lib. 1. c. 1.* *Ioan. Bapt.* *Ranfold.*

Hæc uerba, Osanna in Excelsis, quomodo sint intelligenda. Cap. LIII.

IDem Gabriel dicit, Est autem Osanna dictio Hebraica, quæ interpretatur Obsecro salua. Et anna quod est aduerbium, uel interiectio obsecrandi. Et secūdum hoc deberet dici, Osianna; sed usu dicitur: Osanna, ut sit compositum ex corrupto, & integro. uel dicitur Osanna per Synalæpham, quæ est figura tollens uocalem de medio dictionis. Oramus igitur Osanna, idest, obsecro saluifica, supple nos. in excelsis, idest, in cælis, ubi est salus perfecta & æterna. Nam ad istam nobis dandam Christus, qui descēdit de Cælis præsentiam etiam suam exhibet in hoc Sacramēto Altaris. & hoc quod dicit Gabriel, refert etiam Iudocus.

Eod. loco. *Iudocus.*

Verba : Benedictus qui uenit in nomine Domini, uti sint intelligenda. Cap. LIIII.

PErgit ibidem Gabriel, dicens, sequitur, Benedictus, qui uenit in nomine Domini; quod est gratiarum actio: cum qua sicut patres aduentum Christi præcedentes, ut Abraam Patriarcha, & Prophetę: & concomitantes, ut Apostoli, & sequentes, ut cæteri Sancti ad Christum conuersi, prosecuti sunt Dominum diuersis quidem temporibus, sed una fide ad passionem uenientem; ita eadem fide; & gratiarum actione recipiamus eum: uenientem in Altaris Sacramento offerendum in eodem pro nobis. Dicitur autem Benedictus, non quasi ex nostra actione Dei beatitudo augeatur; sed à nobis benedicitur, idest, benedictus prædicatur, laudatur, & colitur; quia uenit plenus gratiæ, & ueritatis, plenus benedictione, qui & benedixit nobis in omni benedictione

Gabriel. *Nota.* *Io. 1.*

nedictione

nedictione spirituali. In nomine Domini, idest, Patris, qui est Dominus cæli, & terræ, & uniuersorum. Venit autem Christus in nomine Patris, sicut ipse ait: Ego, inquit, gloriam meam non quæro, sed honorifico Patrem meum.

Ioan. 8.

Cur iterum Osanna in excelsis repetatur. Cap. LV.

Lib. 4. c. 34.

DVrandus dicit quod repetuntur uerba ista, Osanna *in excelsis, quia* in Psal. Centesimoseptimo dicitur: ò Domine saluum me fac: ò *Do*mine bene prosperare: & eisdem uerbis ubi subiungitur: Benedictus qui uenit in nomine Domini: Sed huius rei rationem quoque reddens Iudocus ait: Alij uerò putant orationem illam, Osanna in excelsis, in hoc loco bis esse positam, ad postulandum geminam salutem, animæ scilicet, & corporis, tandem in cælis complẽdam: ut orationis illius ingeminatio signum sit, & nota duplicis salutis à Deo petendæ & non solum animam in cælo saluatum iri; sed etiam corpus nostrum in resurrectione, nouissimoque die salutis æternæ pro suo captu, ac modo particeps fore orandum esse.

Iudoc.

Prædictum Hymnum cur cantet Ecclesia. Cap. LVI.

Sãctus, Sãctus, Sanctus, cur cãtet Ecclesia.

SAncta Dei Ecclesia sperans sociari Angelis, & Archangelis, de quibus in Præfatione meritò facta est mentio: statim post illam conformat se Angelico cantui, canens Hymnum hunc, Sanctus, Sanctus, Sanctus; nullatenus dubitans, per hoc Sacrificium terrena Cęlestibus iungi, & ideo cum eis in excelsis saluari clamamus.

Hymnum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, quis primum cantauerit. Cap. LVII.

Hymnus.

QVis autem hunc Hymnum primum cantauerit, & quorum sit hic quæritur; Et quidem dicimus quod Hymnus iste Sanctus, Sanctus, Sanctus, partim Angelorum, & partim hominum uerba complectitur. Prima enim pars cõtinet laudem Angelorum, ultima hominum: legitur enim apud Esai. quod Seraphim clamabant; alter ad alterũ, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dñs Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Legitur quoquè in Euãgelio, quod qui pręibãt, & qui sequebãtur, clamabãt, dicẽtes, Osanna Filio Dauid; Benedictus, qui uenit in nomine Dñi. Vox siquidẽ Angelorum, hoc est, Osanna in excelsis, Trinitatis, & unitatis in Deo commẽdat arcanum. Vox hominum, scilicet Osanna filio Dauid, Diuinitatis, & humanitatis in Christo personat Sacramẽtũ. Nunc ad Canonẽ trãseamus, breuibus agentes de eo aliquid.

Esai. 6.

Matt. 24.

Mar. 1.

Canon nomina multa habet. Cap. LVIII.

Canonis nomina; lura [?] ess. di. uni. Actio.

PRæ alijs autem sciẽdum est, quod Canon Missa, & Actio, Oblatio, & Canon, & Sacrificium, & Secreta uocatur. Actio dicitur propter

pter Sacra mysteria, quæ in ea aguntur, & quia tunc cum Deo agitur causa nostra. Oblatio dicitur insuper, quia in capitulo illo, Communicantes, & in illo; Hanc igitur Oblationem: certis dieb. ultrà ordinaria Canonis, seu Actionis verba quædã addũtur, & dicuntur. Ideo in Missalibus in varijs locis super illas additiones scribitur talis titulus, seu rubrica, infra Actionem: Canon verò dicitur Regula ad Consecrationem Eucharistiæ partim à Christo, partim a Sanctis Patribus ordinata. A Christo instituta sunt verba substantialia, quæ formam integrant Consecrationis, cætera à diuersis Sanctis Patribus edita sunt. Sacrificiũ autem dicitur, quasi Sacrũm factum, vel signum: quia prece mystica cõsecratur pro nobis in memoriam Dominicæ Passionis. Secretum, siue Secreta dicitur, quasi nobis occulta, quia humana ratio nequaquam tã tum mysterium plenariè comprehendere potest; ad quod celebrandum meritò secreta voce celebratur. Vel dicitur Secreta, secundum Gabriel. ratione significationis, operationis, & prolationis, quoniam signat secretissima fidei mysteria. Fiunt & ibi secretissimæ operationes omni creato intellectui incomprehensibiles in substantiarum conuersionib. & ideo etiam pars illa Missæ sub silentio proferri debet, ne tanti mysterij uerba per manifestam prolationem vilescat, prout etiam Conciliũ Trid. præcipit. Hæc Durand.

Canon. *Sacrificiũ.* *Secreta.* *Cur in Missa quædam submissa voce dicantur.* *Gabriel.* *Conc. Triden. Sess. 22 cap. 10.* *Dur. l. 4. c. 35.*

Canonis substantia quidnam, secundum Rupertum repræsentet.
Cap. LIX.

EAdem die, inquit Rupert. quia laudes acclamatæ sunt pro filio Dauid decima Luna, quando inferebatur in domos Iudæorum typicus Agnus, ingressus est hic Agnus Dei in Ciuitatem Hierusalem, & à nequissimis lanistis obsessus, multis insidijs quærebatur ad mortem, traditus à Deo, secunda feria, & tertia feria nihil proficiunt, dum eum cõtingere non audent populi metu, qui circa illum multus, atquè ad audiendum illum totus erat suspensus. Quarta feria Iudas vnus de duodecim à Diabolo supplantatus, uendidit illum Pharisæis. Feria quinta iam in agone propinquo, Testamentum suum scribit hæredibus suis, consignans eis thesaurum Corporis & Sanguinis sui. Eadem nocte capitur, ligatur, & illuditur. Feria Sexta crucifigitur primo linguis Iudæorum, post manibus Gentilium, tandem Hora Nona, facto terremotu tradidit spiritum. Sabbato quieuit in Sepulchro. Prima Sabbathi surgens a mortuis pacem Discipulis, & pacem omni mũdo annunciauit. Hæc omnia quæ dicta sunt, & gesta sunt per Hebdomadam ante Pascha fiunt à principio Canonis vsquè in finem. Qui Canon & Passionem Domini, & Sepulturam, & Dominicam Resurrectionem repræsentat.

Lib. 2. c. 8. *Luc. 21.* *Matt. 26.* *Mar. 14.*

Canon vnde incipiat, & cur sic. *Cap. LX.*

ESt ét hoc animaduersione non modica dignum, quod non sine mysterio Canon, siue prima Canonis litera à litera T. incipiat, vel sit litera T. quæ Hæbraicæ Tau, respondet. Hæc enim litera T. crucis formã siue mysteriũ Crucis habet, & ostendit, & exprimit: dicente Dño p Ezechiel: Signa Thau in frontibus uirorum dolentium, & gementium

Ezech 9.

Cc super

Digitized by Google

super abominationibus Hierusalem, quoniam per Christi Passionẽ hęc omnia impleta sunt, & efficaciam habent. Hoc etiam fuit signum, quo in Apocalipsi leguntur signati in frontibus suis electi serui Dei, prius quam inferrentur nocumenta terræ, & mari: Huius figuram habuit signũ, in quo Moyses suspendit æneũ serpentẽ in deserto, vt inspicientes sanarentur à morsibus venenatorum serpentum. Hæc Gabr. & Duránd. Sic ergo pergit Sacerdos dicens, & repetens, scilicet: quia dignum & iustum est, nos tibi gratias agere. Te igitur clementissime Pater, & quæ sequuntur.

Canon quot partes habeat. Cap. LXI.

Durand. Dicit Durand. quod Canon duodecim continet partes, licèt non desint, qui illum diuidant in sex; alij in quinque, alij in vndecim particulas, Secunda ibi, In primis., Tertia ibi, Memento. Quarta ibi, Communicantes, Quinta ibi, Hunc igitur, Sexta ibi, Qui pridie. Septima ibi, Vnde & memores, Octaua ibi, Supra, quę propitio. Nona ibi, Memento, Decima ibi, Nobis quoquè. Vndecima ibi, Oremus, Præceptis Salutaribus moniti.

Cur prima Canonis parte tres cruces super Oblatam, & Calicem facimus, dicentes: Hæc Dona, Hæc Munera, Hæc Sancta Sacrificia illibata. Cap. LXII.

Dominus Innocent. loquens de Crucibus, quæ fiunt super Oblatã, & Calicem, sic fatur, triplex fuit Christi traditio, à Deo, à Iuda, &
Lib. 3. c. 3. a Iudæis. Ad hoc igitur designandum Sacerdos facit tres Cruces super Oblatam, & Calicem, dum dicit: Hæc Dona, Hæc Munera, Hæc Sancta Sacrificia, commemorãs illam traditionem, quam Deus fecit ex Dono:
Io. 3. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum traderet. Vnde dicit Sacerdos. Hęc Dona: Cõmemorat secundo traditionẽ, quam fecit Iudas ꝓ munere, cui constituerunt Iudæi triginta argenteos: vnde
Matt. 26. subdit Sacerdos: Hæc Munera. Commemorat tertio traditionem, quã fecerunt Iudæi in Sacrificium illibatum: Vnde pergens Sacerdos dicit: Hæc Sancta Sacrificia illibata.

Tres cruces prædictæ cur fiant secundum Rupertum. Cap. LXIII.

Lib. 2. c. 5. Ab initio Canonis, inquit Rupert. quod est. Te igitur Clementissime Pater, vsquè ad eum locũ. Qui pridie quã pateretũ, quatuor dierum rõnes adnotantur. Quorũ in Primo cursu Agnus à Deo patre traditus illatus est in domos Israel, ueniẽs in Ciuitatẽ Hierusalẽ, quę illatio, uel traditio trina Crucis figura signatur, dicendo: vti accepta habeas. hæc Dona, hæc Munera, hæc Sancta Sacrificia illibata.

Digitized by Google

Cur Dona potius, quam Donum dicamus.
Cap. LXIIII.

PRædictus Innocent. quem Durand. sequitur. sed cur pluraliter Dona, Munera, & Sacrificia, inquit, hęc exprimimus? Respondet, quia Panis, & Vinum prius quàm Consecrentur diuersæ sunt species substātiarum, & diuersæ substantiæ specierum. Itaquè diuersa sunt continentia, sed vnum est contentum. Nam idem sub vtraque continetur: licèt non idem utraque substantia conuertatur. *Lib. 3. c. 5.*

Quibus, & pro quibusnam offeramus Sacrificium.
Cap. LXV.

QVibus autem, pro quibus, qualiter, & quare sacrificium offeramus edicit prædictus nobis Innocentius, Primo, soli Deo, & Diuinę Trinitati, ut patet ibi. In primis quæ tibi offerimus. Secundò, pro Ecclesia, scilicet, Catholica, & pro omnibus Orthodoxis. Tertiò, in unitate fidei, idest, in Communione fidelium. Quartò, quare, idest, pro beneficijs spiritualibus, & ęternis. Hæc eadem Durandus quoquè in medium affert. Hic ego nō possum sanctū Thomā cohibere quominus egrediat, hucque de suo aliquid afferat, qui differit cur super hoc primo Canonis ordine tres cruces faciamus, & quot sint ordines crucis in serie Canonis, quidq; in illo ponamus, pro quibus rogemus, & quid petamus. *Ibidem. Durand. ibidem.*

Secundum D. Thomam cur tres cruces faciamus super primo ordine. Cap. LXII.

BEatus Thomas Aquinas, dum de Officio Sacerdotis in Opusculo Sexagesimosexto, uerba facit, sic super hac prima Canonis parte differit. In Primo, inquit, ordine tria ponimus, uidelicet, Panem, Vinū, & Aquam. Pro tribus rogamus, scilicet pro omnibus in generali, ubi dicimus: In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia. Secundò, pro familiaribus nostris absentibus, ubi dicimus: Memento Domine famulorū famularumque tuarum. Tertiò, pro circūstantibus: ubi dicimus: & omnium circumstantium. Tria petimus, Primò, ut dies nostri disponantur in Pace. Secundò, ut eruamur ab æterna damnatione. Tertiò, ut mereamur numerari in Dominico grege. Quæ omnia ibi habemus, ubi dicimus. Diesq; nostros in tua pace disponas? atq; ab æterna dānatione eripi, & in electorū tuorū grege numerari. Propterea tres Cruces facimus, vt per uirtutem Crucis Primò quę apposita sunt, benedicātur. Secundò, ut hi pro quibus apponuntur, roborentur. Tertiò, vt quæ petimus impetrentur. *In opusc. 66. Cruces tres cur fiant super primo Canonis ordine.*

Digitized by Google

Quinam sint illi Canones super quibus fiant Cruces. Cap. LXVII.

D. Thomas. Super quibus Canonibus fiant Cruces.

ET, præfatus Sanctus Thomas inibi pergens ait. Et nota quod septẽ ordines Crucis in serie Canonis sunt; quos Spiritussanctus multa sapientia ordinauit. Primus ordo est, à, Te igitur clementissime Pater, vsquè ad, Qui pridie, Tertius est à Qui pridie, vsque ad, vnde & memores. Quartus est ab unde & memores, usque ad supplices te rogamus. Quintus est à Supplices te rogamus, usque ad Per ipsum Septimus est à Per ipsum, usque ad Pax domini. Adde tu & octauum, qui est à pax Domini vsquè ad finem Missæ: In singulis autem ordinibus sunt causæ profundæ, & rationes, quæ rationabiles mouent quęstiones, quas Spiritussanctus, cui vult claudit, & cui vult aperit.

Cur pro Papa in hoc primo primo ordine Canonis oremus. Cap. LXVIII.

Durand. Lib. 4. cap. 36.

IN hac autem prima Canonis parte pro Sanctissimo Papa nostro oramus, quia constat ab uniuerso orbe separatos esse, qui ob quamlibet dissentionem inter Sacra misteria Apostolici Põtificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant. Vel pro Papa oramus, quoniam habet super humeris suis regimen, & munimen totius Ecclesię Dei, cuius onera portat. Cum ergo sic ipse onere graui, & ferè importabili sit oneratus, merito Charitatis officium postulat, ut ei orationibus succurramus, non secùs ac sæpe succurrimus ei, qui valde oneratus est, clamans: Accurre & adiuua, adiuua. Deinde debemus orare pro proprio Episcopo quatenus vnitatem spiritus in vinculo pacis obseruet. Antistes tamen ipse celebrans non debet ea dicere, cum sit ipsemet Antistes. Ad secundũ modò Canonis ordinẽ digrediamur.

In secundo Canone, pro quibusnam bonis offeramus Sacrificium. Cap. LXIX.

Lib. 3. c. 7.

SCiendum nobis est, quod Innoc. dicit, quod triplicia sunt hominis bona, Corporalia, Spiritualia, & Aeterna: scilicet, Infima, Media, & Suprema. Pro quib. in hac Secunda Canonis parte Sacerdos dicit se offerre Sacrificium. Pro Corporalib. idest incolumitate: pro Spiritualib. idest, pro redemptione; pro Aeternis, idest, pro salute. Nã & Dominus docet nos ꝑ his trib. orare: videlicet pro Aeternis: vnde adueniat regnũ tuum, Pro Spiritualib. Vnde fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. Pro Corporalibus, vnde Panẽ nostrum quotidianum da nobis hodie.

Vota quæ dicantur. Cap. LXX.

De Voto c. magno.

EST autem animaduertendũ, quod Vota sua dñr, quæ voluntariè promittuntur: quia uolẽter, & libẽter Deo uouere, & uotũ reddere debe-

mus

mus, vt monemur à Pontifice, extra, de Voto. Suboderemus modo tertium Canonis ordinem.

Tertia pars Canonis, qui incipit, Communicantes, quid ostendat. Cap. LXXI.

AT in hoc Tertio Canonis ordine duo facimus, uidelicet, Primo, inuocationē Sāctorum, cum dicimus; Communicantes, & memoriam uenerantes, in primis Gloriosæ, semperq; Virginis Mariæ, sed & beatorum Apostolorum Petri & Pauli &c. Secundo, fit ad Deum per prædictorum Sanctorum merita & preces humilis supplicatio; ut cum idem paulò inferius subdimus. Quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis muniamur auxilio. Hæc Gabriel. Hic autem nota, quod Sancta Dei Ecclesia inuocat intercessionem duodecim Apostolorum; quoniam secundum Lactantium. sicut Sacerdos antiquæ Legis, (cum in Sancta Sanctorum ingrediebatur) portabat in ueste Sacerdotali nomina descripta duodecim Tribuum: Ita decens est, ut Christi Sacerdos intrans ad Altare, ut tantum peragat Sacrificium, portet secum memoriam Sanctorum Apostolorum quibus potissimum dedit Deus huiusmodi Sacramenti institutionem; qui & ipsi nobis reliquerunt eandem. Vide tamen, quod dictum est infrà Tract. eodem quæst. 189.

Tertia Canonis pars habet duas partes.

Gabr.

Lactant. Exod. 39.

Quare recurramus ad Sanctos, & oremus eos. Cap. LXXII.

QVoniam autem sancti Dei communicant nobiscum in obiecto fidei, spei, & charitatis, & in ipsa charitate: quandoquidem quod & nos credimus ipsi clare uident: quod speramus scilicet, beatitudinem, ipsi comprehendunt, & securi tenent, Deo, quem nos diligimus, ipsi fruuntur, eadem quoq; charitate consumata, qua licet imperfecta, & nos amamus; Propter hanc igitur communionem Sanctorum nobiscum, fiducialiter ad eos recurrimus, eorum memoriam uenerantes, ut nos fragiles, & mortales mereamur eorum meritis, & precibus ad eorum immortalitatis gloriam peruenire, atque eorum Suffragijs de Fide perduci ad Visionem; De Spe ad Rem; De Stadio ad Brauium; De Via ad Patriam. Biel ibidem hæc dicit.

Communicant Sancti nobiscum in quatuor.

Biel.

Cur inprimis inuocemus Beatam Virginem deinde Apostolos, post Martyres. Cap. LXXIII.

IN primis autem in hac prima Canonis parte nominatur nomē Beatæ Mariæ Virginis, quia eum qui offerēdus est, & qui uere Hostia est, genuit, & in cælis obtinet principatum. Nominatur etiam Duodecim Apostoli & Duodecim Martyres, quoniam ijdem omnes huius Sacrificij testes fuerunt, & Passionem Christi uerbis & effusionis sanguinis testimonio probauerunt. Hæc Durandus.

Durand. lib. 4. c. 38.

Digitized by Google

Canon tertius cur non contineat memoriam Sanctorum Veteris testamenti, & Confessorum. Cap. LXXIIII.

ISta insuper pars Canonis Tertia neque Sanctorum Veteris Testamēti, neque Confessorum specialem memoriam facit; quoniā Patres Christum præcedentes, licèt spiritualiter, non tamen hoc Sacramentum perceperunt Sacramentaliter. Sed & hæc pars ordinata creditur, prius quam Confessorum memoria ageretur in Ecclesia. *Et etiam quia* in Sacramento Passionis Christi horum tantum debuit fieri memoria, qui passi sunt pro Christo. Omnium tamen generalis habetur memoria; cum dicitur post nomina; Apostolorum, & Apostolorum, & omnium Sanctorum tuorum. Sese modo offert pars Canonis Quarta, quæ incipit. Hanc igitur oblationem.

Sacerdos quid petat in quarto Canonis ordine. Cap. LXXV.

Quarta pars Canonis quid agat. Io. 3. IN quarta autem Canonis parte duo à Deo petimus, Primum petit Sacerdos, ut hæc oblatio sua, & cunctæ familiæ Christi placidè accipiatur non quantum est ex parte Sacrificij in se, quoniam illud Deo displicere nō potest, cum dilectissimus filius suus sibi offeratur, in quo semper sibi benè complacet, sed petitur acceptari quantum est ex parte ministrorum Ecclesiæ offerentium, occasione quorum nōnunquam acceptum non est, dum scilicet indignè offerunt. Secundò petit Sacerdos à Deo ut secundum uniuersale eius Dominium, quod habet in Cœlo, Terra, atque in Inferno, triplici scilicet machina mundi, triplicia bona conferat. In Terra tranquillitatem, qua dies nostros in sua pace disponat. In Inferno ut nos ab æterna damnatione eripiat, In cœlo, ut nos gregi Electorum connumerari iubeat. Hæc dicit *Gabr.* Gabriel.

Verba ibi in fine; Per Christum Dominum nostrum, uti intelligantur. Cap. LXXVI.

CVr autem in fine huius quartæ partis succlamemus per Christū Dominum nostrum; sic exponit Gabriel, idest, Qui traditus est in manus eorum, qui oderunt pacem; Qui ad inferna descēdit & Patres inde liberauit; Qui ascendit ad cœlos, & præcessit nobis parare locum, ut ueniens nos recipiat ad seipsum, ut ubi ille est, & nos simus, ut promisit nobis.

Gabr. Psal. 119. Io. 14.

Cur Sacerdos se seruum hic appellet. Cap. LXXVII.

QVare aūt Presbyter specialiter se seruum hoc in loco dicat, qui superiores alios appellauit famulos; quærit hic Nicolaus de Ploue, qui dicit, Ratio est, quia quilibet debet se reputare peccatorem, & nō alios.

Nicolaus de Ploue.

alios. Per seruitutem hic accipe ergo Sacerdotem, siue Clerum, qui Deo secundum gradus in hac oblatione Sacrificij seruimus. Per familiam uerò accipias assistentem Collectam, uel cunctam Christi Ecclesiam. Seruitus.

Quinta pars Canonis quomodo intelligatur. *Cap. LXXVIII.*

Aggrediamur modo partis quintæ Canonis tractatum. Illa siquidem sic incipit; Quam oblationem tu Deus in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; idest, terrenam ad Corpus Filij tui destinatam, tu Deus quæsumus in omnibus, idest, tota cogitatione, tota mente, & toto intellectu digneris facere benedictam, ut scilicet per ipsam consequamur benedictionem, & multiplicationem omnium bonorum spiritualium; adscriptam, eam approbando, ut per eam adscribi mereamur in numerum Angelorum, & Sanctorum in cœlis. Ratam, confirmando eam in rationabilem Hostiam, & acceptabile Sacrificium, ita ut nobis, idest, ad nostram salutem Panis fiat Corpus, & Vinum Sanguis, dilectissimi Filij tui, Domini nostri Iesu Christi. Hæc Durand. qui & multa alia dicit, quæ ego taceo, quoniam Compendium conficio. *Quinta pars Canonis quo intelligatur.* *Dur. lib. 4. c. 30.*

Cruces, quas Sacerdos facit in quinta Canonis parte, quid designent. *Cap. LXXIX.*

Beatus Thomas in opusculo 66. quærés cur Sacerdos faciat in quinque cruces super hoc Canonis quinti ordine, sic fatur. In Primo ordine petimus, ut quæ apposita sunt, benedicantur. In secundo uerò petimus, ut quæ in Primo benedicta sunt, in uerum, & summum Sacrificium transformentur. Quare in Secundo ordine quinque Cruces facimus, quia quæ benedicta sunt in id transformari petimus, quod in quinque præcellit omnibus, scilicet in Triplici Prærogatiua, & Charitate Gemina, & ideo dicimus. Benedictam, omni scilicet plenitudine gratiarum; & Acceptam summa dignitate, & honore. Ratam, summá, & æterna potestate. Sed quia hæc triplex prærogatiua parum nobis prodesset, nisi Charitatem geminam exhiberet; propterea dicimus, ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi cuius charitas gemina fuit, quàm habuit ad Patrem, & Gregem, Patri obediendo, pro grege, moriendo. Vel Charitas Gemina, quia Corpus, & Animam posuit. Aliter. Vel ideo quinque Cruces facimus, ut ex prædictis quinque necessaria nobis impetremus, scilicet, ex participatione Sanguinis remissionem: ex participatione Corporis, unitatem, & societatem Sanctorum: ex summa dignitate, & honore, honestatem uitæ, & morum; ex plenitudine gratiarum impetremus plenitudinem præmiorum. *B. Tho. in 66. opusc.* *Quinque sunt nobis necessaria ad salutē.*

Digitized by Google

Circa prædictas cruces quid Gulielmus Durandus dicat. Cap. LXXX.

Li.4.c.40. SAnè quarta Feria, inquit Durandus, Iudas unus ex Duodecim supplantatus, immane Sacrilegium perpetrauit: dum Filium Dei triginta argenteis uendidit Pharisęis in recompensationem damni, quod incurrerat propter effusionem unguenti: nam dixit ille: Quare hoc unguentum non uenditur trecentum denariis, & datum est egenis? dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur, asportabat. Quilibet autem argenteus ualebat decem denarios usitales: & sic damnum unguenti, quod ualuerat trecentos denarios, triginta compensauit argenteis. Si uerò dicamus argenteos fuisse denarios usuales, dicimus: quod Iudas uendidit Christum quasi uile mancipium triginta denarijs, quæ sunt decima tercentorum denariorum, quos ualuerat unguentum: propter quod Dominus loquitur despectiuè per Prophetam: Appenderunt, inquit, mercedem meam triginta argenteos precium appreciati: quo appreciatus sum ab eis. Ad designandum ergo precij rationem & quantitatem, quo Christus uenditus est, Sacerdos hic facit tres Cruces super Oblatam, & Calicem, cum dicit Benedictam, Ascriptam, & Ratam; Nam & trecenta pariter & triginta multiplicationem suscipiunt à ternario. Postmodum autem ad designandum uenditionem, & emptionem, duas cruces imprimit sigillatim, unam super Hostiam, & alteram super Calicem, dum dicit. Vt nobis Corpus, & Sanguis fiat, quasi dicat: Illa uenditio fuerat maledicta, proscripta, irrita, iniqua, & detestabilis. Sed tu Deus digneris facere hanc oblationem benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemq;. Iudas enim dilexit maledictionem, & uenit ei. & noluit benedictionem, & elongata est ab eo. Rupertus autem hoc idem, quod Durandus dicit. Gabriel etiam idem cum illis narrat.

Io.12. Zach.11. Psal.108. Rup lib.2. c.50. Gabr.

Hostia quomodo sit Salutaris, Rationabilis, Acceptabilis, & Rata. Cap. LXXXI.

HOstia autem benedicta dicitur Salutaris, idest, ab omni causa maledictionis immunis, tam Originali, quàm Actuali, tam Criminali, quàm Veniali: sicut Elisabeth dicit ad Virginem. Benedictus fructus uentris tui. Hostia adscripta dicitur, idest scripturis & figuris ueteribus designata, tam in Agno Paschali, quàm in Manna Cœlesti: tam in Isaac immolando, quam in Abel immaculato. Rata dicitur: quasi non transitoria; sicut Vetus Lex, quæ cessit, ubi Noua successit; sed quæ permanet in æternum secundum Ordinem Melchisedech. Rationabilis dicitur, quasi non pecualis, sicut erat Legalis, quæ sanguine taurorum, & hircorum non poterat à peccato mundasse, sed quæ sanguine proprio conscientias emundat ab operibus mortuis.

Exod.12. Genes.22. Exod.16.

tuis. Acceptabilis dicitur, quasi non illa de qua dicit Propheta; Sacrificium, & oblationem noluisti. Sicut Dominus ait. Non accipiam de domo tua uitulos, neque de grege tuo hircos, sed illa de qua dicit Psalmista: Sacrificium laudis honorificabit me. Psal. 39. Psal. 49. Psal. 115.

Quæ sit differentia inter Rationabile, & Rationale. Cap. LXXXII.

ET nota quod Rationale dicitur, quod de ratione procedit; Rationabile uerò, quod utitur ratione: Vnde dicitur, Rationale Diuinorum Officiorum: quia eorum, quæ in Ecclesiasticis Officijs aguntur, rationem continet. Nunc Sextum Canonis ordinem dispiciamus, ac discutiamus ea breuitate qua fieri potest. *Rationale & rõnabile differũt.*

Sexta pars Canonis quot partes habeat. Cap. LXXXIII.

PLanè præ omnibus nobis est animaduertendum, quod ista sexta pars Canonis continet duo notabilia: Nam primo edocet nos modum institutionis huius Sacramenti à Christo, cum incipit. Qui pridie quam pateretur, accepit Panem in Sanctas, ac Venerabiles manus suas: Secundo illa nos docet Formam qua perficitur ipsa Consecratio, cum subdit, HOC EST ENIM CORPVS MEVM. Hæc dicit Gabriel. *Sexta pars Canonis.* *Gabr.*

Verba, Qui pridie quam pateretur, qualiter sint accipienda. Cap. LXXXIIII.

HOc autem modo Gulielmus Durandus exponit illa uerba, scilicet, Qui pridie quàm pateretur, uidelicet una die antequam pateretur pro nobis: uel una die præcedente Passionem: accepit Panem, idest, uoluit tradere discipulis suis Corporis, & Sanguinis sui mysterium; ut deinde ipsi traderent nobis. Quintadecima namque die Primi Mensis qui tunc extitit Feria sexta, Passus est Christus: & Præcedente nocte, uidelicet, decimaquarta Luna, idest, in die decima quartæ lunationis primi mensis ad Vesperam, idest, mensis Aprilis, qui est primus mensis secundum Hebræos, ut Leges scripturarum impleret post typicum Pascha, Corporis, & Sanguinis sui Sacramentum instituit, & Ecclesiæ tradidit frequentandum. Sic enim fuerat præfiguratum in Exodo. Die mensis primi tollat unusquisque Agnum per familias, & domos suas, & seruabit eum usque ad quartamdecimam diẽ Mensis huius: Immolabitque eum uniuersa multitudo filiorum Israel ad Vesperam, & sument de sanguine Agni; ac ponent super utrumq; postem, & super liminaribus domorum, in quibus comedent illum. *Li. 4. c. 41.* *Exod. 12.*

Digitized by Google

Verba: Accepit Panem in Sanctas, ac Venerabiles manus suas, quid innuant. Cap. LXXXV.

CVm autem Christus dicitur accepisse Panem in Sanctis, ac Venerabiles manus suas hoc innuit, Melchisedech hunc Sacrificij ritum ipsum primum celebrasse, qui obtulit Panem, & Vinum: erat enim Sacerdos Altissimi. Vnde Dauid ad Christum: Tu es Sacerdos in æternum, secundum Ordinem Melchisedech. Cæterum quod Panis iste, in quo Corpus Christi conficitur, debeat esse de frumento, & Vinum ex uite, iam dictum est aliàs suprà.

Genes. 14.

Iste Panis quam Formam habere debeat. Cap. LXXXVI.

ISte autem Panis, quem nos offerimus, formatur in modum denarij: tum quia Panis uitæ pro denarijs, ut dictum est, traditus est; tũ quia idem denarius in uinea laborantibus in præmium dandus est.

Sacerdos antequam accipiat hunc Panem, cur eleuet oculos. Cap. LXXXVII.

ET hic eleuat Sacerdos suprà cælum prius quàm accipiat talem Panem, oculos; quoniam secundum Nicolaum de Ploue: oculos mentis debemus eleuare in Cælum: unde ueniet (secundum Psaltem) auxilium nobis. & quia omne bonum, & donum de sursum descendit. Vel si Lactantium audimus, eleuauit oculos Christus in Cælum, ut per hoc demõstraret huius Sacramenti magnitudinem super omnia alia Sacramenta. Vel ad Patrem eleuauit oculos, ut recognosceret hanc potestatem in tanto Sacramento à Patre sibi esse datam.

Nicolaus. *Psal. 120.* *Lactant.*

Christus an pro se gratias egerit. Cap. LXXXVIII.

SEquitur, Gratias agens. Dicitur enim sic: Gratias agens, idest Gratias agebat; non pro se, quia erat ipse plenus Gratiæ, & Veritatis, sed pro nobis, idest pro reparatione omnium futura. Vel Patri Christus egit Gratias, agnoscens; quia sicut à pomo uetito Adæ fuit disseminatum in natura humana peccatum, ita econtrario ex Cælesti Pane isto agnoscebat in nobis disseminari Diuinam Gratiam, ac Donum infinitum, & indeficiens cibus tanquam æternus.

Qua benedictione benedixerit Christus panem. Cap. LXXXIX.

POst quam autem Panem Christus accepit, & Gratias egit; statim benedixit, Cęlesti nimirum benedictione, & uirtute uerbi, qua conuertitur Panis in substantiam Corporis Christi, scilicet, HOC EST CORPVS MEVM.

Quot

Digitized by Google

Quot cruces fiant quando benedicitur Panis. Cap. XC.

DEinde facimus duas cruces Separatim: unam super panem in uerbo: Corpus, aliam super Calicem, in uerbo Sanguis, tum ut Materia Panis, & Vini sanctificetur (nam cruce Christi omnia sanctificantur) tum ad repræsentandum institutionem huius Sacramenti in Materia Panis, & Vini, qua præsignabatur Passio Christi. Vel duas Cruces facimus ad significandum, quod Christus passus est in Corpore simul & in Anima. Ideo una Crux signatur super Panem in Corpus Christi conuertendum: Alia super Vinum in Christi Sanguinem transmutandum: in Sanguine enim sedes est Animę: sicut scriptum est. Anima carnis in Sanguine est; Et filia Archisinagogi fluxum, idest, mortem Sanguinis, idest, Animæ patiebatur, propter eius malam uitam: excretione quoquè Sanguinis, inquit Hippocrates, mors subsequitur. *Luc. 8.* *Libro 4. Aphor. 24.*

Circa has duas Cruces quid dicat sanctus Thomas. Cap. XCI.

SAnctus Thomas autem in opusculo 66. ait de istis duabus Crucibus. In Tertio ordine petimus, ut quæ in Primo, & Secundo benedicta sunt, in uerum, & summum Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi transformentur, & ideo duas Cruces facimus. In hoc autem ordine nostra Redemptio, & Reparatio celebratur, per quam humana natura liberatur: Et ideo duplex crux hic fit propter Redemptionem duplicis naturæ. *S. Thomas.*

Verba: Deditque Discipulis, quid moneant. Cap. XCII.

ET nota quod inter Discipulos Christi fuit Iudas, cui etiam Dominus tradidit Sacra mysteria, licèt eum nouerat indignum, ad demonstrandum nobis, quod propter occulta peccata subtrahenda non est Eucharistia, dum per hoc sequeretur manifestatio occulti peccatoris. Nam Iudas, inquit Magister Sententiarum, non accepit Corpus Christi, sed tantum Panem intinctum. Corpus uerò & Sanguinem Christi ante cum alijs Discipulis perceperat. *Magister Sentent.*

Christus quale Corpus suum dederit Discipulis in Cæna; mortale, an immortale, passibile, an impassibile. Cap. XCIII.

QVæri solet; quale Corpus Christus in Cæna dederit mortale, an immortale, passibile, aut impassibile: Et breuiter dicendũ, quod Christus dedit Discipulis suis in Cæna Corpus suum tale, quale nunc habet, idest, gloriosum, & immortale.

Digitized by Google

Corpus Christi sumptum, & comestum ubi reperiatur. Cap. XCIIII.

Coloss. 3.

SEd quid est de Corpore Christi postquam sumptum fuit, & comestum: Responderi potest, quod si quæritur præsentia corporalis, in cælo quęratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens. Item cum Sacramentum tenetur, gustatur, & comeditur, Christus Corporaliter adest in uisu, & in sapore, & quam diu Corporalis sensus afficitur, Corporalis præsentia non aufertur: Postquã uerò in percipiendo sensus deficit Corporalis, deinceps non est quærenda præsentia Corporalis, sed spiritualis est retinenda quia dispensatione completa. Christus de ore transit ad Cor.

Panis an consecretur prius quam Vinum, aut simul. Cap. XCV.

Iod. à Turrecrem. de consecr. dist. 1. cap. Panis, est.

SEquitur modò Forma Consecrationis Corporis Christi, quæ est; HOC EST ENIM CORPVS MEVM. Circa quam aduertẽdum est, quod cum ad prolationem istorum verborum, scilicet: HOC EST ENIM CORPVS MEVM; Panis mutetur in Corpus, & ad prolationem istorum uerborum, scilicet: HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI, Vinũ mutetur in Sanguinem, & prius proferantur ista uerba, quam illa; uidetur quod Panis prius mutetur in Corpus, quam Vinum in Sanguinem: Et ita uidetur per consequens quod Corpus sine Sanguine est, uel Sanguis est sine Corpore. Propterea respondetur, & dicitur, quod licèt ad prolationem præcedentium uerborum, Panis antea mutetur in Corpus, & ad prolationem sequentium, Vinum postea mutetur in Sanguinem, nunquam tamen Corpus est sine Sanguine, uel Sanguis sine Corpore, sicut neutrum est sine Anima. Sed sub Forma Panis Sanguis existit in Corpore: per mutationem Panis in Corpus & econuersò: non quod Panis, idest Corpus in Sanguinem, uel Vinum mutetur in Corpus, sed neutrum potest existere sine reliquo.

Cum sub specie Panis sit Corpus & Sanguis Christi, & sub specie Vini sit Sanguis, & Corpus Christi: an ergo duplex sit sumptio Corporis, & Sanguinis Christi, uel an superfluit hæc, uel illa. Cap. XCVI.

PRo intelligentia huius quæstionis dicendum est: quod impossibile est Corpus Christi sine Sanguine sumi, & Sanguinem Christi sine Corpore sumi: siue enim speciem Panis, siue Vini quis sumat, utrumquè sumit: Et dicuntur duo Sacramenta, & unum, propter unum contentum: reuera enim sunt duo Sacramenta quia accidentia Panis sunt tantum Sacramentum corporis Christi: & accidentia Vini sunt tantum Sacramentum Sanguinis Christi; quia certè sub specie

Digitized by Google

ſpecie panis eſt Corpus & Sanguis Chriſti, quia totus eſt Chriſtus, ſimiliter ſub ſpecie Vini, nec tamen eſt ibi duplex ſumptio Corporis & Sanguinis Chriſti, nec ſuperfluit hæc, uel illa ſumptio: ſicut licèt comedam in uno prandio & ante potum, & poſt non tamen dicor bis comedere. Nec minus ſuperfluè ſumitur ſub utraquè ſpecie propter multa; propter refectionem nempe Corporis, & Animæ: Secundò propter ſignificationem: Tertiò, propter ſeparationem Sanguinis à Corpore Chriſti, Quartò, propter præceptum Chriſti, Quintò; propter inſtitutionem Chriſti, Sextò, propter repræſentationem. Propter refectionem Corporis & Animæ patet, quia ſpecies Panis ad Corpus, ſeu Carnem, & ſpecies Vini ad Animam refertur: Cum Vinum ſit Sacramentum Sanguinis, in quo eſt ſedes Animæ. Sumitur autem ſub utraquè ſpecie, ut ſignificetur, quod Chriſtus utrumque aſſumpſit, Carnem & Animam, & quod tam Animæ quam Corpori participatio ualeat. Tertiò, propter ſeparationem Sanguinis à Corpore Chriſti, qui non ſolum effudit unam guttam Sanguinis, ſed totus Sanguis è Corpore effuſus & exhauſtus, ac ſeparatus eſt: Vnde Ioannes 19. Sed unus inquit militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit Sanguis, & Aqua: Quartò, propter præceptum Chriſti, qui dicit: Amen Amen dico Vobis, Iudæis ſcilicet. Niſi manducaueritis Carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem; non habebitis uitam in uobis: Quinto propter inſtitutionem, quam Chriſtus ordinauit, accipiens Panem; & dicens Diſcipulis ſuis: ACCIPITE ET COMEDITE HOC EST ENIM CORPVS MEVM. & accipiens Calicem. gratias egit, & dedit illis, dicens. BIBITE EX HOC OMNES: Sextò, propter repræſentationem: Chriſtus enim repræſentauit in ultima ſua Cena ipſum Melchiſedech, qui obtulit Panem, & Vinum exiſtens Sacerdos Dei Altiſſimi. Vide aliqua in capit. Comperimus, De Conſecratio. diſtinctione ſecunda. Et nota quod prędicta Forma Conſecrationis Panis ſit perfecta quinque duntaxat uerbis: quia ſecundum Lactantium, ſicut quinque Mariæ uerbis à ſe prolatis, ſcilicet Fiat mihi ſecundum uerbum tuum: in eius uentre de Spirituſſancto incarnatus eſt Chriſtus; ita iſtis quinque uerbis, ſcilicet: HOC EST ENIM CORPVS MEVM, Chriſti Corpus cum Deitate & Anima conficitur.

Ioan. 6. *Matt. 26.* *1. Cor. 11.* *Gen. 14.*

Dictio,

Dictio, enim, inserta Forma Consecrationis Panis, an sit de necessitate. Cap. XCVII.

Est hic etiam notandum, quod Dictio, Enim, quæ ponitur in medio formæ Consecrationis Corporis Christi, minimè à Sacerdote est omittenda: quia licet non sit de necessitate, & de substantia Sacramenti, est tamen de necessitate, & essentia præcepti: sic enim omnes Doctores dicunt, præsertim Franciscus à Victoria in eius Sacramentorum Summula, in Verbo Eucharistiæ, Vnde grauiter peccaret omittens eam: Petrus enim dici instituit, ut dist. 21. c. in nono.

Corpus Christi cur eleuetur post Consecrationem. Cap. XCVIII.

SAnè dictis uerbis illis: Hoc est Corpus meum: Sacedos eleuat Corpus Christi. Primò, ut cuncti astantes illud uideant, & petant quod proficit ad salutem, iuxta illud: Ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me. Secundo, ad notandum, quod nõ est aliud magis dignum Sacrificiũ, imo est super omnes Hostias. Tertiò, significat Christi Resurrectionem. Vel secundum alios eleuatio Hostiæ, & extensio manuum, significat extensionẽ & eleuationem Christi in Ara Crucis.

Ioan. 12.

Campanula cur pulsetur in eleuatione Sacramenti. Cap. XCIX.

IN eleuatione Corporis & Calicis campanula, seu squilla pulsatur, quoniam & in Veteri Testamento Leuitæ tempore Sacrificij Tubas clangebant argenteas: ut earum sonitu populus præmonitus, foret ad orandum Dominum præparatus, & propter eandem causam Squilla pulsatur dum Corpus Christi ad infirmum portatur. Nunc ad septimũ Canonis ordinem, & apparatum stylum nostrũ conuertamus.

Pars septima Canonis quot notabilia contineat. Cap. C.

Septima Canonis pars.

DEterminata iam cõsecrationis Forma, qua Panis & Corpus Christi conuertitur; nunc sequitur altera pars eiusdem Formæ, qua uinum in Sanguinem eiusdem Christi transubstantiatur. Et Primò tangitur modus institutionis huius Sacrosanctæ Conuersionis, id est describitur institutionis tempus, & hora, uidelicet in decima quarta die Lunationis *Primi Mensis*, *scilicet Aprilis*, qui secundum Hebreos est Primus. Secundò, subditur Forma consecrationis ibi, HIC EST ENIM CALIX ETC. Tertio additur commissio frequentandæ huius Sacramentalis oblationis, cum dicitur: Hæc *quotiescunque* & c. Hæc Gabriel.

Digitized by Google

Hic quæritur primo cur Sanguis diuisim à corpore Consecretur. Cap. CI.

IOannes à Turre cremata dicit, quæ sit causa quot Corpus à Sangui ne diuisim consecretur, cum nunc non sit diuisus potest sumi, & in usu ad quem est Sacramentum, quia man ducatio in cibo, & potu consistit, & ex eo quod Sacramentum repræsentatur, quod est Passio Christi, quia in Passione Sanguis Christi à corpore diuersus fuit. Ioan. in c. Panis, de Consecrat. Dist. 2.

Sacramentum cur sub utraque specie sumatur. Cap. CII.

LIcet autem hoc augustissimum Sacramentum sub utraque specie sumatur, utrumque, scilicet, Corpus, & Sanguis: utraque tamen species consecratur, & neutra secundum Sacrosanctæ Eccl siæ sanctiones superfluit, ut ostenditur, quod Christus humanam naturam assumpsit, scilicet Corpus & Animam, ut totum redimeret. Panis enim fertur ad Carnem, & Vinum ad Animam, quia Vinum Sanguinem operatur, in quo sedes est Animæ. Vnde legitur in Leuit. Anima Carnis in Sanguine. c. Comperimus, de cõsecr dist. 2. Leuit. 17.

Bibere in Sacramento quotupliciter conueniat. Cap. CIII.

POst quam igitur Cœnatum est, accepit Iesus Calicem, quem benedictum ab eo tradidit Discipulis suis, dicens: Accipite, & bibite. Vbi aduertendum, quod bibere in Sacramento conuenit secundum Cardinalem à Turre crem. dupliciter, uidelicet aut re, & signo expresso: aut re tm̃. Re tantũ bibitur Sanguis etiam sub specie Panis, cũ ueraciter sub illa specie Sanguis Christi contineatur; quia tunc est potus Animæ, & non species ipsa. Bibere uerò re, & specie signo expresso, & appropriato ad speciem, seu significationem eius, quod sumitur; sicut cum de Calice sumitur, & bibitur sub specie Vini. Et de hoc uerbo bibere, quid mysticè designet, multa habebis in Hymno qui incipit. Splendor Paternæ gloriæ, quem iam elucidaui. Cardinal. à Turre cre. Li. 2. Hym.

Forma, quæ fit supra Calicem quomodo exponatur. Cap. CIIII.

PRædictus Cardinalis loquens de Forma, quam ad Sanguinem Christi consecrandum adhibemus, sic ait. Ad tertium dicendum est, quod cum dicitur; Hic est Calix Sanguinis mei; est locutio figuratiua; & potest dupliciter intelligi, uno modo secundum Methonymiam, qua ponitur continens pro contento, ut sit sensus. Hic Sanguis meus contentus in calice, de quo hic fit mentio; quia Sanguis Christi in hoc Sacramento consecratur. Inquantum est potus fidelium, quod non importatur in ratione Sanguinis: Et ideo oportuit hic designari per uas huic usui accomodatum. Alio modo, secundum Metaphoram, secundum quod per Calicem intelligitur similitudinariè Passio Christi, quæ ad similitudinem Calicis inebriat, & sua amaritudine hominem Card in c. panis de consecr distin. 2.

Digitized by Google

minem extrà se ponit, & capiendo hoc modo hic nomen Calix, sensus est: Hic est Calix Passionis meę, de qua hic fit mētio seorsum à Corpore consecrato: quia separatio Sanguinis à corpore fuit per Passionem.

Alia prędictæ Formæ expositio quęnam sit, secundum Gabrielem. Cap CV.

Gabr. Biel. GAbriel uerò declarans partem huius iam dictæ Formæ, sic procedit. Accipitur autem Calix tripliciter: Vno modo pro uasculo potum continente. Secundo, pro Passionis amaritudine; quia olim damnatis ultimo supplicio dabatur potus in Calice; hoc modo dixit Dominus Matth. 20 Filijs Zebedæi. Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? idest, sustinere mortem quam ego passurus sum: Tertiò modo accipitur pro potu, in uase, seu Calice cōtento: Et sic accipitur hoc in loco, huius secundæ Formæ; cum Dominus dixit. HIC EST CALIX, &c.

Verba, Noui, & Aeterni Testamenti, ut sumi possint. Cap. CVI.

SEquitur modò altera Formæ Consecrationis Sanguinis, clausula uidelicet. Noui & æterni Testamenti; Dicit Nouum: quia ritu & effectu Nouum est. Dicit æternum, quia non recipit alterius Testamenti succedentis superordinationem. Non enim secundum ritum Veteris Genes. 14. Testamenti, in holocaustis Taurorum, Arietum, & Agnorum pinguiū sed secundum ordinem Melchisedech, qui Panem, & Vinum obtulit; Gabriel. institutum est. Hæc Biel. Vel dicit Nouum, & æternum; quia secūdum Odo Episcopus. expositionem Domini Odonis, Nouum Euangelij Testamentum in æternum confirmauit Sanguine mortis suæ: Vnde Apostolus: Vna obla Hebr. 10. tione consumauit in æternum sanctificatos. Sic Abraham, oblatis oui-Gen. 21. bus, & bobus cum Amalech, & Phicol principe militiæ percussit fæ-Genes. 31. dus, ut sanguine animalium, & morte fædus confirmaretur: Et Iacob fugiens in Galaad, facto iuramento cum auunculo suo Laban, immolauit uictimas, ut sanguine uictimarum fędus iuramenti cōfirmaretur.

Mysterium Fidei uti intelligatur. Cap. CVII.

CVm autem dicit: Mysterium Fidei: demōstrat, quod pertinet ad Fidem Catholicam credere post benedictionem esse uerum Sangui Odo Eps nem, ut infidelis sit, qui hoc non crediderit. Hæc Dominus Odo Epus Gabriel. Cameracen. At secūdū Gabrielē: mysteriū fidei dicit; quia secretū, qualiter morte uitā ęternā; sanctitatē uero effusione sanguinis perficeret.

Qui pro vobis: Verba hæc quomodo accipienda sint. Cap. CVIII.

Ibidem. SEquentia autē huius pręsentis Formæ Sanguinis uerba sic declarat ibidem Gabriel. Qui pro uobis, scilicet Discipulis meis, Episcopis, & sacerdotibus, qui & ipsi indigetis tāquā circūdati infirmitate.

Cur

Digitized by Google

Cur Deus subdidit, & pro multis, & non pro omnibus. Cap. CIX.

HVic autem quæstioni cur Christus subiunxit, & pro multis, & non pro omnibus, effundetur in remissionem peccatorum; satis faciunt ad plenum Nicolaus de Ploue, & Gabriel dicentes. Notanter dicit pro multis; & non pro omnibus: quia licèt pro omnibus effusus est quantum ad sufficientiam, non tamen omnes se dignos reddunt huiusmodi effusioni Sanguinis Christi propter peccata. Nicolaus.

Verba: Effundantur in Remissionem: uti intelligantur. Cap. CX.

VLtima Verba Consecrationis Sanguinis, scilicet, effundetur in remissioné peccatorũ sic possunt intelligi. Effundetur, scilicet, Sanguis in remissioné peccatorũ, tãquã nostræ redéptionis pretiũ; Dilexit enim nos, & lauit à peccatis nostris in sanguine suo. Et Paulus ait. Oĩs Pontifex ex oĩbus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat Dona, & Sacrificia pro peccatis, qui cõdolere possit, his q̃ ignorãt, & errãt. Hebr. 5.

Verba hac: Quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis, quid nobis innuant. Cap. CXI.

EX uerbis autem subsequentibus, scilicet: Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriã facietis; possumus conijcere Passionis triplicẽ memoriam. Primum enim memoriale Dñicæ Passionis habemus quãtum ad usum in Imaginibus, & picturis: Et propterea Crucifixi imago depingitur in libris, uel in Ecclesijs; Secundum, quantum ad auditũ, scilicet, Passio Christi prædicata. Tertium, quantum ad gustũ, scilicet: Sacramentum Altaris; in quo Christi Passio patenter exprimitur; & per hoc etiam præmisit: Et memoriam uenerantes. Hæc Durandus. Dur.

Christi Corpus cur non Consecretur in die Parasceue. Cap. CXII.

CVr autem Christi Corpus in die Parasceue minimè Consecretur, rationes sunt quidem multæ: quas Durandus in sexta parte c. 77. recensetssed quoniam hãc quæstionem supra Tract. Tertio, quæstio. 40. iam absoluimus: propterea unam hic tantum, uel duas rationes pro solutione adducemus: Est ergo ratio Prima, quia scilicet, recessit, & sublatus est uerus Sacerdos, idest, Christus, qui est Sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedech, & sponsus Ecclesiæ. Descendit enim ad inferos. Secunda est: quoniam hac die uelum templi scissum, & cornua altaris transuersata sunt, & ita non habemus ubi Corpus Christi conficiatur. Dur.

Digitized by Google

Hostia delatio ad Sepulchrum per duos Sacerdotes, quid nobis innuat. Cap. CXIII.

ADuertendum est, quod in Parasceue, hoc est, in die Veneris Sancti, duo Presbyteri Hostiam, siue Corpus Consecratum ad Altare, uel ad sepulchrum iam præparatum deferunt, quia repræsentant Ioseph, & Nicodemum, qui tulerunt Corpus Christi ad sepeliendũ; hoc autem refert Archidiac. in c. Visum, de consecrat. dist. 2.

Archid.

Cur Sacerdos post Hostiæ repositionem incipiat: Oremus præceptis, &c. non eleuatis manibus. Cap. CXIIII.

AD hæc postquam delatum est Corpus Christi in Sepulchrum, tũc Sacerdos incipit: Oremus præceptis salutaribus, &c. non quidẽ leuatis manibus sicut in aliis diebus consueuit: sed illis omnino depositis: quoniam secundum præfatum Archidiaconum, tribus diebus sepultus Christus occultatur.

Ibidem.

Hoc Sacramentum Eucharistiæ cur magis frequentetur à fidelibus in Paschate, Pentecoste, & Natiuitate Domini. Cap. CXV.

CArdinalis à Turre cremata hanc facit quæstionẽ, uidelicet; Quare magis istis tribus solẽnitatibus anni, scilicet, Paschatis, Pentecostes, & Natiuitatis Domini, institutum fuit in præallegato Cap. Fideles debere magis communicare, quam alijs. Respõ. quod hoc institutum est, iuxta Legem Domini; quæ dicit, Quod omne masculinum tribus uicibus per annum in conspectu Domini appareat, scilicet: in Pascha, in Pentecoste, & Scenophegia, quod interpretatur fictio Tabernaculorum. Aliqua modo subodoremus dubia contingentia aliquãdo propter negligentiam ministrantium.

De cõsecr. dist. 2.

Exod. 23.

Trãsitio.

Sacerdos si non recolat se dixisse aliqua eorum, quæ dixisse debuit, quid iuris. Cap. CXVI.

AD Quintum, inquit prædictus Cardinalis dicendum est, quod licèt Sacerdos non recolat se dixisse aliqua eorum, quæ dicere debuit: non tamen debet ex hoc mente perturbari: Non enim qui multa dicit, recolit omnium, quæ dixit. Omnium enim habere memoriam, inquit Iustinianus, & penitus in nullo peccare, Diuinitatis magis, quàm mortalitatis esse: Nisi fortè in dicendo aliquid comprehenderit sub ratione ita differenti. Sic enim efficitur memoriale.

Cardin. in c. si quis dist. 2.

Sacer-

Sacerdos omittens aliquid non de necessitate Sacramenti, quid iuris. *Cap. CXVII.*

SI tamen Sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse, quæ si quidem non sunt de necessitate Sacramenti, non æstimo ait prædictus Cardinalis, quod propter hoc debeat reassumere, mutando ordinem sacrificij: sed debet Vlterius procedere. *Ibidem*

Omittens aliquid de necessitate Sacramenti, quid iuris. *Cap. CXVIII.*

SI uerò certificetur Sacerdos, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacraméti, scilicet, Formam Consecrationis; cum Forma Consecrationis sit de necessitate Sacramenti, sicut & Materia, idẽ uidetur faciendum, quod dictum est de defectu Materiæ, scilicet, ut reassumatur à Forma Consecrationis, & cętera per ordinem reiterentur.

Quid si Sacerdos recordetur post Consecrationem inceptam se aliquid comedisse, uel bibisse. *Cap. CXIX.*

SEd si Sacerdos recordatur post Cõsecrationem incęptam se aliquid comedisse, uel bibisse: nihilo minus debet perficere Sacrificium, & sumere Sacramentum, ut monet prædictus Cardinalis. *Cardin. à Turre cre.*

Quid si recordetur post Consecrationem inceptam peccatum aliquod se commisisse. *Cap. CXX.*

SImiliter si recordetur Sacerdos se peccatum aliquod commisisse, debet pęnitere cũ proposito confitendi, & satisfaciendi: & sic non indignè: sed fructuose sumet Sacramentũ; etiamsi iã incæperit, ut dictum est, Consecrationem, quando hoc recordatus fuerit.

Quid si Sacerdos recolat se Excommunicatum esse post inceptam Consecrationem. *Cap. CXXI.*

EAdem est ratio si meminerit Sacerdos se Excommunicationi subiacere: Debet enim tunc habere propositum absolutionẽ petendi: & sic per inuisibilem, ait prædictus Cardinalis Pontificem Christum Iesum absolutionem consequetur quantum ad hunc actum, quod peragat diuina mysteria. *Ibidem.*

Quid si Sacerdos ante Consecrationem alicuius prædictorum sit memor. *Cap. CXXII.*

SI verò Sacerdos ante Consecrationem alicuius prædictorum sit memor: tutius reputarem, inquit iam prædictus Cardinalis, maximè *Ibid.*

Digitized by Google

in casu manducationis, & Excommunicationis, quod Missam inceptā desereret, nisi grande scandalum timeretur.

Si lecto Canone, Vinum, uel Aqua non reperiatur in Calice, quid agendum. Cap. CXXIII.

SI autem per negligentiam euenerit, quod perlecto Canone, nec Vinum, nec Aqua reperiatur in Calice; statim infundi debet utrūq; & Sacerdos iterabit Canonem, siue Consecrationem ab *illo loco* simili modo; & perficiet usque ad finem: ita tamen, ut nec dimittat duas cruces, quæ fieri singulariter super Hostiam consueuerunt. Vel melius potest dici, quod aliam Hostiam sumat, & Canonem à principio incipiat.

Vtrum de simplici Vino fiat Consecratio. Cap. CXXIIII.

QVod si de simplici Vino, uel Aqua fiat Consecratio, Vinum reputabitur pro Consecrato: sed Aqua non.

Quid agendum sit si quid de Sanguine ceciderit super Corporale, uel Pallam Altaris, uel super Albam, uel super Casulam. Cap. CXXV.

SEd si quid de Sanguine ceciderit super Corporale, uel Pallam Altaris, uel super Albam, uel etiam Casulam; pars illa rescindatur, & in loco reliquiarum reseruetur. Prius tamen extrahatur Sacramentum, & sumatur: ut statuitur in cap. si per negligentiam, de consecrat. dist. 2.

cap. si per neglig. de consecr. dist. 2.

Quid agendum sit de casu Sanguinis in terram. Cap. CXXVI.

SI uerò Sanguis super terram, lapidem, uel lignum ceciderit lingendus est, radendus, & extergendus locus ille; & puluis in Sacro loco reponendus.

Quid si Musca, uel Aranea, quidue aliud ceciderit in Calicem. Cap. CXXVII.

POrrò si in ipsum Sanguinem Musca, uel Aranea ceciderit, uel aliquid aliud tale, quod uix sine uomitu, aut mortis periculo sumi potest, perfundatur, & lauetur quam cautius potest in Calice; & ablutionem sumat Sacerdos, sed Musca, siue Aranea iam sic abluta, atque extersa super piscinam crемetur.

Quid

Digitized by Google

Quid agendum in casu Corporis uel de Corpore. Cap. CXXVIII.

QVod si Corpus, uel de Corpore Christi super Pallam ceciderit, uel super aliud Vestimentum, non incidatur, sed Vino abluatur, & à Ministro sumatur.

Quid si infirmus Sacramentum euomat. Cap. CXXIX.

AT si infirmus Corpus Domini reijciat, suscipiatur, prout diligentius potest, & sumatur à Sacerdote, uel ab aliquo puero discreto, & mundo, si tamen ęger ille non potest resumere.

Vinum si congelatum sit in Calice quid agere debeat Sacerdos. Cap. CXXX.

ILlud autem notandum est, quod si Vinum in Calice congelatū est; debet tamdiu exhalare Sacerdos, donec glacies soluatur. Quod si tunc sic solui nequierit, tunc ignem adhibeat.

Eucharistia an danda sit Ebrioso, Insano, Hæretico, & similibus. Cap. CXXXI.

CArthaginen Concilium statuit: Eucharistiam nullatenus dandam esse Ebrioso, Insano, Hæretico, Epileptico, & huiusmodi, nisi infirmitate recedente. 26.q.1.

An Leproso, Muto & Aegroto danda sit Eucharistia. Cap. CXXXII.

ILlud idem Concilium præallegatum constituit Leproso tamen posse dari Eucharistiam, item & Muto, & ægroto mentis compoti, cū absolutionem à peccatis iam assecuti sint.

Quid agendum sit si Sanguis exeat à naso Sacerdotis. Cap. CXXXIII.

CArdinalis à Turre crem. dicit, quod si à naso Sacerdotis celebrātis Sanguis exierit, uel Nausea superuenerit, recipiatur in aliquo Vasculo, ne Sancta contaminentur, & ter terso naso nasitergio, uel ore abluto, reincipiat sub silentio unde dimisit.

Quid si infirmitas superuenerit Sacerdoti celebranti. Cap. CXXXIIII.

SI uerò infirmitas superuenerit, innitatur Sacerdos crepidini, siue oræ Altaris; uel sedeat donec conualescat, & sic incipiat ubi dimisit. Sed si nullo modo pōt consumare ministerium, alius Sacerdos inci-

Digitized by Google

piat, ubi ille dimisit, non enim alius Sacerdos à principio repetet, ne diuidatur mysterium Vnitatis.

Vbinam caueatur, quod Sacerdos alius suppleat pro alio ægrotante. Cap. CXXXV.

IN Concilio Toletano ita legitur: Censuimus conuenire, ut cum à Sacerdotibus Missarum tempore Sacra Mysteria Consecrantur, si ægritudinis accidit cuiuslibet interuentus, quo cęptum nequeat Consecrationis explere Mysterium, sit liberum Episcopo, uel Presbytero alteri Consecrationem exequi cępti Officij, ut pręcedentibus, supple, qui defuerint, libenter alij pro complemento succedant.

An hæc sint uera ante Consecrationem, uel post, quæritur. Cap. CXXXVI.

QVærit hic Ioannes à Turre cremata, an quæ diximus uerificentur ante Consecrationem, uel post Consecrationē. Ad quod ait. Sacerdos si moriatur, aut infirmitate graui occupetur ante Consecrationē Corporis, & Sanguinis, nō oportet, ut suppleatur paliū. Si uerò post incęptam Consecrationē hoc acciderit: puta Cōsecrato iā Corpore Christi, uel etiam Consecrato utroque, debet Missæ celebritas expleri per alium.

c. Si quis. De Consecra. dist. 2.

Quid si à uento rapta fuerit Hostia. Cap. CXXXVII.

SI Sacerdos ante Consecrationem aduertit non esse Hostiam, ut quia à Vento est rapta, uel quia non est triticea, uel quia est marcida; tūc ea reiecta, aliam accipiat, & sequatur ubi dimiserat.

Quid si aliam Hostiam habere non poterit. Cap. CXXXVIII.

QVod si aliam bonam Hostiam habere non poterit, totum deserat: quia non potest sic perficere Sacramentum: nam Sacramenti perfectio est necessaria.

Hostia Consecrata, si cadat in Calicem, quid agendum. Cap. CXL.

SI Hostia consecrata caderet in Calicē aliquo casu, ob quod Sacerdos non posset debito ordine perficere, & procedere, nō propter hoc debet iterare cū alia Hostia, sed prosequi cū illa met: quia hoc non est de necessitate Sacramenti, sed in significatione.

Particula Hostiæ si remaneat in Calice sumpto Sanguine, quid agendum. Cap. CXL.

SI sumpto Sanguine, remaneat particula Hostiæ in fundo Calicis, apponatur digitus, & trahatur ad labiū Calicis, & sic sumatur, uel apponatur

Digitized by Google

ponatur Vinum,& simul cum eo sumatur. Primum tamen est melius. Si adhæreat palato, resumatur Vinum,& cum eo deglutiatur; uel cum digito remoueatur, primum tamen est honestius.

Sacerdos si aduertit, quod Aquam, vel Lixiuium pro Vino in Calice posuit, quid agendum. Cap. CXLI.

SI Sacerdos post Consecrationem Hostiæ adhuc & Sanguinis, aduertit, quod in Calice positum fuit Lixiuium, uel Aqua tantum, uel huiusmodi: non tamen adhuc sumpsit; effusoq; Lixiuio, uel eo liquore: Vinum verè, & Aquam ponat, & consecret. Si autẽ aduertit post sumptionem, debet accipere aliam Hostiam & Vinum, & Consecrare omnia, & sumere non obstante quod Lixiuium, uel Aquam iam ipse sumpserit. Et hoc fit ut seruetur Ordo debitus perfectionis Sacramenti. Hæc dicuntur de mente Sancti Thomæ. Iam nunc ad Octauam Canonis partem tendamus; uideamusquẽ quid in ea fiat.

Pars Canonis octaua tria commemorat, & cur. Cap. CXLII.

QVoniam autem supra Dominus noster Iesus præceperat in cap. Simili modo, ibi: Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis; hoc tantum Sacramentum in sui memoriã fieri; idcirco in hac parte tria sibi commemoranda proponit Sancta Dei Ecclesia: nẽpe tam beatam Passionem, nec non ab inferis Resurrectionem; sed & in Cœlos gloriosam Adscensionem, & hoc ut præceptis Domini ipsa obtemperet. Octaua pars Canonis.

Tria prædicta, quidnam operentur in nobis. Cap. CXLIII.

ET aduertendum est, quod primum eorum, quæ iam diximus, scilicet, Christi Passio excitat in nobis Charitatem. Secundum, idest, Resurrectio corroborat fidem. Tertiũ, idest Adscensio lætificat spem. Ideo hæc inquam tria immota ante oculos eius Ecclesia sibi esse proponit, & die, ac nocte meditari in eis studet. Quid enim in nobis magis Charitatem accendit, quam quod proprio Filio suo no pepercit Deus? Quid magis in nobis Fidem confirmat, quàm quod Christus surrexit à mortuis? Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes uiuificantur. Quid magis in nobis amplificat Spem, quàm quod Christus adscendens in altum captiuam duxit captiuitatem? ut ubi ipse est, illic sit, & Minister eius.

Cur in octaua parte Canonis extendat Sacerdos brachia. Cap. CXLIIII.

SAcerdos igitur hoc ipsum quod dictum est repræsentare uolens; manus extendit, ut habitu corporis manuum Christi extensionem in Cruce repræsentet.

Digitized by Google

Qua de causa in octaua Canonis parte teneat Sacerdos Digitos uidelicet, Pollicem, & Indicem constrictos.
Cap. CXLV.

ITem in hoc Canonis octaui ordine stringuntur Digiti, scilicet, Pollices, & Indices, nec disiunguntur, nisi quãdo oportet Hostiam tangi, vel signa fieri: quod fit Primò, ob reuerentiam Sacramẽti, ne uidelicet aliquid tãgant post tactum Corporis Christi. Secundò, ad ostendendum quod fideles illud fide, & deuotione tãgentes, debẽt esse Charitate coniuncti. Tertiò, ista Digitorum coniunctio indicat, quod Corporis & Sanguinis Domini nostri Sacramento, mens & Corpus Sacerdotis inseparabiliter esse debent affixa. Vel adstringuntur, ne puluis, seu particula Hostiæ illis fortè adhærens cadat.

Quinque Cruces super Hostia quid significent. Cap. CXLVI.

SAnctus Thomas in prçallegato opusculo 66. sic de istis quinq; Crucibus, quæ insigniuntur super Hostiam in octaua Canonis parte, fatur. In quarto quinque Cruces fiunt; non quod eum, qui præsens est, Sanctum Sanctorum sanctificemus, sed ut per eius pœnitentiã offeramus, & sumamus Hostiam salutarem, & eidem conformati Sanctorum consortijs mereamur adsociari. Dominus enim Iesus Christus in Passione sua fuit Hostia pura: in Resurrectione fuit Hostia Sancta: In Adscensione fuit Hostia immaculata. Panis Vitæ æternæ, esurientibus. Ei ergo assimilari, & conformari debemus, qui ad ipsum offerendum, & sumendum accedimus.

Cruces quinque prædicta quid innuant, secundum Gabrielem. Cap. CXLVII.

SEd Gabriel sic de istis quinque Crucibus dicit. Et sicut inquit suprà dictum est, quod cruces ante Consecrationem factæ, significant ea, quæ præcesserunt Crucifixionem Christi, illæ uero quæ sequuntur Consecrationem significant ea, quæ Christus in Cruce, & post Crucẽ Passus est & egit. Vnde in his quinque Crucibus significantur quinque uulnera Manuum, Pedum, & Lateris in cruce acceptorũ, quæ sunt foramina petræ uiuentis, in quibus residet immaculata columba Sãcta Ecclesia, Christi Sponsa, in eis nidificans fructuosè.

Secundum Nicolaum, quid prædicta cruces insinuent. Cap. CXLVIII.

AD hæc Nicolaus sic differit de istis Crucibus uidelicet. Fiunt aũt hic quinque Cruces ad signandũ quod Christus in quinque sensibus patiebatur. Vel etiam plagas, & uulnera. Vel significant quinque effusiones Sanguinis Christi, scilicet, in Circuncisione. In Sudore. In flagellatione; In Crucifixione, & in Lateris aperitione. Hæc idẽ

Li. 4. c. 43. refert Durandus.

Hostia

Digitized by Google

Hostia quomodo sit hoc in loco accipienda. Cap. CXLIX.

HOc in loco attendendum, quod Cardin. à Turre crem. scriptum nobis reliquit, uidelicet, quod Hostia in duplici significatione accipitur; Aliquando enim dicitur Hostia ipse Panis, qui offertur in Altari; tanquam Materia Consecrationis. Vnde in Oblatione Panis dicitur: Suscipe Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus, &c. Quandoq; Hostia dicitur Verũ Corpus Christi, ut in hoc loco, quod oblatum est in ara Crucis, & in hoc Sacrificio offertur: De qua Hostia dicitur in Canone Missæ, Nos tui serui; Sed & plebs tua Sancta offerimus præclaræ Maiestati tuæ Hostiam Puram, Hostiam Sanctam, Hostiam Immaculatam.

Christus quomodo sit Hostia Pura. Cap. CL.

REuerendiss. Odo Episcopus de hac Pura Hostia disputans, ait: Hæc autem Hostia Pura est, quia quãuis Caro uera sit & Sanguis, tamẽ Spiritualis & incorrupta est. Est item Christus Hostia Pura, quia antea Veteris Legis Hostiæ de irrationalibus animalibus carnales erãt, squaloribus, spurcitijs carnalibus, nidoribusq; plenę, & dentium contritione in fęces, & stercora redactę. Hæc autem Hostia Caro est, & nõ carnalis, Corpus, & non corporalis: sed spirituale lumen: & ideo Pura, Pura mundans, Pura Purificans: Pura, quia diuina, purior luce corporea. *Odo Episcopus.*

Quomodo Hostia Sancta. Cap. CLI.

IDem sic: Hostiæ Veteres erant quidem Sanctæ, sed non purè Sanctę; sed quia typũ gerebant huius Hostiæ Sacratę: illæ impetrabant ueniam debiti in solutione, hęc reddit debitũ plena recompensatione.

Quomodo Hostia Immaculata. Cap. CLII.

HOstia Immaculata, idest sine omni macula culpæ, utpote concepta, & nata sine peccato, & deinde sine culpa uixit in mũdo: ideo Immaculata. nata quidem est de humana carne, sed sine propagationis humanæ conditione. Et ideo Immaculata: est sine uiro de Sancta Virgine concepta. Ideo Immaculata est: Concepta sine humano opere, sola uirtute diuina, ideo Immaculata.

Christus quomodo sit Panis vita æterna. Cap. CLIII.

CVm Panem audis, inquit prędictus Odo, ne putes esse qui fuerat ante benedictionem, ne decipiaris mutata Substantia. Prius erat Panis, modò non est Panis; sed sola Caro. Sed Panem dixit, quasi diceret cibum, sicut scriptum est: Ego sum Panis uiuus, &c. Est ergo hic Panis uitæ æternæ, non ijs quidem qui tantum ore sumunt, sed ijs etiam qui etiam mente, non qui premunt dente, sed qui tangunt fide. De hoc Pane uide quæ dixi super Hymno, *Odo Episcopus.* *Ioan. 6.* *Autor ibi.*

qui

qui incipit, Sacris solennijs &c. Et quod diximus de Pane, idem potest dici de Calice; & quod dictum est Vitæ æternæ, & Salutis perpetuæ, secundum præfatum Episcopum.

Christus quomodo sit Panis Vitæ æternæ, & Calix salutis perpetuæ, secundum Durand. Cap. CLIIII.

SEd Gulielmus Durandus de hoc Pane Vitæ æternæ, & de Calice salutis perpetuæ disceptans ait: Christus dicitur Panis Vitæ æternæ, quia est refectio Angelorum, & Calix Salutis perpetuæ: quia refectio est hominum. Panis Vitæ æternæ, quia est nostrum Viaticum, quasi via, & Calix Salutis perpetuæ, quia est refectio Angelorum inebrians in patria. Capiamus modo nonam Canonis partem, quæ incipit, Supra quæ propitio &c.

In ista Canonis Nona parte, quid petat Sancta Dei Ecclesia. Cap. CLIV.

Gabriel. BIel dicit, quòd in hoc Sacro Canone petitur oblatorum acceptatio: & hoc Primò, in genere; Secundò, modus acceptationis petitur in specie, ibi, Sicut accepta habere dignatus es.

Opinio Durandi circa propositam quæstionem quæsit. Cap. CLVI.

Durand. SEd Durandus ita continuat; Cum autem orauerit Sacerdos pro Hostia transubstantianda, eamque transubstautiatam Patri obtulerit, nunc orat pro ipsius acceptatione; ut eam ad instar antiquorum Sacrificiorum acceptet.

An vultus Domini moueatur. Cap. CLVII.

VBi autem dicitur propitio, ac sereno uultu respicere digneris: intellige sereno uultu, id est, respectu placabili digneris respicere: non quod uultus eius mutetur; sed tunc Deus uultum suum super nos illuminat, & serenat; cùm misericordiam super nos exhibet; Psal 66. & declara secundum illum Psal. Illuminet uultum suum super nos, & misereatur nostri.

Cur nominentur in hoc Canone tres Patres Veteris Testamenti. Cap. CLIII.

Genes. 4. NOminantur autem tres Patres Veteris Testaměti, uidelicet, Abel, Abrahã, & Melchisedech, quia illi suis Sacrificiis specialius hoc Sacramentum designauerant. Quid enim per Abel offerentem de primogenitis gregis, nisi Christus primogenitus in multis fratribus exprimitur? qui malitiosè occisus est à populo Iudæorum, sicut ille inuidiosè

Digitized by Google

diosè à Cain fratre suo? nam secundum Apostolum, ipse est Agnus Dei, qui occisus est ab origine mundi. Quid per Sacrificium Abrahæ, dilectum, & vnicum filium offerentis, nisi Christi Passio designatur? de quo dicit Apostolus: Proprio filio non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Oblatio quoque Melchisedech tam propriè nouum Sacrificium præfigurauit, vt inde prædictum sit de Christo: Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech; qui secundum Apostolum assimilatus per omnia Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. *Rom. 8.* *Genes. 22.* *Ibidem.*

Quamobrem Abraham, & Melchisedech Sacrificium obtulerint.
Cap. CLVIII.

ABraham ex præcepto Domini obtulit Sacrificium vt magis solidaretur in fide, qui se totum prius offerebat Altissimo. Melchisedech qui uixit temporibus Abrahæ obtulit Panem, & Vinum gratias agens Deo pro Victoria Abrahæ concessâ super quinque Regibus.

Sacrificium quid sit. *Cap. CLX.*

IOannes à Turrecremata dicit, quod Sacrificiũ dicitur quasi aliquid factum ad honorem propriè Deo debitum, ad eum Deo debitum, & subdit Dei verum sacrificium est, omne opus quod agitur, vt Sancta societate Deo inhæreamus, relatum scilicet ad eum finem, quo ueraciter beati esse possumus. *Cardin. à Turrecrem.*

Abel cur puer, Abraham cur Patriarcha, Melchisedech cur Summus vocetur Sacerdos. *Cap. CLXI.*

VOcat autem Sancta Dei Ecclesia Abel puerum, nõ à pueritia, quia fuit viginti annorum: sed à puritate, & pueritiæ innocentia. Sed Abraham dicitur Patriarcha, id est, Pater Fidei Catholicæ, quia primus in Deum credidit. Et primus Incarnationem præcognouit. Ioan. 13. Vidit, & gauisus est: & dicitur Abraham Patriarcha; non tantum Israeliticæ plebis, sed & populi Christiani, illius per Carnem, huius per Fidẽ. Melchisedech autem Summus Sacerdos dicitur, quia inter Sacerdotes illius temporis Summus ille habebatur: sicut ergo istorum, Deus, Patrum Sacrificia acceptasti, eis propitiando; ita suscipe Domine hanc Hostiam, nostri miserando. Amen. *Ioan. 19.*

Quænam, & quot fiant in decima parte Canonis. *Cap. CLXII.*

DEcimam autem Canonis partem concelebrans Sacerdos, scilicet, quæ incipit, Supplices te rogamus omnipotens Deus: tria in ea celebranda facit, uidelicet, Primò humiliter se inclinat orans Patrem omnipotentem, ut hoc Sacrificium præsentetur in conspectu suæ Diuinæ Maie- *Decima pars Canonis.*

Digitized by Google

Maiestatis per manus Angelorum; ut omnes huius Communionis Sanctæ participes sint; repletique etiam omni benedictione, & Gratia Diuina, præsertim circunstantes, & Christi fideles, ut ibi innuitur, & quotquot ex hac Altaris participatione &c. Secundò, osculatur Altare. Tertiò, manus cancellat, de quibus per ordinem fauente Deo dicemus.

Sacerdos cur se inclinet dicturus, Supplices te rogamus, &c. Cap. CLXIII.

Gabriel. HVmiliter se inclinat Sacerdos, secundum Gabriel dicturus hanc Canonis decimam partem: ut per signum sensibile foris exhibitũ, significet interiorem humilitatem, qua supplicãs debet animo uestiri, ut sua oratio exaudiatur ab eo, qui humilium non spernit affectum.

Ista inclinatio Sacerdotis quid significet, secundum Durandum. Cap. CLXIIII.

Li.4.c.44. Ioan. 18. Matt. 26. VErum Durandus aliam huic quæstioni dat responsionem, seu significationẽ, & dicit: Scire debes, quod Hymno dicto post Cœnam exiuit Iesus in Montem Oliueti trans torrentem Cedron, & progressus pusillum cecidit in faciem suam, orans, & dicens, Pater si fieri potest, transfer Calicem hunc à me: sed & Secundò, & Tertiò abijt, & orauit eundem sermonem, dicens; Quia ergo Iesus procidit, orans, & dicens: Pater si fieri potest, &c. Ideo Sacerdos se inclinans orat, & dicit: Supplices te rogamus, &c. Vel Sacerdotis inclinatio significat emissionem spiritus Christi.

Quid sit perferri Hostiam in sublime Altare Dei. Cap. CLXV.

Odo Episcopus. SEd quid est hoc? inquit Odo. Quid est perferri Hostiam in sublime Altare? Altare tuum, inquam, Domine? nisi ouem humeris pastoris impositam. Et quid est ouis humeris imposita, nisi homo assumptus à uerbo. Verbum ergo Dei sublime Altare est, ad quod oramus Hostiam perferri in conspectu Dei, & per eam nos introduci: conspectus Dei est uerbum patris, in quo conspicit omne quod fecit. Vnde *Psal. 32.* uerbo Domini cœli firmati sunt. Vel dic secundum Cardinalem à *in c. verũ, de consecr. dist. 2.* Turre cremata. Iube hæc præferri, id est, Corpus Christi mysticum (sæpe enim signans pro signato ponitur) scilicet Ecclesiam Militantem peruenire ad Ecclesiam Triumphantem, siue illi uniri, quod idem *Lactant.* est cum superioribus. Vel secundum Lactantium: Iube hæc, scilicet uota fidelium, seu orationes: ut non solum Sacramentum (per illud pronomen hæc) seu sacrificium intelligamus; sed & Ecclesiam Militantem, necnon & eius orationes.

Quomodo

Digitized by Google

Quomodo rogemus Christum perferri, vbi semper est.
Cap. CLXVI.

SEd quomodo roget hic aliquis, perferri oramus Christum, vbi semper est, sicut superius vultum patris propitium, ac serenum fieri super Hostiam Filij rogabamus: non quod Filio suo pater possit esse seuerus, sed vt sub occasione filij Patris propitiationi nos ingeramus, vt pro amore Filij misereatur nostri, & quia Filium paruipendat, si pro eo nos non recipiat: ita & hic rogamus Patri perferri filium, qui semper est apud eum pro nobis, vt uotum, & deuotio nostra per Filiū ueniat ad Patrem; & virtute tanti Sacrificij uota nostra perferantur ante conspectum Dei; quia Filius ad Patrem non ascendat: si deuotio nostra illuc non perueniat.

Quis sit iste Angelus, qui fert Hostiam ante conspectum Dei.
Cap. CLXVII.

DVrandus quærens quis sit iste Angelus, per cuius manus rogamus Hostiam perferri in conspectum Diuinę Maiestatis, dicit, per manus Angelorum, idest, per operationem, & virtutem Christi Filij tui, qui est magni consilij Angelus. Consiliarius enim ille, cuius consilio pater mundum creauit, & recreauit: sublime Altare in conspectu Dei est Christus Crucifixus sedens in dextera patris. *Esai. 9.* *Apoc. 8.*

Angelus an adsit Sacerdoti celebranti. Cap. CLXVIII.

EX his quæ diximus apparet, quod Angelus Sacris Mysteriis adesse credendus est: non ut Consecret, sed ut orationes Sacerdotis & populi Deo pręsentet, secundum illud Apocal. Ascendit fumus aromatū in conspectu Domini de manu Angeli, quę sunt orationes Sanctorum. *Apoc. 8.*

Sacerdos cur osculetur Altare. Cap. CLXIX.

PRæterea Sacerdos dicens, ut quotquot ex hac Altaris, &c. osculatur semel Altare, per quod repræsentatur oculum proditoris, postquam Dominus ab oratione surrexit. De qua oratione dictum fuit paulò superius eodem Tractatu, quæst. 163. Vel deosculatur Sacerdos Altare in signum, quod per mortem Christi, & illud ipsum sacrificium reconciliati sumus cum Deo: nam osculum est signum charitatis, & amoris.

Ista Altaris deosculatio quid sibi velit secundum Gabrielem.
Cap. CLXX.

OSculatur autem Sacerdos, inquit Gabriel, Altare, in uerbo, Participatione, ut se fieri participem ostendat altaris Sacrificio cum *Gabriel.*

omnibus

Digitized by Google

omnibus alijs: uel ut significet recōciliationem humani generis cum Deo Patre in Altari crucis factam per Filij mortem.

Cruces tres facta super Oblationem à Sacerdote quid significent. Cap. CLXXI.

DEinde facit Sacerdos tres cruces: Primam in uerbo (Corpus,) super species Panis. Secūdam in uerbo (& sanguinem) super species vini in Calice. Tertiam in uerbo (omni benedictione.) ante faciē suā: per Primam commemoratur rigidissima Corporis tensio in cruce usq; ad omnium neruorum & ossium denumerationem. Vnde Propheta: Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Per Secundam crucem commemoratur effusio largissima Sanguinis, quia omni defluxo humore, Corpus Saluatoris sacratissimum corruit, sicut cremium in frixorio, & aruit tanquam testa uirtus eius. Per Tertiam innuitur Passionis fructus, qui est omnis benedictionis, & gratiæ deriuatio à Christo in redemptos per ipsum.

Psal. 21.

Sacerdos cur signet crucis signaculo faciem suam. Cap. CLXXII.

ET ideo prædicta signatio ante faciem Sacerdotis fit; ut significetur prædictus fructus, & benedictio in Sacerdote, & in his pro quibus offert permanere.

Cruces tres prædicta quid designent, secundum Durandum. Cap. CLXXIII.

Dur. ibid.

CIrcà prædictas tres Cruces hic in medium affert Durandus, scilicet, quia uerò īquit, in agonia Christus prolixius orabat tertiò, dicens eundem sermonē, ideo Sacerdos facit tres cruces, propter sudorem Corporis, crucē imprimens super Corpus, propter guttas sanguinis, crucē imprimens super sanguinē: & quia procidit in faciē suā: ideo imprimit sibi crucem in facie: Nunc accedamus ad Vndecimam Canonis partem, quæ incipit, Memento etiam Domine famuloru m.

Cur pro Defunctis in hac undecima Canonis parte oret Ecclesia. Cap. CLXXIIII.

Pars Canonis, Vndecima.
Luc. 22.

EST aduertendum, quod Pia Mater Ecclesia certissimè credens, quod Sanguis Domini nostri Iesu Christi: qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad uiuentium, pro quibus oratum à nobis fuit antè Consecrationem in primo Memento: sed etiam ad mortuorum in Christo quiescentium salutem proficiat. Ideo statuit in cap. Visum, de Consecr. dist. 1. ut in quolibet Missæ Officio, loco cōpetenti, uidelicet in hoc loco Secretæ, defunctorum memoria habeatur, ac pro decedentibus in gratia in locis Purgatoriis detentis preces

effun-

effundantur, eisq; fructus huius Sacrificij applicentur. Vnde meritò Sacerdos dicit. Memento etiam Domine.

Missa Mortuorum cur non in Dominica sed Die Lunæ potius celebretur. Cap. CLXXV.

QVoniam autem in Dominica die ob Resurrectionem Domini animæ mortuorum requiem creduntur habere: Sed in secunda feria statim redeunt ad pęnas, & laborem, propterea, ut eorum subueniatur laboribus, Missa sæpe in secunda feria celebratur pro eis. Vide de hac materia, quæ dixi in libello meo, in quo in Diuinum Officium trecentum quæstiones scripsi. tract. 10. q. 19. *Author alibi.*

Cur post Consecrationem Hostia, & non ante recitentur nomina Defunctorum. CLXXVI.

EST item nobis aduertendum, quod ideo post Consecrationẽ, & post oblationem Cõmunia, seu nomina Defunctorum recitantur à nobis in hac parte, atq; loco, quoniam præposterus uidetur ordo, ut ante eius nomen insinuemus cuius Hostiam necdum ipsi Deo obtulimus, quamuis illi incognitum nihil sit. Hæc Innoc. Papa. *De noibus de Cõsecr. dist. 1.*

Verba Canonis: Qui nos præcesserunt cum signo fidei, quomodo sint intelligenda. Cap. CLXXVII.

VErba autem huius Sacri Canonis, uidelicet illa; Qui nos præcesserunt, cũ signo Fidei; accipe tu, idest, qui ostẽderunt aliquod signũ fidei, puta habuerunt contritionem, uel deuotionem decedentes. Hæc Nicolaus de Ploue.

Prædicta uerba quomodo exponantur, secundum Durandum. Cap. CLXXVIII.

VErba illa Canonis, scilicet, Qui nos præcesserunt cum signo fidei, ita declarat Durandus: idest, qui cum signo Fidei præcesserunt ad Dñm: non quod ibi sit Fides, aut Spes, ubi Spes est, & res. nã Fides secũdum Theologos, & Spes secundum rem, euacuabũtur in Patria. Charitas uerò neque secundum rem, neq; secundum actũ eius euacuabitur: sed solum secundum modũ, quia imperfectio eius tollitur. Fidei enim succedit Spes, quam uidebimus: Spei uerò succedit Beatitudo, ad quã peruenturi sumus: Sed Charitati nihil succedet, sed potius augebitur. Charitas enim nunquam excidit, sed signum Fidei, hoc in loco pro charitate Fidei Christianitatis accipitur, quo fideles ab infidelibus discernuntur, secundum illud Apocalypsis: Audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni Tribu filiorum Israel. *Durand. c. charitas. De pœnit. dist. 2. In Cõpendio Theol. ueritatis. lib. 7. c. 26 Apoc. 4.*

Verba

Digitized by Google

Verba consequentia; Et dormiunt in somno pacis, vti intelligantur. Cap. CLXXIX.

SEquuntur uerba, & dormiunt in somno pacis, idest, secundū Nicolaum, sine peccato mortali. Vel dormiunt in somno pacis, iuxta illud, secundum Durandum, In pace in idipsum dormiam, & requiescam. *Psal. 4.* Frequenter enim Sacra Scriptura Defunctos dormientes appellat pro eo: quia sicut dormientes euigilant, ita mortui resurgent: propter quod dicit Apostolus: Nolo uos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent. *1. Timot. 4.* Et Dominus inquit in Euangelio: Lazarus amicus noster dormit. *Ioan. 11.*

Quinam sint quiescentes in Christo. Cap. CLXXX.

HOc autem loco uocantur quiescentes in Christo; qui in charitate mortui sunt, habentes tamē aliqua purgabilia, eo quod nō plenè satisfecerunt pro peccatis confessis: propter quod ad locum purgatorij descenderunt, ubi existentes suffragio indigent Ecclesiæ militantis: tāquam nondum habentes in re pacem, & refrigerium gloriæ, licet habeant in certa & infallibili Spe locum refrigerij, in quo non est ardor pœnarum, locumque pacis, in quo non est conflictus pugnarum. Nam absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam peiora transierunt, sed delectabuntur in multitudine pacis, cum placebunt coram Domino in regione uiuentium.

Locus refrigerij quid sit, & cur. Cap. CLXXXI.

PAradisus ergo dicitur Locus Refrigerij, & hoc per ardorem Ignis Purgatorij, per quem animæ transeunt, iuxta illud Psal. Trāsiuimus per ignem, & aquam. *Psal. 66.* Appellaturque locus contra tenebras inferni, de quibus Matth. Mittite eum in tenebras exteriores. *Matt. 23.* Vel dicitur locus lucis, quia Purgatorium est locus obscuritatis: locus pacis, quia Purgatorium est locus inquietudinis, quia nunquam animæ habent pacem, nec quietem. Vel dicitur locus pacis, propter mentis tranquillitatem, quæ est ibi contra uermem conscientiæ eorum, qui salui non erunt. Vnde Esa. Vermis eorum non morietur, nec ignis eorum extinguetur. *Esa. 66.* Procedit nunc Duodecima, & vltima pars Canonis Missę.

Quid petamus in hac Duodecima parte Canonis. Cap. CLXXXII.

Duodecima pars Canonis. IN hac autem ultima Canonis parte, quæ incipit, Nobis quoq; peccatoribus; extendens se usque ad orationem Dominicam tria à *Deo* petimus, uidelicet, Primò, petimus nobis uiuis gratiæ collationem. *Secun*dò, gloriæ societatem cum Sanctis. Tertiò, inuocamus mediatorem per quem hæc exequi postulamus. Secunda pars ibi: Cum tuis sanctis Apostolis. Tertia ibi: Per quem hæc omnia. Hæc Nicolaus. *Nicolaus.*

Sacerdos

Digitized by Google

Sacerdos cur percutiat pectus, dicens: Nobis quoque peccatoribus. Cap. CLXXXIII.

SAcerdos igitur proferens hæc uerba, scilicet: Nobis quoque peccatoribus, paululum expressa voce silentium interrumpens percutit pectus: per quam percussionem repræsentat Contritionem, & Confessionem Latronis in illo Passionis Dominicę articulo; increpantis alterum, & dicentis. Nos digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine, Memento mei, dum veneris in regnum tuum, propter quod dixit illi Iesus: Amen dico tibi, Hodie mecū eris in Paradiso. *Luc. 23.*

Exaltatio vocis Sacerdotis quid signet. Cap. CLXXXIIII.

ITem Sacerdos hæc dicens, scilicet; Nobis quoq; peccatorib. eleuat aliquantulum vocem suam, per quā exaltationē uocis, & tunsionē pectoris exprimitur illud, qđ Centurio, & qui cū illo erāt, visis ijs, quę fiebāt, timuerūt valde, dicētes: Verè Dei filius erat iste, & oīs turba, quæ simul aderāt ad spectaculū illud pcutiētes pectora sua reuertebant. *Matt. 27.*

Quæ sit Rupert. Abbatis circa prædicta opinio. Cap. CLXXXV.

MOris est plerisque Ecclesijs, inquit Ruper. cum ad id uentum est: Nobis quoque peccatoribus paululum expressa uoce silentium rumpere: namque in illo Dominicæ passionis articulo subuenire nobis debet in mentem latronis confessio, simulque Domini Respōsio, de Tribunali crucis illum paradiso adiudicantis. *Lib. 2 c. 14.*

Sed cur tantum vnicam tunsionem facit Sacerdos. Cap. CLXXXVI.

VNicam autem duntaxat tunsionem in pectore suo Sacerdos facit, quoniam illud insinuat, quod Apostolus ad Rom. dixit, uidelicet; Christus semel pro peccatis nostris mortuus est: & fit cum tribus digitis, ut Trinitas in unitate notetur. *Rom. 5.*

Quid innuamus dicentes: Nobis quoque peccatoribus. Cap. CLXXXVII.

IDeo autem dicimus in huius duodecimi Canonis principio: Nobis quoque peccatoribus: quia licèt omni tempore debeamus ex corde nos recognoscere peccatores: præcipue tamen cum pro remissione peccatorum hoc Sacrosanctum Mysterium celebramus: nam & Ioānes dixit: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus: & ueritas in nobis non est. *Ioann. 1. De pœnit. dist. 2. c. si enim.*

Ee Multa

Digitized by Google

Multa an sint miserationes Domini. Cap. CLXXXVIII.

ET nota quod vna est misericordia Dei, quæ nihil aliud quidem est, quam ipse Deus misericors: sed multi sunt eius effectus, qui miserationes dicuntur. Vnde illud Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt. *Psal. 24.*

Præmium gloriæ æternæ, an vnum idemq; sit omnium. Cap. CLXXXIX.

SEquitur tela Canonis, & partem aliquam, & societatem donare digneris: contra quæ uerba sic argumentari possumus, dicentes: Cũ Deus sit omnia in omnib. salus, & præmium, & gloria singulorũ, iuxta illud: Salus populi ego sum. Quid est ergo quod dicitur. Digneris donare aliquam societatem; nunquid non omnes sumus accepturi eundem denarium; sanè licet vnum & idem sit præmium singulorum ipse Deus, tamen secundum differentiam meritorum, alij minus diuina uisione fruuntur: nam & stella differt a stella in claritate: propter quod ipse Dominus ait. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. sicut vnus sol est, cuius lumine participant vniuersi alij plus, alij minus secundũ differentiam intuentium. *Ioan. 14.*

Cur in hoc Canonis ordine ponantur pauciores Sancti, quàm in primo ordine. Cap. CXC.

Opusc. 66. SAnctus Thomas hanc quæstionem facit in hac ultima Canonis parte, scilicet: Quare inquit, in hoc ordine, & primo ordine. Canonis duo Ordines Sanctorum noui Testamenti ponuntur: sed in prima plures & maioris autoritatis commemorantur? Quia inquit, Cum in isto officio, & mysterio mirabilia, & incomprehensibilia agantur, idest, Substantia Panis, & Vini in veram Carnem, & uerum Sanguinem Consecretur: maioribus, & plurib. auxilijs indigemus. In hoc uerò ordine, idest, post Consecrationem, & pauciores idest, quindecim, & minores Sancti ordinantur: vt per virtutem Sacramenti, quod tractamus, & offerimus, eorum adiuti precibus & meritis, quindecim charitatis gradib. adscendamus, & inuicti ad Sanctorum consortium transeamus. Multo ergo maius est, & mirabilius substantiam Panis & Vini in verum Corpus, & Sanguinem Christi conuerti, quam in Sanctorum commercium admitti.

Opinio Durandi circa paucitatem hanc Sanctorum prædictorum. Cap. CXCI.

Lib. 4. ET aduerte inquit Durandus, quod octo viri, & septem mulieres cõputantur in hoc Canonis ordine: quia per hoc Sacrificium septem Charismata gratiarum, idest septem dona Spiritus Sancti & octo beatitudines iungantur in nobis.

Christus

Digitized by Google

Christus quomodo possit esse non æstimator meriti. Cap. CXCII.

CVm verò subiungimus in fine Canonis, non æstimator meriti sed veniæ: videntur rogare Deum non fore iustum iudicem, & iustum retributorem: cum tamen quotidie dicimus: Tu reddes vnicuique iuxta opera sua. Sed dicendum est, quod Deus non est æstimator secundum ualorem, quem habent præcisè ex natura actus secundum se, & suum naturalem valorē, quia si sic, non præmiaret actus nostros temporales præmio æterno. Si quidem improportionabiliter excedit præmium æternum valorem actus temporalis. Est tamen iustus retributor meritorum, secundum suam acceptationem, ad præmiū liberaliter pro tali actu promissum.

Verba sequentia, scilicet: Per quem hæc omnia semper bona creas, quomodo intelligantur. Cap. CXCIII.

VErba verò subsequentia scilicet; Per quem hæc omnia, Domine semper bona creas. Ita declarant Doctores intelligenda esse, dicentes. Ideo dicit: Per quem hæc omnia semper bona creas, quia per Filium omnia creata sunt: omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. & vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Proinde dictum est semper bona. Creas igitur condendo naturam, *Ioan. 1.* sanctificas, consecrando materiam, viuificas transubstantiando creaturam, benedicis, accumulando naturam. Hæc omnia inquam; scilicet, *Genes. 1.* Panem, & Vinum, & Aquam semper bona creas: secundum causas primordiales; & sanctificas secundum causas Sacramentales; Viuificas vt transeant in Carnem, & Sanguinem; & benedicis, ut conseruent unitatem, & charitatem. Vel per hæc omnia semper bona creas &c. secundum Lactant. Ranfoldum, intellige mysticum Christi Corpus, *Lactant.* hoc est Sanctam Dei Ecclesiam Militantem ibi mysticè oblatam; quod & suprà diximus.

Quid dicat Sanctus Thomas super prædictis verbis. Cap. CXCIIII.

SAnctus Thomas super prædictis sanctis uerbis cōtemplans ait: Cur *Opusc. 66.* dicit Sacerdos, sanctificas, viuificas, benedicis? quia inquit humana natura ex statu pristinæ conditionis, nec habuit profectum virtutis, nec stabilitatem operis, nec consumationem beatitudinis. Et prima ratione creationis pollebat naturali ratione, gaudebat arbitrij libertate; per se autem stare non poterat, nec proficere sine gratia adiutrice, & sanctæ Crucis virtute. Vel sanctificas, scilicet, fide & remissione peccatorū. Viuificas, scilicet Sacramento fidei, & uirtute bonorum operum. Benedicis, scilicet, plenitudine gratiarum, & consumatione bonorum.

Digitized by Google

Tres Cruces, quæ fiunt, dum Sacerdos dicit: Sanctificas, Viuificas, Benedicis, & Præstas nobis, quid innuant secundum Ruper. Cap. CXCV.

TAndem cum tribus illis crucibus, inquit Rupert. quibus edicit Sacerdos: Per quem hęc omnia, Domine, semper bona creas: Sanctificas, Viuificas, Benedicis, Passio Domini consumatur, & illud nobis commemoratur, quod clamans voce magna emisit spiritum. *Matth. 27*

Calix cur cooperiatur. Cap. CXCVI.

COperitur autem calix Corporali, Primò, propter periculum, quia Sanguis facilius posset recipere immunditiam: Secundò, quia in Calice, & in Sanguine magis significatur Christus mortuus, quàm in Corpore. Ideo sicut mortuus Pannis & Lapidibus operitur, ita & Calix Panno, & Sanguis Calice, & Corporali cooperitur: Tertiò, quia Sanguis in Calice cooperto repræsentat Corpus Christi in Sepulchro clauso, & signato. Quartò, Sanguis Christi in Calice cooperto repræsentat Christi Corpus in syndone inuolutum. Hostia uerò non inuolutum.

Cur Sacerdos Corpus Christi integrum in manu teneat: cum signat cum eo ter à labio ad labium Calicis. Cap. CXCVII.

Opusc. 66. D. Thomas quærens causam, cur Sacerdos discooperto iam Calice, Corpus Christi integrum in manu teneat, dicens: postquam signauit ter cum Hostia à labio ad labium Calicis: per ipsum, & cum ipso, & in ipso, dicit: quod ideo fit: quia in sexta ætate ita integer, & perfectus homo apparuit, & seipsum perfectum, & integrum exhibuit, & pro nobis se obtulit Ideo in Sexto ordine eum in integrum tenemus, quem fide, & opere perfectè imitari debemus.

Cur Sacerdos ter sic signet, uel tres Cruces faciat. Cap. CXCVIII.

Ibid. c. 15. QVodquè discooperto Calice inquit Rupert. trinum de Hostia super Calice pingitur Crucis signaculum, dicendo, per ipsum, & cum ipso, & in ipso: Confessionem exprimit cum voce Centurionis: qui uiso terrę motu, & his, quæ fiebant, clamauit voce magna: Verè filius Dei erat iste. *Matt. 27.*

Sacerdos ad quid tres prædictas cruces faciat secundum Durandum. Cap. CXCIX.

Li. 4. c. 46. SAnè sexta feria, inquit Durand. Crucifixus est Christus Hora tertia linguis Iudæorum, quod Marcus narrat: Hora sexta manibus

Gentilium,

Digitized by Google

Gentilium, quod narrat Ioannes: circa Horam autem Nonam inclinato capite tradidit spiritum. Ad recolendum ergo crucifixionem Hora Tertia factam ex linguis Iudæorum Clamantium ter, Crucifige, Crucifige eum, & rursus Tolle, Tolle, Crucifige eum: Sacerdos facit tres Cruces super Oblatam & Calicem, dum dicit *Sanctificas, Viuificas*, & Benedicis. Ad recolẽdum uero Crucifixionẽ, quæ post interuallum trium Horarum est facta manibus Gentilium, cum milites Crucifixerunt Iesum, Sacerdos facit iterum tres Cruces cum Hostia super Calicem, super præmissis tribus uerbis, scilicet, Per ipsum, cum ipso, & in ipso.

Ista uerba: Per ipsum: cum ipso: & in ipso, &c. quomodo exponat Sanctus Thomas. Cap. CC.

Beatus Thomas super præmissis uerbis sic fatur, In eo inquit, quod dicitur, per ipsum, intelligitur creatio: & in eo quod, dicitur, cum ipso; intelligitur operatio. In eo quod dicitur, In ipso, intelligitur conseruatio. Per ipsum enim filium pater creauit, & creat uniuersam creaturam, cum Filio Pater, & cum Spiritu sancto regit, & disponit, & conseruat. Vnde dicitur: Est tibi Deo patri omnipotenti in unitate Spiritussancti omnis honor; & gloria. *Ibidem.*

Sacerdos faciens crucem, cur manus super mensam Altaris extendat. Cap. CCI.

Cæterum Sacerdos faciendo Cruces, manus super mensam Altaris extendit iuxta illud Propheticum: Expandi manus meas ad populum non credentem mihi: Secundò, præmissæ tres Cruces cum Corpore Christi super nudum Calicem factæ, significant tres cruciatus; quos Christus in nuda Cruce sustinuit, uidelicet; Passionem in corpore, propassionem in mente, compassionem in corde. *Esai. 65.*

Qua de causa Sacrificium septem uicibus signetur Crucibus in Canone. Cap. CCII.

Notandum est igitur, quod Sacrificium septem uicibus signatur Crucibus in Canone; quemadmodum suprà eodem Tract. innuimus. Prima uice ter, ubi dicitur; Hęc dona: hæc munera: hæc sancta sacrificia illibata. Secunda uice quinquies, ubi dicitur: Quam oblationem tu Deus &c. Tertio, bis, semel, ubi dicitur: Qui pridie, & c. Quarta uice quinquies, ubi dicitur: Hostiã puram, &c. Quinta uice, ubi dicitur: Sacrosanctum filij tui corpus &c. Sexta uice ubi dicitur: sanctificas, uiuificas, &c. Septima uice quinquies, ubi dicit: Per ipsum, & cũ ipso; prout in ipsis locis dictum est. Inter quas septem uices Sacrificium signatur duabus uicibus ter, & duabus uicibus signatur bis, & duabus

Digitized by Google

uicibus quinqueis. Septima vero bis, & ter. Ergo signatur simul omnibus uicibus iunctis, quinquies quinque, quæ sunt simul uigintiquinque: qui numerus per se ductus semper in seipsum reducitur, etiamsi ducatur in infinitum. Et sic etiam quantumlibet etiam multiplicetur Eucharistiæ Sacramentum, semper est idem Sacrificium.

Cur post elatum aliquantulum Calicem cum Hostia, Sacerdos deponat Hostiam. Cap. CCIII.

Li.2.c.15. TVnc accedit, secundum Rupert. Diaconus, & exaltatum partim Sacrificium de Altari reuerenter tam ipse, quam Sacerdos iterum deponit: Quia venit Ioseph ab Arimathia cum Centurione, & Nicodemus quoque, & impetratum à Pilato Corpus Iesu deponentes sepelierunt: sepelierunt inquam, quod nobis in eo significatur: quod calix iterum Corporali cooperitur. Depositio verò Hostiæ super pallam Altaris, signum est inuolutionis Corporis Domini de Cruce depositi in Syndone munda.

Cur Sacerdos post depositionem Calicis, & Hostiæ succlamat: Per omnia sæcula sæculorum. Cap. CCIIII.

Psal. 30. QVia ergo Iesus clamans voce magna: In manus tuas, Pater, commendo spiritum meum, expirauit; Ideò Sacerdos dicendo: Per omnia sæcula sæculorum, exaltat vocem suam. Vel dicitur altè, quia Centurio clamauit: Verè filius Dei erat iste. Et respondetur Amen: per quod repræsentatur, quod mulieres lamentabantur, flentes Dominum: Vel per hoc repræsentatur, quod fideles, qui Dominum contrito corde lugebant, velut quondam Abel inuidi fratris furore occisum parentes eius lamentabantur.

Cur subdat Sacerdos post Per omnia sæcula sæculorum; Oremus. Cap. CCV.

HOc loco cohortatur nos Sacerdos orare, causam quidem subdens, Mat. 6. uidelicet, quia sumus inde salutari præcepto moniti. Lege Euangelium, & inuenies præceptum. Oraturus ergo Sacerdos, & ostensurus se causam suam agere coram Deo, & quæ quotidie petere, & qua orationem adhibere debeamus, monet populum orare, dicens: Pater Luc. 11. noster, &c. Vnde sicut Apostolos rogantes Dominum, ut eos doceret Matt. 6. orare, informauit Dominus huius orationis institutione: ita Sacerdos informat populum, quali uti debeat oratione, nempe ea, quam Dominus docuit Apostolos, & quia præceptis, & diuina institutione moniti sumus. Hæc Durandus, & Odo Episcopus.

Cur

Cur vtatur isto verbo Sacerdos, Audemus.
Cap. CCVI.

HVic quæstioni possumus sic satisfacere, uidelicet, cum omnis Christi actio sit nostra instructio,& ideo dicimus: Audemus, ne videamur nostra authoritate, & quasi præsumptiuè alijs diuina proponere, nisi essemus formati. Nam Domini est præcipere; magistri uero instruere, & monere. Audemus enim obedientia, non audacia. Audentes audacia, rei sunt, audentes obedientia, laudandi. Ausus obedientiæ bonus, audacia superbiæ mala. Et sic conclude, quod quemadmodum causa subiuncta est, videlicet, quia præceptum est: ita audendi causa præcessit, uidelicet, quia inde sumus diuina institutione formati. Oremus ergo, quia inde sumus præceptis salutaribus moniti: & audemus dicere: quia sumus inde diuina institutione formati; ideo inquam audemus: quia nos pauidos adhuc Deus animauit, dedit præceptum orandi ad salutem: Dedit fiduciam audendi propter timorem.

Cur nos vult Deus orare vocaliter. *Cap.* CCVII.

VErum licet sciat Dominus, quid uelimus; iuxta illud: Scit enim pater uester quid opus sit uobis antequam petatis eum: vult tamen nos orare uocaliter: Primò, pro excitanda deuotione, quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronunciatio deuotioni. Vnde Psaltes: Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui sub lingua. Secundò, pro aliorum instructione, ut cortina cortinā detrahat, & qui audit dicat, veni unde dicat: Luceat Lux uestra corā hominibus. Tertiò, pro linguę obsequio: ut quod lingua peccauimus, lingua satisfaciamus: unde sicut exhibuistis membra uestra seruire iniquitati ad iniquitatem: ita exhibete ea seruire iustitiæ in sanctificationem. Quartò pro rei petendæ commemoratione: quia inquit Hieronymus, facilius obtinetur, quod instantius postulatur. Vnde petite, & accipietis. Quintò pro impetratæ rei custodia: quia quod sæpius requiritur, diligentius custoditur. Vnde dicitur; Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.

Matt. 6.
Psal. 65.
Exod. 36.
Matth. 5.
Rom. 6.

Pater noster: cur post Communionem super Hostia recitetur.
Cap. CCVIII.

BEatus Gregorius orationem Dominica post Canonem super Hostiam censuit recitari, asserens in registro incongruum esse, ut super Eucharistiam diceretur oratio, quam Scholasticus composuerat: & illa omitteretur, quam ore sacro Dominus prodidit ijs, qui spem suā, ac uota oratione cupiunt Deo explicare. De hac oratione uide multo plura in libello trecentum quęstionum, quas scripsi in Diuinum Officium Tract. secundo.

Author ali bi.

Oratio Dominica cur recitetur sub sexto canonis ordine.
Cap. CCIX.

Diximus suprà, quod septem sunt ordines Crucis in serie Canonis, quorum ordinum sextus est; Per quem hęc omnia, sub quo dicitur oratio Dominica potius quam sub alijs; quoniam secundũ D. Thomam, in sexta ætate Dominus ipse ueniens orationem Dominicam docuit: Et ideo in sexto hoc ordine conuenientius quàm in alijs ponenda fuit.

D. Thom. Opusc. 66.

Orationis Dominica vis, atque commendatio, quanam.
Cap. CCX.

Dominica oratio in quattuor alias omnes orationes pracipuè excellit.

Illud autem notandum est etiam, quod Sancta Dominica oratio cęteras orationes propter quattuor antecellit, scilicet, Auctoritate Doctoris; Breuitate sermonis, Sufficientia petitionum, & Fœcunditate Mysteriorum. Auctoritate Doctoris, quia fuit Saluatoris Apostolos orare docentis, & inde dicitur Oratio Dominica. Breuitate sermonis, quia facile dicitur, & profertur. Sufficientia petitionum, quoniam vtriusque uitæ necessaria continet. Fœcunditate Mysteriorum; quia immensa continet Sacramenta. De hac autem Dominica Oratione plura dicere superfluum mihi videtur; præsertim pro eius expositione: cum mille libelli editi sint, qui hanc exactissima diligentia discutiunt, & examinant. Tu tibi, si plura cupis, assume Cathechismum Pij Quinti, qui satiabit te. Nunc agentes gratias Deo, qui nobis dedit, ut perficeremus, quæ suprà iam in medium adduximus: ad Quintum Tractatũ præuio eiusdem Dei, & Domini nostri Iesu Christi auxilio indagandum linguam, manum, & calamum admoueamus, & si quid in pręcedentibus quæstionibus fuerit notatu dignum, & vtile, Diuinæ potentiæ ascribamus, quæ cuncta bona creat, & facit.

Genes. 1.



SVMMARIA SINGVLORVM CAPITVLORVM SEXTÆ PARTIS OCTAVI TRACTATVS.

1 *Tertia pars Missæ vbi incipiat.*
2 *A quibus malis liberari petamus in hac oratione.*
3 *Prædicta oratio cur superexcrescens, vel embolismus dicatur.*
4 *Cur prædicta oratio tota dicatur sub silentio.*
5 *Cur ad impetrandam hanc perpetuam pacem, & ab omni perturbatione securitatem, quatuor Sanctos rogemus.*
6 *Cur Diaconus tollat patenam de manu Subdiaconi, & illam tradat Sacerdoti.*
7 *Patena prius velata deinde reuelata, quid nobis denotet.*
8 *Sacerdos cur sibi imprimat cum Patena signum crucis in facie.*
9 *Acceptio Patenæ per Sacerdotem quid significet.*
10 *Velum desuper patena oblatum cur non ponatur super Pallam Altaris.*
11 *Diaconus cur Sacerdotis manum, vel humerum deosculetur.*
12 *Patenam ad quid osculetur Sacerdos.*
13 *Diaconus cur discooperiat Calicem & in eum intueatur.*
14 *Quare Sacerdos Hostiam super patenam locat.*
15 *Quare hostia frangatur.*
16 *Fractio an in substantia Corporis, an in forma Panis fiat.*
17 *Hostia quare per medium frangatur.*
18 *Particula Hostiæ quæ remansit in sinistra, cur coniungatur parti illi Hostiæ super patenam iam positæ.*
19 *Cur Cruces non suprà, vel extrà calicem, sed intrà calicem fiant, cum Hostiæ particula.*
20 *Cur tertia particula Hostię manu teneatur in crucibus faciendis.*
21 *Prædictam particulam cur mittamus in Calicem.*
22 *Cur duæ partes Hostię extra Calicem remaneant.*
23 *Cur Sacerdos dicturus: Per omnia sæcula sæculorum se erigat.*
24 *Sacerdos dicturus prædicta uerba, cur exaltet vocem.*
25 *Sacerdos dicens Pax Domini, cur faciat Crucem supra calicem cũ dictã Hostię particula.*

Dictio

De tertia Sacrosanctæ Missæ sacrificij parte, quæ dicitur Missa postulationis.

Tertia pars Missæ ubi incipiat. Cap. I.

SECVNDVM datam à nobis supra diuisionem Missæ: Tertia pars Missæ necessariò ab hac oratione, quæ statim succedit post orationem Dominicam, scilicet, Libera nos, quæsumus, &c. incipit. Quæ quidem Oratio dicitur superexcrescentia, eo quod nihil in eo petitur, quod in præcedenti oratione Dominica non fuerit. Nec tamen superfluit, quoniam est repetitio, & expositio nouissimæ illius: illa enim dicit, libera nos a malo, ista dicit, libera nos quæsumus.

A quibus malis liberari petamus in hac oratione. Cap. II.

ET subdit à quibus malis liberari cupiamus: uidelicet à præsentibus, præteritis, & futuris. Subditur insuper etiam transitus ad orationem pro pace, ibi Intercedente Beata, &c.

Digitized by Google

Prædicta oratio cur superexcrescens, uel Embolismus dicatur. Cap. III.

SCiendum autem est, quod à Durando, & Gabriele prædicta Oratio, scilicet, Libera nos, &c. ideo dicitur superexcrescens, siue Embolismus: quoniam, cum Amen sit finis Dominicæ orationis, & illud reseruetur Sacerdoti à Clero dicente: Sed libera nos à malo: patet quod hæc oratio intelligitur Embolismus, qui dicitur Embolismus quotidianus; quia est & Embolismus annuus, idest, Cõsecratio olei infirmorum. Durand. Gabriel.

Cur prædicta oratio tota dicatur sub silentio. Cap. IIII.

HÆc autem oratio, Libera nos &c. sub silentio dicitur, quod silẽtium significat Sabbathum, quo Corpus Domini in Sepulchro quieuit. Tunc enim nullus fidem prædicauit. Vnde Lucas; Mulieres, quæ parauerant unguenta, Sabbatho quidem siluerunt, secundum mandatum Legis; Christus tamen non siluit: imo ipse qui secundum carnem in Sepulchro; secundum animam descendit ad inferos, ut fortior superueniens superaret fortem armatum. Ad quod significandum Sancta Dei Ecclesia dicit ipsam orationem alta uoce in die Parasceue: & tunc momordit infernum; soluit uinctos, liberans eos de malis præteritis, præsentibus, & futuris; & dans &c. perpetuam pacem, in qua sunt semper & à peccato liberi, & ab omni perturbatione securi. Vnde de hoc lacu liberari se, & totam Ecclesiam orat Presbyter, dicens, Libera nos, &c. Luc. 23. Nota.

Cur ad impetrandam hanc perpetuam pacem, & ab omni perturbatione securitatem, quatuor Sanctos rogemus. Cap. V.

ET quoniam nos indigni sumus, ut ueniam de præteritis, presentibus, & futuris malis promereamur; ideo recurrimus ad suffragia, & ad orationes B. Mariæ Virginis, & Beatorum Petri & Pauli, atque Andreæ, & aliorum; ut eorum meritis, & precibus adiuuemur; eosquè in nostrùm patrocinium inuocamus, ad impetrandam etiam pacis gratiam, & ab omni perturbatione securitatem. Quatuor autem hos Beatos, & Sanctos introducimus, scilicet, Beatam Virginem, Petrum, & Paulum, atque Andream: quia hæ quatuor personæ Passioni Domini magis fuerunt configuratæ. Virgo Maria, quia eius animam pertransiuit doloris gladius, stans sub cruce, Hora Passionis. Vnde aliàs diximus in expositione illius Hymni, qui incipit: Christe Redemptor omnium: conserua tuos famulos: quod Beata Virgo fuit Martyr omnium maxima. Petrus Apostolus, qui crucifixus est corpore transuerso (cuius Corpus sic transuerso ordine Crucifixum hodie in portis æneis eiusdem Templi Romæ opere fusili sculptum apparet, ordinem Durãdus. li. 4. c. 49. Gabriel. Luc. 2. Lib. 4. Hym. 13.

quęrens

quærens in pęna; ne magistro suo Crucifixo æqualis in pæna uideretur. Paulus, qui & stigmata Domini in corpore suo portauit. De
Galat. 6.
Li. 4. Hym.
istis duobus Apostolis uide quæ dixi in expositione Hymni, qui incipit, Aurea luce, &c. Andreas, qui Crucifixi amore, crucem in qua passus est tanquam amatam suam salutauit, dicens: Salue crux preciosa, suscipe Discipulum eius, qui pependit in te, Magister meus Christus.

Cur Diaconus tollat Patenam de manu Subdiaconi, & illam tradat Sacerdoti. Cap. VI.

Psal.
QVia uerò post Passionis tristitiam, ad Resurrectionis gaudium peruenitur, iuxta illud: Ad Vesperum demorabitur fletus, & ad Matutinum lætitia. Ideo Subdiaconus interea, dum Chorus respondet; sed libera nos, assurgens, et accedens ad Diaconum tradit illi Patenam inuolutam. Diaconus uerò illam recipiens eam reuelat: & reuelatam repręsentat & tradit Sacerdoti, osculando illius manum: Sacerdos uerò cum ea signum Sanctæ crucis sibi facit, à facie ad pectus, & eandem postmodum osculatur. Hi quidem scilicet, Subdiaconus, & Diaconus, tam numero quàm obsequio sanctas illas mulieres significant, de quibus narrat Euangelista Matth. quod Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, uenit Maria, & altera Maria uidere sepulchrum, præsentantes Patenam; idest cor patens latitudine charitatis in obsequium Sepulturæ.
Matt. 28.

Patena prius uelata, deinde reuelata, quid nobis denotet. Cap. VII.

QVia uerò Patena prius inuoluta, deinceps reuelata ad Altare deportat, hoc denotat, quod Moyses infantulus, & paruulus uagiens, cuius miserta est filia Pharaonis, de fiscella perductus est ad Regiam domum: Nam Lex quidem, quæ Moysen denotat, quæ latuit; sed cognitis misterijs, ab Ecclesia, exaltata ad Christum descendere docuit.

Sacerdos cur sibi imprimat cum Patena signum crucis in facie. Cap. VIII.

QVod uerò Sacerdos cum Patena sibi à ministris oblata Sgnum Crucis in facie sua insignit, & imprimit: repræsentat illud, quod in Matthæo legitur, quod Princeps sacerdotum & Pharisei signauerunt lapidem cum custodibus.

Acceptio Patenæ per Sacerdotem quid significet. Cap. IX.

ITem quod Patenam oblatam recipit Sacerdos, significat, quod Christus omnes ad se ex charitate redeuntes cum desiderio recipit.

Velum

Digitized by Google

Velum desuper Patena oblatum cur non ponatur super Pallam Altaris. Cap. X.

POst traditam Diacono Patenam; Subdiaconus manipulum, qui patenam tenuerat inuolutam; plicatam non super pallium Altaris, sed alibi deponit In quo significatur illud, quod legitur apud Ioannem; quia Petrus in monumentum intrans uidit sudarium, *Ioa.20.* quod super caput Christi fuerat, non cum linteaminibus positum; sed separatim in unum locum inuolutum.

Diaconus cur Sacerdotis manum, uel humerum deosculetur. Cap. XI.

DIaconus autem manum, seu humerum Sacerdotis dexterum deosculatur, ad notandum, quod ipse vult esse socius in Passione, ut socius sit in Regno. Vnde Apostolus. Si compatimur, & conregnabimus.

Patenam ad quid osculetur Sacerdos. Cap. XII.

RVrsus, ideo Sacerdos deosculatur Patenam, postquam se signauit cum ea Signo Crucis: ad notandum, quod si per Passionem filij reconciliamur Deo Patri, erimus & hæredes Regni cælestis. Osculum quoque pedis Calicis significat osculum pedum Christi.

Diaconus cur discooperiat Calicem, & in eum intueatur. Cap. XIII.

FInita demum oratione præmissa, scilicet, libera nos; & reassumpta Patena, Diaconus discoperit Calicem, inde remouens Corporale, & super Calicem sedulò intuetur: Et quoniam os Calicis hoc loco significat ostium monumenti, de quo Diaconus Corporale remouet, & in id intuetur, ideo per hoc factum significat, quod Angelus Domini lapidem ab ostio monumēti reuoluit, & linteamen amouit, & in Sepulchrum diligenter aspexit.

Quare Sacerdos Hostiam super Patenam locet. Cap. XIIII.

PRæterea Sacerdos submittit Patenam Hostiæ, & super Calicem eam frangit, ad significandum quod Christus ex latitudine charitatis per Patenæ dispositionem significatæ, se supposuit Passioni. Et Hostiam super calicem frangit, ne minutiæ spargantur, sed in eius concauitate cautè recipiantur.

Quare

Digitized by Google

Quare Hostia frangatur. Cap. XV.

De conse- crat. d. Tri forme di- stin. 2. VIdendum est modo quare Hostia frangatur: Et quidem Primò; quia in Lege iubebatur similago frustatim offerri. Secundò, quia & Redemptor noster benedixit Panem & fregit, fractumq; Discipulis distribuit: & ideo Sacerdos & Legem, & Christum sequens, Panem Sacrosanctum in tres partes partitur; ut in fractione Panis Dominum agnoscamus, sicut cognouerunt duo illi Discipuli euntes in Emaus. Matth. 26.

Fractio an in substantia Corporis, an in Forma Panis fiat. Cap. XVI.

AD hoc dicit Magister Sentētiarū sic: Sed quia Corpus Christi incorruptibile est, sanè dici potest fractio illa, & partitio nō in substantia coporis, sed in ipsa forma panis Sacramentaliter fieri, ut uera fractio, & partitio sit ibi, quæ fit non in substantia Corporis, sed in Sacramento, idest in specie, Vnde Apostolus ait. Panis, quem frangimus nonne participatio Corporis Domini? Quia forma Panis ibi frangitur, & in Partes diuiditur: Christus uerò integer manet, & totus est in singulis; Vnde illud Sancti Thomæ: Fracto demum Sacramento, ne uacilles, sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur. Thom.

Hostia quare per medium frangatur. Cap. XVII.

Durand. lib. 4. QVare autem Hostia per medium frangatur, nunc dicendum est. Et quidem notandum est, quod in duas medietates frangitur propter duplicem prædestinatorum statum, scilicet eorum, qui sunt in statu æternæ gloriæ, & eorum, qui sunt in statu temporalis miseriæ: Ea medietas, quæ manu dextera ponitur supra Patenam, eorum tota est, qui iam adepti sunt uitam æternam. Ea uerò, quæ remansit in sinistra manu, eorum est, qui purgantur Purgatorio igne, & eorum etiam qui ad huc uiuunt in hoc mundo caduco, & ideo pars, quæ remansit in sinistra, diuiditur in duas partes, idest, & pro ijs, qui sunt in Purgatorio, & pro nobis adhuc perergrinantibus.

Particula Hostiæ, quæ remansit in sinistra, cur coniungatur parti illi Hostiæ super Patenam iam positæ. Cap. XVIII.

QVia uerò de his qui sunt in Purgatorio, nullum est dubium, sicut de illis, qui sunt in Paradiso, quantum ad futuram gloriam; ideo meritò particula Hostiæ, quæ erat in sinistra, positos in Purgatorio designans; coniungitur parti prius super Patenam positæ,

sitæ, quæ illos, qui sunt in Paradiso designat, quoniam isti illis indubitanter sunt coniungendi. Et quoniam de huiusmodi Hostiæ partibus multi multa dicunt: ideo Sancti Thomæ tantum opinionem sequar, quam nota: quia est expeditior cæteris.

Cur cruces non suprà, uel extrà Calicem, sed intra Calicem fiant cum Hostia particula. *Cap.* *XIX.*

BEatus Thomas Aquinas iam sæpe memorato opusculo sexagesimo-sexto de partitione Hostiæ loquens, quærit in primis; quanam de causa cruces non suprà, uel extrà Calicem, sed tantum intrà calicem fiant, cum parua illa Hostiæ particula dempta ex parte Hostiæ, quæ remanserat in sinistra manu. Et dicit, quia in septima ætate quando accipietur ab octaua pax consumata, non erit quidem, unde exterius sit dolendum; sed unde interius potius sit gaudendum: & propterea cruces non extrà, sed intrà facimus. *Opusc. 66.*

Cur tertia particula Hostiæ manu teneatur, in crucibus faciendis. *Cap* *XX.*

TErtia autem Dominici Corporis particula manu tenetur secundum prædictum D. Thomam in crucibus faciendis intrà Calicem; quia tertia pars Dominici corporis, quam manu tenemus, cum cruces facimus, pars est Ecclesiæ, quæ est in exultatione, & gaudet cum Christo in æterna beatitudine. *D. Thom.*

Prædictam particulam cur mittamus in Calicem. *Cap.* *XXI.*

QVare eadem particula factis crucibus demittatur in Calicem: Dic quod quia laborem significat, & imitationem Dominicæ Passionis habet suum interius, & suum exterius: exterius pressuram, & tribulationem; interius gaudium, & consolationem, & propterea tertia Particula demittitur in Calicẽ; quia post laborem cum Christo in æternum recipiemus requiem. *D. Thom.*

Cur duæ partes Hostiæ extra Calicem remaneant. *Cap.* *XXII.*

EXtra Calicem autem duæ Hostiæ partes ideo remanent, quia duæ partes Dominici Corporis sunt duæ partes Ecclesiæ, Vna pars, quæ est in peregrinatione, alia, quæ est in expeditione. *D. Thom.*

Cur

Digitized by Google

Cur Sacerdos dicturus: Per omnia sæcula sæculorum se erigat. Cap. XXIII.

SAcerdos uerò uolens dicere: Per omnia sæcula sæculorum, erigit se, ad significandum, quod ipse vult petere perpetuam existentiam Domini nobiscum: & merito ad Deum se tunc corpore, & mente erigit, sperans se accepturum, quod petit.

Sacerdos dicturus prædicta uerba, cur exaltet uocem. Cap. XXIIII.

ITem per hoc quod Sacerdos altè dicit prædicta uerba: item, & Pax Domini, repræsentat, quod Christus per Resurrectio-
Ioan. 20. nem elatus à mortuis surrexit; deinde Discipulis pacem dedit, dicens. Pax uobis.

Sacerdos dicens, Pax Domini, cur faciat Crucem supra Calicem, cum dicta Hostię particula. Cap. XXV.

AD hoc dicendum est, quod tres Cruces, quæ fiunt per Sacerdotem suprà Calicem, & Sanguinem, significant triduum, quo Christus fuit in Sepulchro. Vel quod tres mulieres
Luc. 24. quærebant Christum Crucifixum ad ostium monumenti.

Dicto; Pax Domini, cur Chorus Respondeat, & cum spiritu tuo. Cap. XXVI.

ET quidem Chorus cum respondet Sacerdoti, qui dixit, Pax Domini. tum optat pacem ipsi Sacerdoti, & petit etiam pacem sibi dari.

Quæ sit Pax Domini. Cap. XXVII.

Pax multiplex est. QVæ autem sit Pax Domini audi Sanctum Thomam in præallegato opusculo. Est enim inquit ille, Pax inordinata Superborum, qui contempto superiori, obediunt inferiori: & Pax simulata proditorum. Est Pax immunda fornicatorum. Est Pax celebrata Rebellium, & Schismaticorum. Est Pax gratiosa iustorum. Hæc est Pax Domini ordinata, quæ ordinem diligit, quæ neminem fallit, quæ omnia inquinamenta refugit; pudica, & æterna, quæ finem nescit.

Rupertus

Digitized by Google

Rupertus Abbas, quid dicat de Pax Domini. Cap. XXVIII.

TVnc rursus, inquit Rupertus, eleuatio uocis bonum significat nuncium Dominicæ Resurrectionis, dicente Sacerdote: Pax Domini sit semper uobiscum: quod nobis illud commendat: quia Dominus noster stans in medio Discipulorum suorum dixit eis. Pax uobis. Interim tenens Corpus Domini, quia cognitus est in fractione Panis tripartita fractura suam Sanctæ Trinitati assignat Hostiam, particulaque, una quæ personam insinuat Filij, in Sacrum sanguinem demissam Calici immergit. Lu. 24. Ioan. 20.

Illa oratio, scilicet, Hæc commixtio, & Consecratio, &c. cur dicatur secretò. Cap. XXIX.

SEd illa oratio quæ dicitur post Pax Domini, quæ incipit, Hæc commixtio, &c. ideo secretè dicitur; quoniam ea significat illud manifestum silentium Apostolorum, quod fuit ante Resurrectionem Christi, antequam Apostoli scirent, nec essent certificati, postquam apparuit mulieribus: Et aduerte, quod circa hanc orationem Raufoldus dicit, nempe, Sacerdotem, hoc in loco non petere Corpus, & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi insimul misceri, cum nunquam separata fuerint, immo insimul semper sunt sub speciebus panis, & uini: sed petit accidentia panis, & uini hic commixtionem fieri, quæ accidentia commiscentur insimul propter mutuum contactum. Præterea uerbum, Consecratio, non hoc sibi uult, ut nunc Panis, & Vinum Consecrentur; cum iam utrumque Consecratum sit: Ita ut uerbum fiat, hoc in loco non sit tempus præsens, sed futurum optatiui: & non hoc modo intelligitur scilicet; fiat Consecratio, sed fiat in uitam æternam nobis sumentibus.

Agnus Dei cur dicatur in Missa. Cap. XXX.

QVia simulatque salutauit Apostolos, ut iam præmissum est, dedit eis potestatem remittendi peccata, dicens: Quorum remiseritis peccata, remittentur: & quorum retinueritis retenta sunt: Idcirco dicit Sacerdos: Agnus Dei, qui tollis peccata mundi miserere nobis. Et iure quidem optimo, dum Corpus, & Sanguis Domini sumitur, Agnus decantatur; ut omnes credamus, quia ipsius Agni Corpus, & Sanguis tunc sumitur, qui peccata mundi moriendo tulit, & uitam æternam nobis resurgendo donauit, Iesus Christus Dominus noster. Vocatur autem hic Christus Agnus; quoniam successit Sacrificio Agni Paschalis Veteris Legis; qui delere debebat nostra delicta. Ioan. 20.

Digitized by Google

Cur ter dicatur Agnus Dei in Missa. Cap. XXXI.

Phil. 2. QVoniam autem Dominus noster Iesus Christus agnouit Patrem obediendo, iuxta illud: Factus est obediens usque ad mortem; Agnouit & matrem cura, quam de ea habuit. Vnde illud; Ecce mater tua: Agnouit & nos redimendo, ideo ter in Altaris immolatione dicitur Agnus Dei: quasi Agne, qui agnouisti Patrem, miserere nobis. Agne, qui agnouisti matrem, miserere nobis Agne, qui redemisti mundum, & qui obtulisti te pro nobis, dona nobis pacem. Vel dicitur ter Agnus Dei, quia Christus ad tria uenit, Primò ut nos liberaret à miseria. Secundò, ut nos redimeret à malo pœnæ. Tertiò, ut nobis daret de plenitudine gratiæ suæ. Quantum ad prima duo, bis dicitur Miserere nobis: Quantum ad tertium, dicitur: Dona nobis pacem: quæ petitio pacis sequitur statim post quam Agnus Dei dictum est ter: ad notandum quod ex benignitate Trinitatis Agnus missus est. Vnde Esai. Esai. 16. Emitte Agnum, &c. & Apocal. Christus est Agnus, qui occisus est ab Apoc. 5. origine mundi. Et nota, quod dum dicitur, Agnus Dei, Sacerdos percutit ter pectus suum propter supradictam causam, scilicet, ut liberetur à miseria, à malo pœnæ, & ut sibi detur de plenitudine gratiæ cœlestis. Vel sic percutit pectus, secundum Ranfoldum, ut assequatur remissionem peccatorum oris, cordis, & operis.

Secundum Thomam cur ter dicatur: Agnus Dei in Missa: & cur in duobus primis est conuenientia: & quare in uno sit differentia. Cap. XXXII.

QVare autem Agnus Dei dicatur ter, & quare in duobus primis est conuenientia: & quare in uno sit differentia, ibi nempè: Dona nobis pacem, rationem reddit D. Thomas: Quia tria sunt tempora, quorũ duo sunt tempora Misericordiæ, tertium est Pacis, & Iustitiæ. Quia ergo in tempore tribulationis speratur, & expectatur Misericordia: In tempore uerò Resurrectionis Pax conseruatur, atque Iustitia: propterea quando dicitur Agnus Dei, in duobus primis est conuenientia, in tertio uerò est differentia.

Quid Rupertus Abbas dicat de Agnus Dei. Cap. XXXIII.

Lib. 2. c. 17 STatim, inquit Rupertus ad gloriam Adscensionis memoria gaudẽtis Ecclesiæ transcurrit, dicendo, Agnus Dei, qui tollis peccata mũdi, miserere nobis. Qui sedes ad dexteram patris miserere nobis. Ad dandam enim pœnitentiam, & remissionem peccatorum, Deus illum suscitauit, & Principem, & Saluatorem exaltauit.

Cur

Digitized by Google

Cur in Ecclesia Lateranensi, non dicatur Dona nobis pacem. Cap. XXXIIII.

A Multis Sacerdotibus,& Canonicis illius magnę,& primæ omniũ Ecclesiarum Ecclesiæ Lateranensis,ego accepi, quod nunquam in Missis, quas in eadem Ecclesia concelebrant, ipsi dicunt, Dona nobis pacem: ob id quod cum quidam Missam celebrãs diceret tertiò, Agnus Dei qui tollis peccata mundi,antequam diceret: Dona nobis pacem. Vox audita fuit ab illa Saluatoris imagine, quæ depicta est adhuc hodie in Sacello, siue Tribuna prima magnæ illius Ecclesiæ super altare maius: Pax uobis Et propterea ex illo tunc nunquam amplius dixerũt: Dona nobis pacẽ. Et aduerte,quod illud: Dona nobis pacem, auditũ est propter persecutionem Tyrannorũ insectantiũ Sanctã Dei Ecclesiam.

Cur in Missis Defunctorum non dicatur Pax Domini. Cap. XXXV.

ET aduertendum est, quod Pax Domini non dicitur in Missa pro Defunctis, sed dicitur: Dona eis requiem: quia mortui nõ indigent pace temporali; quia non sunt in perturbatione huius mundi, uel quia non sunt in pace, sed in pœnis: ideo dicimus. Dona eis requiem. Vel in Missis Defunctorum, dicimus bis, Agnus Dei, cum dona eis requiem, & tertio loco addimus Sempiternam; quia imitamur exequias Saluatoris.

Cur dicamus triplicem Requiem Defunctis. Cap. XXXVI.

TRiplicem autem pro Defunctis postulamus à Deo requiem, ut scilicet, auferatur ab eis pœna, in qua est eis labor, & nõ requies, ut animæ gloria conferatur; quia tunc ueraciter requiescent in bono desiderato, scilicet, in ipso Deo; & ut donetur eis gloria Corporis; ne illud alterius miserijs exponat. Et quoniam prima requies, non est requies Sempiterna; quia pęna sublata adhuc desiderant gloriam; Neque Secunda, quia ante Resurrectionem Corporum inest animabus quidam naturalis appetitus reassumendi Corpus, quo appetito aliqualiter Corpore retardantur, ne totaliter ferantur in Deum: sed Tertia requies est uerè requies Sempiterna; quia animæ præsentialiter uident Deum, resumptis Corporibus: & æternaliter, & perfectissimè requiescent: & ideo solum in tertia uice, & non in duabus præcedentibus congruit dicere: Requiem Sempiternam.

Post petitam Pacem, ad quid sequatur oratio, Domine Iesu Christe, &c. Cap. XXXVII.

POst dictum autem Agnus Dei, qui tollis peccata mundi dona nobis pacem; suboramus iterum dicentes hanc orationem, scilicet: Do-

mine Iesu Christe, qui dixisti, &c. nempe, ut desiderium, ac pacis optatio sortiatur effectum in populo: specificamus enim in hac oratione effectus, & finem, propter quem pacem petimus, ut scilicet, dignetur Deus pacem dare suæ Sanctæ Ecclesiæ, non secus ac dedit Discipulis suis.

Pax, quæ datur post dictam orationem, quid significet. Cap. XXXVIII.

Ioan. 20. POst quam Dominus salutauit Apostolos, ut iam dictum est, iterum dixit eis, Pax uobis, ostendens, quod non solum debemus pacem habere in ore, uerumetiam in pectore, ne simus ex illis, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. *Psal. 27.* Ideoq; cũ hęc dixisset Apostolis, insufflauit in illos, & dixit. *Ioan. 20.* Accipite Spiritumsanctum. Vel quia Christus resurgens Diabolo superato, pacem, & dona dedit hominibus: *1. Cor. 16.* propterea hic Pax datur.

Sacerdos dans pacem cur osculetur Altare. Cap. XXXIX.

POrrò dans Sacerdos Pacem osculatur Altare, quod Christum significat, ut ex eo Pacem accipiat, eaque per uniuersos fideles in Ecclesiam diffundatur. Vnde Apostolus, Salutate uos inuicem in *1. Cor. 16.* osculo Sancto, quod est Pacis osculum. & hoc Pacis osculum in Missis pro Defunctis non datur, nec prædicta oratio dicitur, Domine Iesu Christe, qui dixisti, &c. quia non sunt Defuncti in perturbatione huius mundi: sed requiescunt in somno Pacis.

Pacis osculum, quid secundum Rupert. Cap. XL.

Lib. 2. c. 18. TVnc religiosa consuetudine, inquit Rupertus, legatum nobis à Sacerdote, damus, & accipimus inuicem Pacis osculum, gaudentes, atque commemorantes, quia reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, nosque colligari debere signantes osculo Pacis, quod est uinculum perfectionis.

SVMMA-

Digitized by Google

SVMMARIA
SINGVLORVM CAPITVLORVM SEPTIMÆ PARTIS OCTAVI TRACTATVS.

1 *Cur ante sumptionem Corporis Christi præmittat Sacerdos quatuor sequentes orationes; videlicet: Domine Iesu Christe fili Dei vivi: Perceptio Corporis tui; Panem cælestem accipiam, & Domine non sum dignus, &c.*
2 *Cur Sacerdos præmittat orationem illam, scilicet, Quid retribuam Domino antequam sumat Calicem.*
3 *Sacramentum istud Altaris quare dicatur Communio.*
4 *Orationes illæ duæ, scilicet; Quod ore sumpsimus: & Corpus tuum Domine quod sumpsi, quæ dicuntur post sacramenti sumptionẽ, quid concernant.*
5 *Vtrum Sacerdos sumat Christi Corpus cum Deitate & Anima.*
6 *Christi Sanguis sumptus à nobis, quot animæ nostræ bona cõferat.*
7 *Communione facta, cur Sacerdos lauet digitos, & in quo Altaris cornu.*
8 *Trina manuum Sacerdotis ablutio, quę fit in Missa, quid designet.*
9 *Communio quę dicitur ante Postcommunionem, quid.*
10 *Postcommunio cur sic dicta.*
11 *Postcommunio quid nobis insinuet.*
12 *Collectę quid designent.*
13 *Prędictæ orationes cur dicantur ad dextrum cornu Altaris.*
14 *Finita prædicta vltima Collecta, Sacerdos cur salutet populum.*
15 *Ite Missa est quid significet.*
16 *Cur in Missa solenni non Sacerdos, sed Diaconus dicat, Ite Missa est.*
17 *Benedicamus Domino, quid significet.*
18 *De Ite Missa est; & Benedicamus Domino, quid dicat Rupert.*
19 *Requiescant in pace, in fine Missę Defunctorum quid significet.*
20 *Oratio, quæ sequitur post Benedicamus Domino, vel Ite Missa est, quæ incipit. Placeat tibi Sancta Trinitas, ad quid dicatur, & quid in ea petat Sacerdos.*
21 *Benedictio super populum quorsum fiat.*

Digitized by Google

22 *Secundum Durand. quid significet ista Benedictio.*
23 *In Missa mortuorum cur non benedicatur populus.*
24 *Cur Sacerdos dicat: Dominus vobiscum: & cur subinde Euangelium Sancti Ioannis dicat.*
25 *Officium totius Missæ quomodo compendiosè exponatur moraliter.*

De quarta Sacrosanctæ Missæ Sacrificij Parte quæ dicitur Communio, siue Missa Gratiarum Actionis.

Cur ante sumptionem Corporis Christi præmittat Sacerdos quatuor sequentes Orationes, videlicet, Domine Iesu Christe Filij Dei uiui: Perceptio Corporis tui: Panem cælestem accipiam: & Domine non sum dignus, &c. Cap. I.



POst pacis triplicis impetrationem procedit Sacerdos ad Cõmunionem, siue sumptionem tremendi Sacrificij: vnde quia ipsa sumptio uita est bonis, & mors est malis: Sacerdos tanquam in magno periculo indignę sumptionis constitutus, non immeritò contremiscit; ne quod institutum est, & summa Dei charitate nobis datum est ad parãdum uitæ fructum, ex sua indispositione sibi fiat cibus ad interitum. Ideo ad ipsum Dñm fontem Misericordiæ, & Pietatis se conuertit, præmittens prædictas quatuor Orationes: in quibus nititur sui dignificationem à Dño impetrare, quatenus sibi, & cæteris, pro quibus Sacrificat, proficiat ad salutem. Vnde in Prima petit iustificari. In secunda petit, ut fructuosa sit ei communio. In Tertia suam indignitatem recognoscens, profundè se humiliat. In Quarta sumpta fiducia ex spe dicti adiutorij ad sumendum dignissimum Mysterium se erigit, atque sumendo participat dicens: Corpus Dñi nostri Iesu Christi custodiat animam meam in uitam æternam, Amen. quæ oratio fit inter communicandum pro salute impetranda ex eiusdẽ Corporis manducatione. Et nota quod postquã Sacerdos sumpsit Corpus Christi, eleuat manus, eas ante faciem suam coniungens. Per quod innuit animam suam, & spiritum suum uelle uniri cum Christo.

Cur Sacerdos præmittat orationem illam, scilicet, Quid retribuam Domino: antequam sumat Calicem. Cap. II.

QVemadmodum autem Sacerdos indignitatem suam agnoscẽs nõ desperauit, sed spe diuini adiutorij, qui hoc salutare Sacramentum in remedium, & cibum animæ confortatiuum instituit, animatus

se su-

Digitized by Google

se suprà erexit ad sumendum Hostiam salutarem; ita ante Calicis sumptionem (post receptum cęlestis Edulij beneficium) non desperās ob id, quod nihil habeat, quo digne possit respondere diuino illi beneficio accepto; Dicit in spem audacter: Calicem salutaris accipiam, & nomen largissimi benefactoris inuocabo, ut inhabitet mihiq; uniatur, meq; per charitatem suum efficiat, quem suum fecit creatione, redemptione, & possessione. Et sicut post sumptionē Corporis facta fuit Oratio pro salute impetranda ex eiusdem Corporis manducatione: ita inter sumendum Christi Sanguinem fit oratio pro salute cōsequenda ex eadem Sanguinis sumptione, dicente Sacerdote: Sanguis Dñi nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Sacramentum istud Altaris quare dicatur Communio. Cap. III.

ET quoniam hoc in loco post sumptionem Corporis, & Sanguinis Christi per Sacerdotem, si qui sunt cōmunicandi cōmunicātur hic per Sacerdotem, antequam se purificet; Idcirco quæritur hic, cur Eucharistia, & hoc Sacramentum Altaris Cōmunio dicatur. Et quidem secundum Pium V. in suo Cathechismo, & Cardinalem à Turre cremata, Cōmunio uocatur, Primò, quia facit nos cōmunicare fonti omnis gratiæ. Vel Secundò, quia Cōmunicare facit omnibus membris Corporis Christi, & omnibus Sanctis. Quod uerbum, scilicet, Cōmunio, ut inquit Pius V. prædictus, ex illo Apostoli loco sumptū esse liquet, ubi ait. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne Cōicatio Sāguinis Christi est, & Panis, quem frangimus, nōne participatio Corporis Dñi est? Vocatur etiam aliquādo, secundum prædictū Cardinalem Viaticum; qm̄ itinerantes per mortale huius exilij desertum, ad immortalitatis stabilimentum, & gloriam perducit æternitatis. Vocatur etiam Cęna, pro eo, quod in illo nouissimo Cœnę salutaris Mysterio à Christo Domino sit instituta. Vocatur etiam Mysterium; quia secretam, & reconditam habet dispensationem.

Pius V. De Sacramento Euchar. Card. in c. nihil. De consecrat. dist. 2.

1. q. 1. cap. multi.

Orationes illæ duæ, scilicet, Quod ore sumpsimus: & Corpus tuum Domine, quod sumpsi, quæ dicuntur post Sacramenti sumptionem, quid concernant. Cap. IIII.

SEd orationes illæ duæ, quæ sequuntur dicendæ post cōmunionem factam utraq; Sacramenti sumptionem utiq; cōcernunt: Et in Prima Sacerdos petit remedium per ipsa Sacramenta cōferri, quibus promoueatur ad ingressum Regni cęlestis. Vnde dicit, ut de munere tēporali fiat nobis remedium sempiternū. In Secunda petit mali ablationem, & remotionem, scilicet, Purgari per sumptionem Sacramenti sub utraque specie ab omni macula; quæ solet impedire cęlestis Regni ingressum, & introitum. Vnde subdit: Corpus tuum Domine, quod

Digitized by Google

sumpsi, & Sanguis, quem potaui, adhereat uisceribus meis, & præsta ut in me non remaneat scelerum macula.

Vtrum Sacerdos sumat Christi Corpus cum Deitate, & Anima. Cap. V.

Cardin. à Turre cre. in c. quid est Christ' dist. 2.

MInimè quidem ambigendum est, Christi Corpus non *sumi* cũ deitate, & anima: quia ut fatur Ioannes à Turre crem. non *se*parantur secundum esse, quia quandocunque vnum eorum sumitur, non potest sumi sine alio: sed unum est esse animæ Christi, & Corporis, sicut Materiæ, & Formæ: ergo cum Corpus Christi sumitur, etiam anima sumitur.

Christi Sanguis sumptus à nobis quot anima nostra bona conferat. Cap. VI.

QVemadmodum autem potus conueniens facit quinque in corpore nostro, sine quibus non perficitur cibi operatio. Lauat enim sordida, ne cum cibo misceantur; Extinguit incensa; Humectat arida, ut cibo præparentur; Lubricat aspera, ut per ea cibus moueatur, & subtiliat grossa, in cibo, & membris, ut facilius penetrent, & penetrentur: ita etiam hæc quinque conueniunt Sanguini Christi *spiritua*liter. Hic enim Sacratissimus Sanguis Lauat omnia sordida *per hoc*, quod est Sanguis expiationis: Apocalyp. Lauit *stolam suam in San*guine Agni. Secundò, extinguit incensa, per hoc, quod est Sanguis Redemptionis, redimens nos à peccati incendijs, & concupiscentiæ. Vnde Apostolus: Accessistis ad Sanguinem, melius loquentem, quam Abel, quia Sanguis Abel clamat uindictam; Sanguis autem Christi clamat Redemptionem, & remissionem. Tertiò, humectat arida, per hoc, quod est sanguis pietatis, quia omni pietate maius fuit, quod sic Sanguinem suum non tantum effudit pro nobis, sed etiam infudit nobis: sic etiam omne cor ad pietatem deducitur, & ariditatem amittit. Sic D. Lucas: Factus est sudor eius sicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram, ut scilicet cor tuum urere faciat. Quartò, Sanguis Christi lubricat aspera, & ad lenitatem deducit per hoc, quod est Sanguis Agni mansueti. Sic Diuus Petrus. Non corruptibilibus auro & argento, redempti estis, sed precioso Sanguine agni immaculati. Quintò, Sanguis Christi subtiliat grossa, per hoc, quod est Sanguis Sacramenti, sic enim inducit ad subtilitatem intelligentiæ spiritualis: Vnde Zacharias. Tu autem in Sanguine Testamenti eduxisti uinctos de lacu. Hæc Cardinalis à Turre cremata in cap. in omnibus, De Consecrat. dist. 2.

Apoc. 6. *Hebr. 12.* *Luc. 23.* *1. Pet. 3.* *Zach 9.* *Cardin.*

Commu-

Digitized by Google

Communione facta cur Sacerdos lauet digitos, & in quo Altaris cornu. Cap. VII.

SAnè Sacerdos digitos perfundit, & perfusionem sumit, nè species aliquæ uini, aut panis remaneāt in Calice, aut digitis adhæreāt: utq; per sumptionem ablutionis Sacramentū sumptum deferatur ad stomachum. Hæc aūt perfusio, & sumptio, fit in cornu Altaris dextro: quia dextra præparatior est, sinistra aduersitatem significat. Quia igitur pluries peccatur in prosperis, quam in aduersis, iuxta illud: Cadent à latere tuo mille, scilicet sinistro, & decem millia à dextris tuis, merito igitur lauandum est potius ad dexteram, quam ad sinistram. Vel quia hęc purificatio designat ablutionem manuum, quam Pilatus fecit ad perditionem Sanguinis Iusti super Iudæos, per dextrum cornu Altaris significatos.

Trina manuum Sacerdotis ablutio, quæ fit in Missa, quid designet. Cap. VIII.

TRina ergo Sacerdotis ablutio, quæ fit in principio, in medio, & in fine Missæ designat mundationem cogitationis, locutionis, & actionis. Vel significat purgationem peccati originalis, Venialis, & Criminalis. Lauat etiā Sacerdos ultimo loco, uel etiam post finē Missæ, digitos, quia indignum uidetur, quod digiti qui tantum Sacramentum tractauerunt ad Corporalia, & Tēporalia tractanda applicentur, nisi studiosè prius lauentur. Et hic nota, quod Sacerdos ex sinistro Altaris cornu redit ad dextrum, ubi incæpta fuit Missa; quia Missa est significata per Fidē, & Euangelij pdicationē, prius Hebræis, qui per dexterā significantur, prædicatā; deinde populo Gentili, qui per sinistrā denotatꝛ, quæ iterum tertio in ultimis diebus reuertetur ad dexterā, idest, ad populū Hebræū, & tunc secundum Apostolū, reliquiæ Israel saluabunꝛ. *Dur.* *Gabr.*

Communio, quæ dicitur ante Postcommunionem, quid. Cap. IX.

CAntus, inquit Rupert. quem Cōionem dicimus, quē post cibum salutarem canimus, gratiarum actio est, iuxta illud: Edent pauperes, & saturabuntur, Laudabunt Dñm, qui requirunt eum. Hoc idem dicit Ranfoldus. Nam in Primitiua Ecclesia, qui aderant huic Sancto Sacrificio, omnes communicabant, & dum cōicarent, cantabant prædictum cantum, ut adimplerent præceptum Dauidis, dicētis: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum. *Li. 2. c. 15.* *Ranfold.* *Psal. 21.*

Postcommunio cur sic dicta sit. Cap. X

ANtiphona, ait Durādus, quæ Postcōmunio à pluribus nuncupatur; ideo sic appellata est, quoniam post Cōmunicationem, siue in signum *Ibid.*

Digitized by Google

gnum quod Communicatio expleta est, concinitur. In Primitiua namque Ecclesia omnes fideles qualibet die Corpori, & Sanguini Christi Communicabant, & statim post Communicationem, cantus iste fiebat, ut populus ostenderet se gratias, & laudes agere de Christi Corpore, & Sanguine susceptis.

Postcommunio quid nobis insinuet. Cap. XI.

Ioan. 20. HÆc autem Antiphona Apostolorum, gaudium de Christi Resurrectione significat, iuxta illud: Gauisi sunt Discipuli uiso Domino, & præ gaudio mirabantur.

Collecta quid designent. Cap. XII.

COllectæ, inquit Rupertus, quæ dicuntur ad complendum orationes sedentē in cœlo caput nostrū Iesum Christū signant: quod mortuus est, inquit Apostolus; imò & quod Resurrexit, qui est in dextera Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Interpellat enim pro nobis Pontifex Summus, quia nos per id, quod nostri est similis reconciliat, & per id quod Patri est æqualis, absoluit. Finis uerò Orationis, & Collectæ nouissimæ, scilicet, Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. significat, quod aduocatum habemus apud Patrem.

Prædictæ orationes, cur dicantur ad dextrum cornu Altaris. Cap. XIII.

QVoniam autem dextrum cornu Altaris significat Populum Iudaicum, sinistrum uerò Gentilem: & Prædicatio, & Euangelium Christi incępit à Iudæis, & transiuit ad Gentes, & iterum redire debet ad Iudæos, ideo ad hoc significandum Sacerdos à dextro cornu Altaris transit ad sinistrum: meritò ergo Postcommunio, quæ est quasi finis Missæ, dicitur in dextro cornu Altaris.

Finita prædicta vltima Collecta, Sacerdos cur salutet populum. Cap. XIIII.

AD finem nouissimæ Orationis, iterum salutat populum Sacerdos, dicens: Dominus uobiscum: optans quidem, ut recedentes à Templo non recedant à Domino, ut satagant, quatenus Dominus semper sit cum eis, in omnibus agendis maneat, & nunquam ab eorum intentione, & amore recedat.

Ite Missa est, quid significet. Cap. XV.

MIssa solet sæpenumero terminari, & finiri per Ite Missa est, & hoc in solennitatibus, quoties cantatur Te Deum laudamus, & Gloria in excelsis Deo. Quasi dicat, tunc Sacerdos; redite ad propria; quia Missa

Digitized by Google

Missa, seu Oblata est Hostia salutaris pro genere humano; Christus, scilicet, mediator noster ad Patrem; ut tanquam aduocatus noster ipsum pro nobis interpellet. Vel Ite Missa est, idest, Ite post Christum missum, & sequimini cum omni affectu. Quasi dicat: non enim in hoc mundo standum est, sed ad patriam per bona opera festinandum. Respondet subinde populus dicens: Deo gratias: tanquam gratus Deo de suscepto beneficio gratias agit.

Cur in Missa solenni non Sacerdos, sed Diaconus dicat, Ite missa est. Cap. XVI.

SEd quando celebratur solenniter, non Sacerdos, sed Diaconus dicit; Ite Missa est: quia Diaconus repræsentat Angelum stantem in monumento à dextris coopertum stola candida, qui dixit mulieribus: Iesum quæritis Nazarenum Crucifixum; surrexit, non est hic: Ecce locus ubi posuerunt eum: sed ite, & dicite Discipulis eius, & Petro; quia præcedet uos in Galilæam. Hæc dicit Ioannes Baptista Monachus Cassinas. *Matt. 16.*

Benedicamus Domino, quid significet. Cap. XVII.

FInitur etiam Missa secundo modo: per Benedicamus Domino; & uidelicet, in profestis Diebus, & generaliter quando præmissa cantica lætitiæ non dicuntur. Per quod quidem populus inuitatur ad gratiarum actionem; quia post omnia debemus Deo humiliari, uel per quod non datur circunstantibus, sed ad continuandum religionis cultum additur exhortatio: Benedicamus Domino. nos scilicet diuino cultui specialiter mancipati. Vnde autem sumptum sit, & multa alia, uide in Libello meo tercentum quæst. quas feci in Diuinum Officium. *Author alibi.*

De Ite Missa est, & Benedicamus Domino, quid dicat Rupertus. Cap. XVIII.

VLtimam particulam Diaconus, inquit Rupert. adijcit, idest, Benedicamus Domino, & hoc dicto populum excitat ad agendum Deo gratias pro acceptis beneficijs: Quia profectò Redemptore ad dexteram Patris sedente, & interpellante pro nobis, perseuerant eius Apostoli, dicentes nobis semper: Gratias agite, & sine intermissione orate. Si autem solennitas aliqua sit, in illud tempus respiciens, quo nostræ salutis missio celebrata sit, dicit Sacerdos: Ite Missa est. *Lib. 2. c. 2.* *Ephes. 1 Thess. 5.*

Requiescant in pace in fine Missæ Defunctorum, quid significet. Cap. XIX.

TErtio modo finitur Missa, per Requiescant in Pace, scilicet, in Missa pro Defunctis, ut finis huius Officij respondeat principio; in quo

Digitized by Google

in quo eis æterna requies postulatur, & quod illud Officium singulariter defunctis applicatur; ideo in eius principio, medio, & fine Requies in pace æterna, ac iucundissima adoptatur: & respondet Chorus, Amen, idest, fiat quod postulatur. Rursus finis Missæ finem mundi significat. Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, libertatem, quæ dabitur iustis in pàtria, ubi semper Deum benedicent.

Oratio, quæ sequitur post Benedicamus Domino, vel Ite Missa est; quæ incipit: Placeat tibi Sancta Trinitas, ad quid dicatur, & quid in ea petat Sacerdos. Cap. XX.

AMplius post dictum: Ite Missa est; uel Benedicamus Domino, uel Requiescant in Pace: Sacerdos inclinatus ante medium Altaris humiliter dicit: Placeat tibi Sancta Trinitas &c. ubi Sacerdos uelut in quodam compendio petitiones priores recolligit.

Benedictio super populum quorsum fiat. Cap. XXI.

In c. Miss. de consecr. dist. 1. *Luc. 24.* ALtari osculato Episcopus, uel Sacerdos populum benedicit; significans illam benedictionem, secundum Cardin. à Turre cr. quam Christus post Resurrectionem in cœlum adscensurus dedit Discipulis suis. Vnde Beatus Lucas ait: Factum est cum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Vel benedicit Sacerdos populum, quod sic Moses, & Aaron peracto libamine benedicebant populum. Ad instar ergo illorum hoc facit Sacerdos.

Secundum Durandum quid significet ista benedictio. Cap. XXII.

Durand. *Act. 2.* HÆc autem, inquit Durand. benedictio super populum missionem Spiritus sancti significat; quem Dominus adscendens in cœlum de cœlo misit in Apostolos: iuxta quod ipse promiserat eis: Accipietis, inquit, uirtutem superuenientis in uos Spiritussancti. Vel hæc prædicta benedictio significat illam ultimam benedictionem, scilicet: Venite benedicti Patris mei.

In Missa Mortuorum cur non benedicatur populus. Cap. XXIII.

IN Missa uerò pro Defunctis Pontifex siue Episcopus, siue Sacerdos, non benedicit solenniter, tum quia in ea omnes solènitates cessant; tum quia hæc solennis benedictio fit non solum pro uenialium peccatorum deletione, uerumetiam pro populi excitatione; ut in Domini adiutorio confidat, & benedictum in sæcula confiteatur. At Defuncti uelut absentes excitari nequeunt, licèt possint nostris Suffragiis adiuuari.

Digitized by Google

nari. Item non benedicit Sacerdos populum in Missis Defunctorum, quoniam gaudium non debet luctui admisceri.

Cur Sacerdos dicat, Dominus vobiscum, & cur subinde Euangelium Sancti Ioannis dicat. Cap. XXIV.

SEd hoc quoque minimè omittendum esse uidetur, quod ideo Sacerdos celebrans post Sanctissimam communionem ter salutet populum, idest, ter dicit, Dominus uobiscum, quoniam per mortem, Resurrectionem, & Ascensionem Christi, omnes tres personæ Sanctissimę Trinitatis nobiscum esse dignoscuntur. nobiscum enim est Pater, nobiscum est Filius, nobiscumque est & Spiritus sanctus. Itaque cum Dauid dicere possumus: Benedicat nos Deus Deus noster: benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ. Vltimo loco dicit Sacerdos Euangelium Sancti Ioannis, scilicet, In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c. Ad notandum, quod Deus est principium & finis omnium rerum nostrarum & nostrarum actionum, Oblationum, & Sacrificiorum, atque Libaminum. Vel Sacerdos dicit hoc ultimo loco Euangelium Sancti Ioannis, scilicet, In principio &cæt. vt sicut in Missa habemus unum uitæ, & mortis Christi Epilogum, imò & totius nostræ Redemptionis: ita habeamus etiam ex hoc Sancto Euangelio breuem unam nostræ fidei perorationem, quæ potissimum in credendo duas Christi naturas, Diuinam, scilicet, & humanam consistit; & quod est Deus, & Homo: quod multo clarius in Sancti Ioannis Euangelio explicatur, quam aliorum.

Psal. 66.

Apoc. 1.

Officium totius Missæ quomodo compendiosè exponatur moraliter. Cap. XXV.

OFficium autem Missæ sic illud moraliter exponentes in compendium redigi nunc demum potest, ut omnium ferè, quę diximus, Epilogum hoc ultimo loco habeamus. Introitus siquidem significat inchoationem boni operis; & duplicatur; quia in nostra inceptione debemus declinare à malo, & facere bonum. Kyrieeleyson, quod nouem uicibus uariatur, significat inuocationem misericordiæ Dei, qua nouem modis indigemus. Primis tribus modis ad peccatorum remissionem, quæ committimus corde, ore, & opere; quantum ad contritionem, confessionem, & satisfactionem. Secundis tribus modis, quantum ad gratiæ collationem, scilicet, Fidei, Spei, & Charitatis. Tertijs tribus modis quantum ad glorificationem qua gaudebimus in Deo suprà nos, intra nos, de nobisipsis, & iuxta nos de proximo. Gloria in excelsis Deo, significat gratiarum actionem. Collectæ deuotam orationem. Epistola, & Euangelium Nouæ, & Veteris Legis obseruationem. Graduale, & Alleluia, vitæ Actiuæ, & Contemplatiuæ perfectionem. Offertorium contribulati spiritus Sacrificium. Secreta significant statum uiuentium. Præfatio statum Patriæ. Sanctus, Sanctus,

Epilogus totius ferè huius operis. *Introitus.* *Kyrieeleyson.* *Gloria in excelsis.* *Collecta.* *Epistola et Euãgeliũ.* *Graduale, & Alleluia.* *Offertoriũ* *Secreta.* *Præfatio.* *Sanctus.*

Digitized by Google

Canon. *Pater noster.* *Agnus Dei.* *Cõmunio.* *Altare.* *Calix.* *Corporale.* *Patena.*

ctus, Sanctus exultationem Angelorum præsentium. Canon transitum membrorum in Corpus Christi mysticum. Pater noster filiationem significat per gratiam. Agnus Dei liberationem per Misericordiam, & triplicatur ut liberemur à malis præteritis, præsentibus, & futuris. Communio seu Complenda significat boni operis consumationem. Præterea per Altare intelligimus Crucem, per Calicem Sepulchrum, per Patenam Lapidem superpositum. Per Corporale Syndonem, in quo Corpus Domini fuit inuolutum. Hæc Theologi in Compendio Theologicæ Veritatis, cap. 18. lib. 6. sed singillatim de istis uide suprà suis locis. Iam nunc, qui plura, quam nos diximus scire de cerimonijs Missæ desiderat; illos Doctores conspiciat, quos ad huiusmodi mysteriorum, cærimoniarumque reuelationem nos adhibuimus: Ea siquidem duntaxat, quæ pręcisè necessario reuelanda uidebantur, & quæ apud sæculares Sacerdotes, & non quæ apud regulares enodare nos conati sumus. Et si qui, vt iam dictum est, plura fortè, quam nos disseruimus, in medium attulerunt, hoc forte fecerunt, ut consuetudinem suam, Regularem scilicet, custodirent, non autem, ut illa necessariò apud nos contingerent. Quod si fortàsse aliquid eorum, quæ in hoc libro adscribi oportebat, prætermissum est; (neque enim id alienum fuerit ab humanæ naturæ imbecillitate. Quod enim omni ex parte; vt fantur Legislatores; uitio uacat, id certè solius fuerit diuinæ potentiæ, non autem humanarum uirium efficere:) ij, qui rectè omnia, & ratione perpendent ubique, hac in re profectò humanam naturam excusatione dignam esse fatebuntur.

LAVS DEO.



REGISTRVM.

ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff.

Omnes sunt Quaterniones.

Index per se patet.




VENETIIS,

Apud Barezzum Barezzium.

M D XCII.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google